#

Josset (Pierre)

Collegii Lugd. SS. Trinit. Soc. Jesu Cat. Inscript. 1663

RHETORICE,

Placidâ quam Pieris irrigat vndâ,

GRANDIA

Facundæ reſerans Præcepta Loquelæ:

HÆC ETIAM

Logicæ præludia docta ſagacis,

Collegii STRICTAQVE Lugdun.

Grammaticæ compendia digerit Artis

Authore P. PETRO IOSSET,

SS.ᵃᵉ Trinit. SOCIETATE IESV. Societ.

Jesu cat. Inscrip.








LEMOVICIS.

Apud ANTONIVM BARBOV, Regis, Collegijque Typographum, viâ Ferrariâ propè S. Michaelem

1650.

Cum Priuilegio Regis,



VERBO AETERNO,

Sapientiæ Immortali, Eloquentiæ Increatæ.



CCEDIT ad Te, Sapientiæ Antiſtes, Princeps diuinitatis, Dux gloriæ ſempiternæ, Flos lucis indeficiens, Theſaure rationis æternæ, vitæ ſemen immortale, Æterni Patris ſermo eloquentiſſime, Angelici ERVDITOR eloquij, cœleſtis exhedræ ANTECESSOR meritiſſime, accedit inquā RHETORICA, vt è lumine tuo fulgeat, è fonte tuo hauriat, ex opibus tuis diteſcat, è benigno oculorum tuorum aſpectu fauorem ſibi conciliet. Ad aras tuas ſupplex accidit, ſacrificium FACTVRA, non Agnorum, aut columbarum; non Arabiæ,

Iudeæ, vel Ciciliæ, ſed ſui;

Secum trahit Parnaſſum, Pindum, Aſcram, Heliconem, atque Permeſſum, non illa antiqua fabularum ſtabula, non inanium Poëtarum deliramenta, non ludicrorum, turpiúmue GVRGVSTIA, ſed eos colles trahit, & fontes, quos Religio conſecrauit, Pietas abſterſit, & in tui cultum addixit; ſecum ducit Charites, Muſas, Pierides, Apollinem, non vana illa Numina, antiquitatis dehoneſtamenta, diuinitatis latrocinia, Lemurum nuntios ideſt hoſtes tuos, ſed eas Muſas, quas ablutis maculis, & veteribus detractis exuuijs in tuum decus & honorem Innocentia compſit, Virtus erudiuit, Fides Chriſtiana poliuit, aut potius Virtutes ipſas, talium nominum inuolucro veſtitas.

Ad Te, Vt ſe nunquam refugituram oſtendat, catenis vincta & aſtricta procedit, quas equidem non ferri rigor, non chalybis aſperitas, non labor Lemnius, non incus, malleúſue duxerunt, ſed quas & mentis excubiæ, & vigiliarum

frequentia, & ingenij exercitationes extuderunt. Ad Te multo labore cruciata venit, crebris fatigata contentionibus, aſſiduis exhauſta vigilijs; ſed quid tandem omnia illa forent? quid omnes excubiæ, conatus, lampades, ſtudia, lucernæ, labores noſtri, niſi mera inanitas, & vera vanitas, & artis adumbratæ vile choragium, ſi ſubſidio tui fauoris, & curæ patrocinio, & opis applauſu, & gratiæ quaſi calore non mouerentur languida, non animarentur mortua, non excitarentur exanguia?


Tua eſt ergo hæc RHETORICA, ô Chriſte Domine, quam Tibi offero; & verò quid aliud niſi tuum iure offerrem, cui aliquid aliud offerre ſcelus eſſet infandum? Si enim quid non tuum offerrem, quid offerrem niſi non bonum, qui omnia poſſides, præter malum? Cùm autem illa tua ſit, alij profectò præterquam Tibi conſecrare, nec potui, nec debui, nec volui; non potui, quia tua eſt, non debui, quia Tuus ſum, noluì, quia Tu, quâ benignitate es, meus eſſe voluiſti.

Tenue est, & exile donum, quod Tibi voueo, sed quàm dignius est, quod à Te requiro? Addico tuis altaribus eam RHETORICAM quâ mortales mouētur, illam ambio, quâ cœlites Immortalesque capiuntur, illa exultat in comitijs, regnat in concionibus, triumphat in orchestrâ, dominatur in foro, sed totum id quantulum est! Ista quam à te expeto, vt se abscondat in vmbram, in cubiculum, in desertum, vt secedat in abditum, quàm vastis tamen laxatur spatijs? quàm dignam! quam speciosam emetitur decurrítque palæstram! cui pro circo cœlum est, pro rostris astra, Angeli pro Senatu, Tu pro Prætore; Cui pro Delo Bethleem, pro Delphis Solymæ, Golgotha pro Parnasso, Oliuetum pro Helicone subseruit.

In Illâ non examinantur verba, non excutiuntur syllabæ, non expenduntur periodi, Numeri nou quæruntur, vox non attenditur, lingua non instruitur, os tacet; cui pro ore desiderium est, cor pro linguâ, pro voce lacryma, pro Nu-

meris ſuſpiria, pro ſyllabis vota, pro verbis gemitus, pro Periodis exempla; Quantus Orator! quàm facundus, quàm potens, quem Tu tantus Doctor exerces, tantus Auditor approbas, tantus moderator iudéxque coronas? Non illi per varias Academiarum porticus ambulandum eſt, non crebra terenda Gymnaſia, non illi fabulis, hiſtoriis, aut varia rerum cognitione oneranda memoria, non ingeniũ multâ exercitatione fatigandum, cui vna voluntas eruditur expolitur, excolitur, cui pro omni ſtoâ, pro ampliſſimo Lycæo ſepulchrum tuum Chriſte Domine, latúſque ſauciatum frequentandum eſt. Hanc autem ſi me docueris, Eloquentiam, Angelorum linguam altaribus tuis addictus æternùm aſtabo.

Infinitæ Maieſtatis Tuæ & cliens,
& Seruus, & ſubditus humillimus.
PETRVS IOSSET.



APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS AQVITANIAE.


EGo Ioannes Pitardvs Præpositus Prouincialis Societatis Iesv in Prouinciâ Aquitaniæ, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV, 20. Decemb. 1606. & Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab hominibus Societatis nostræ compositos absque Superiorum eius. permissione imprimant; Permitto P. Petro Iosset, nostræ Societatis, eligat quem voluerit Typographum, qui Librum inscriptum, Rhetorice, placidâ quam Pieris irrigat vndâ, solus imprimat ac liberè diuendat. Lemouicæ

IOANNES PITARDVS.

Tu

TV velim, ANTONI BARBOV, Typographe Regie, Vrbis, & Collegii nostri Lemouicensis secundùm facultatem à R. P. Prouinciali mihi concessam imprimas RHETORICAM meam Poëticis numeris alligatam ad decennium, à die quo vltimùm excusa fuerit, cæteris Typographis ab eius impressione abstinere iussis Lemouicæ. VIII. Maii Ann. M. D. C. L.

PETRVS IOSSET, è Societate IESV.



PROLVDIVM.

VAriæ extitere nationes, eæque vrbanitatis lepore conditæ, quæ diuersas rationes excogitauerunt, quò præceptionum, & legum seueritatem austeram emollirent, & faciliùs in iuuenum animos specie lenitatis illectos Medicorum instar insinuarent, qui pharmacum valetudini opportunum, gustatu peracerbum aut sacrari dulcedine, aut mellis liquore conuestiunt, ne ab eo æger abhorreat propter asperitatem, quod haurire debet propter sanitatem.

Sic *Ægyptii* seueram Virtutis indolem insignium symbolorum illecebris, & inuolucro cluserunt, vt quam fortè Adolescentes nudam, asperam, puluerulentam aut neglexissent, aut refugissent, neglexissent inertes, refugissent mali, illam Hieroglyphicorum lenociniis & philtris indutam studiosiùs amplecterentur. Sic *Cretes*, ne legiones suæ à bellorum periculis, & præliorum æstibus deterrerentur, si inconditum tubarum clangorem, aut tympanorum murmur adhiberent, tibiarum modulos, & fistularum suauitatem subiecerunt, vt quantum ponderis armorum terror haberet ad auocandum, tantum fistularum amœnitas, & Musicæ concentúsque suauitas haberet ad incitandum.

Sic denique sapientissimi Gallorum *Druydæ*, quò meliùs atque suauiùs in adolescentum animos virtutis cõmendationem, & scientiæ maiestatem instillarent, illarum omnium pqæcepta & institutiones carminũ vinculis, & Numerorum alligabant, ne tam celeriter à mente refugerent, quas semel mollibus versuum quasi catenis reuinxissent.

Mihi in Rhetoricâ nostrâ tradendâ ratio illa impri-

mis arrisit, vt documenta & præceptiones multis difficultatibus illigatæ aut felicius expedirentur, aut faciliùs temperarentur, aut molliùs exciperentur. Oratorē meum ab ipsis cunis atque crepundijs per varios gradus ad vsque sublime fastigium oratoriæ facultatis educā Quid ipsi etiamnum in gerulæ lacertis, aut nutricis sinu reptanti vel conducat, vel aduersetur edisseram; Ipsum deinde in leuioribus studijs versantem comitabor; Illi pedagogus imponar in ipso flore ætatis, cùm iam politiorum literarum suauitatem degustabit; Tum demum aut in concione apud populum, aut in senatu apud Patres dicturum in lucem emittam.

Quod verò hoc in libro Rhetoricæ palatium ex florum fragrantiâ, nectaris rore, mellis suauitate composui; In vltimo autem ex materiâ multò solidiori, non mirabitur, qui viderit nos hic palatium construere Eloquentiæ infanti, illic adultæ & corroboratæ. Hic illi præterea dedi sedem Athenas, quod ibi primis temporibus maximè dominata est Eloquentia, dum reliquis in plagis barbaries mera regnaret; At verò vltimo in carmine domicilium ipsi in insulâ Fortunatis ipsis fortunatiore constitui, quia iam ex omnibus Gentibus ad illam fieri solet accessus. Cùm autem totum illud opus Verbo diuino consecrauerim, à quo commodiùs auxilium petierim, quàm ab eâ quæ illud carne vestiuit, in communionem nostram inuexit, & in consortium humanæ naturæ transmisit.

Ergo suffice magna Virgo voces,
Carmen suggere, Spiritus ministra,
Ni robur dabis, & modos parabis,
Vox me deficit, & sacrum fluorem
Facundus dare denegat canalis,
Sin contrà facis, & benigna pandis
Tui subsidium elegans fauoris,
Non sic montibus è cacuminosis
Cùm nix liquitur, & calente sole
Præceps influit in tubos liquentes

Turgent flumina, non tumentiori
Ister voluitur in salum rotatu
Frequentes vbi legit auctus amnes.
Vt magno ferar impetu tuarum
In laudum decus, integraéque prolis
Ergo suffice magna Virgo voces.





RHETORICAE LIBER PRIMVS.

De primâ futuri Oratoris ætatulâ.



RDVA Rhetoricæ documenta recludimus Artis Propositio operis.
In Numeros coniecta, operæ res plena, nec antè
Pieriis tentata modis; sed tu Arbiter omnis
Eloquii, vnde amplo manat facundia ductu
Immortale Patris Verbum, quo lingua Magistro Inuocatio diuini Verbi.
Infantum facunda fluit, dabis omnia nostris
Carminibus præcepta cani, durúmque leuabis
Mollis onus, facilisque meos comitaberis ausus
Te sine nil magnum Chelys audeat; Eia age grandes
Pande tubos, da compositos aperire lepores,
Da fortes reserare Locos, fulmenque disertum
Spargere, & incensos animorum effundere motus.
Da doctas formare manus, digitosque loquentes
Fingere, da dignâ vultum componere formâ
Et linguam instruere, & mellito aspergere succo,

Mirentur quam rostra, colat quam magna Senatus
Curia, congesta quam concio plebis adoret.

Caput I. de origine Rhetoricæ.

Principio incultas langor descendit in Artes,
Humanæque iacent segni torpore medullæ.
Non Musæ, non Phœbus erat, non blanda fluebant
Verba, nec ambrosiis ibat Facundia labris,
Musica nulla fuit, nullus modulator Arion,
Aut Liuus argutas norant emittere voces;

Artes principio neglectæ.

Non Physices erat vllus honos Logicæue sagacis,
Non erat Hippocrates, herbas Medicina salubres
Ignorabat adhuc, dirisque apponere morbis
Pharmaca secretus nondum concesserat vsus.
Ignotum Nautis erat æquor, & humida dorso
Nondum veliuolas acceperat vnda carinas.
Non rastris tentata seges, non vomere curuo
Ardua sudantes sulcabant iugera tauri.
Nec solers Polycletus erat, nec magnus Apelles
Norat in extentâ vultum describere telâ
At resides animos, effætoque otia somno
Omnipotens exosus, opem Mortalibus ægris
Apparat, atque omnes vocat in comitia Diuos,
Et loquitur tremuere poli, vocemque loquentis
Sidera, & attoniti moles miratur Olympi.
Quandoquidē Nos, inquit, amor, studiumque fidesque,

A Deo excitatæ

Et Pietas vult esse Deos, communibus æquum est
Curis prospicere, atque hominum inuigilare saluti.
Cur etenim viuas fœcundi in luminis auras.
Edidimus, patria nisi cautâ indagine cura
Eductum foueamus opus? crebráque colentes
Humanum Arte genus sacros addamus honores?
Ecquid enim si nullâ orbis decorabitur Arte,
Orbis erit? nisi segne chaos? nisi pondus inane?
Et moles telluris iners? quam nulla venustet
Forma, nec egregii species commendet amoris
Ecce homines sine laude iacent, non Artibus vllis
Ingenium, nullâ poliuntur inertia dote
Pectora, lenta quies animos, dextrasque fatigat
Nos itaque è nostris humana in corda talentis

Ingenuas fundamus opes, gremióque fauente
Diuinas Artes medium mittamus in orbem
Dixit, & extempló ſancti in decreta Parentis
Cœlituum fauor almus iit, fauſtoque probantur
Conſilia aſſenſu, & voces pius audiit Æther
Tunc Artes placidis ſaliere è Numinis vlnis
Et variis ſedere locis: quà ſceptra reguntur,
Scribuntur quà iura viris, quà maxima Reges;
Imperia, & vaſtas conſtringunt legibus vrbes.
Aſſyrio incubuit ſolio; quà ſemina ſulcis,
Et ſegetes mandantur agris, & creſcit ariſta,
Latius in ſiculis Ars illa effloruit aruis.
Quà ſylua ſternuntur aquis, & creditur vnda
Puppis, & iratos audet contemnere ventos,
Delegit pro ſede Tyrum; quæ ferrea tractat
Prælia, & armiſonas exercet inhoſpita rixas
Thracia prima colit violentis niſibus Artem
Committit quæ plectra lyræ, neruóſque ſonantes,
Et blandum quæ tangit ebur, vocemque gubernat
Muſica in Ioniâ primum regione moratur.
Ad Seres textrina venit, diuina Poëſis
Deſilit Hebrææ clara in confinia terræ
Perfunditque ſacros vates, caſtoſque Prophetas;
Imbuit, & ſancti inſtinctu modulaminis afflat
Græcia prima capit Sophiam, ſpatioſa Matheſin
Ægyptus, cœlique vias metitur & aſtra.
At Pitho Regina, truces quæ vincere ſenſus
Nouit, & effranes animi vincire tumultus,
Æthereo ſubuecta Noto deſcendit Olympi
Cardinibus, terráſque citæ petit impete pennæ
Muſarum ſtipata choro, per inania cœli
Sacra cohors radebat iter, liquidóque volabat
Æthere, dum mediis ſedem ſibi fixit Athenis
Hic Muſæ noua tecta, nouos mirâ arte penates
Ædificant, & digna nouo prætoria regno
Vitruuius non fecit opus, nec molis honorem
Phidiacæ ſtruxere manus, cultúue Mironis
Tam ſancto incubuit vis ingenioſa labori.

Variæ artes à variis populis.

Aut inuentæ aut primũ cultæ.

Eloquẽtia patuit in Atticâ

Non tauri, non plaustra gemunt, non sudat anhelis
Cui Musæ palatium extruunt *Multorum Artificum pubes operosa lacertis*
Non Paros, aut rutilis ditissimus Indus arenis
Materiam suffecit. eó neque dura coiuit
Quercus, Orontææ soboles neque frondea sylua
Musa ipse artifices, pro saxis florea campi
E floribus. *Vellera, & in pictæ nascentes margine ripæ*
Sufficiuntur opes; pro calce, rudíque tigillo
E melle. *Vernarum labor omnis apum, fragrantia mella*
Et dulces cessere faui; pro glutine puro
Augustæ digesta domus quo membra ligantur
E nectare autrore *Ætherea vel nectar aquæ, vel candida roris*
Gutta, vel ambrosiæ desumitur humor oliuæ.
Hic Pitho enixa est; & nobilis exit ab illâ
Progenies, non illa quidem de more virorum
Prægnanti demissa vtero, non edita cacis
Eius natales è cerebro. *Visceribus, sed more nouo de vertice molli*
Nascitur, & sacrâ capitis procedii ab arce
Et linguæ fulturâ oritur, teretisque meatu
Subsidio linguæ. *Oris in optatas pulcherrima prodiit auras*
Musarum obstetricum operâ, hæc inuoluere pannis
Infantes artus, hæc mollia fingere membra,
Hæc cunas agitare leues, hæc ora, decúsque
Mirari, & castos oculis spectare nitores;
Illius splendor *Ex astris siquidem, éque polis, florúmque coronâ*
Splendorem, formámque legit, modulamina vocum
E ternâ Sirene capit, pulmonibus auram
Inspirat zephyrus, vernâue Fauonius alâ
In dentes succedit ebur, vel gemmea rubro
Puncta aduecta mari, linguam de nectare mollì
Composuit, roseis quam vinxit ad ora catenis.
Tantæ omnes diuina stupent miracula formæ,
Ipsam etiam mirata parens sermone pelasgo
Rhetoricā *vocat, at teneræ simul ore diserto*
Molle Genethliaci carmen cecinere Camœnæ.
Natalitium illi carmen. *Cresce amplis, o Virgo, animis, nec Te vlla morentur*
Claustra, nec Argolici cogant pomœria regni,
Quò nec tela queant, nec vis armata phalangis,

Nec gladii, penetrabis, eò tua verba ferentur
Quò vix sol radios, & amantia lumina mittet
Siste minax vitiorum agmen, probrosa reuelle
Crimina, barbaricos audax extingue furores. A Musis dictum.
Quas mentes aut ira ferox, aut dira tyrannis,
Impietásque nocens, vetitaque libidinis ignes,
Quas tumida ambitio, rigida quas pallida tabes
Inuidiæ, quas tetra fames, & auarus habendi
Ardor, & imbelli torpens ignauia passu
A rectâ ratione vocat, Tu flecte, decúsque
Pande, per & rectos virtutum dirige calles.
Dispersas per rura manus, pérque inuia lustra
Et per nigrantes deserto horrore cauernas
Concilium in commune vocans popularia condes
Mœnia, & augustis circumdabis oppida septis.
Tu culpas, sontésque reos, Tu turgida pœnis
Flagitia, & grauidos infami crimine mores,
Et tetrum feritate nefas, ad iusta vocabis
Supplicia, & legum generosa in vincula mittes.
Tu strictos enses, & spicula sæua videbis
Ante tuos beletata pedes; si tempora pacis
Æqua iubes, pax mollis erit; si bella iubebis,
Bella furent; populis Tu libera fræna remittes,
Aut coges, si forté velis; quid plura loquemur?
Nulli tuas contrà stabunt conamina vires.
Hæc Musa; speciosa Infans in fortia crescit
Tempora, & in iustos ætas se porrigit annos, Illius comites.
Circumadsunt doctæ comites, & multa sequuntur
Numina, purpurei pretiosa peritia Iuris,
Mollis Arithmetice, Geometria, culta Mathesis,
Et Physice, Logicéque sagax, quæque inclyta leges
Carminis, & canones Numerorum Musica mandat.
In foribus, primáque domus statione sagaces
Exercet vigil excubias Labor, arduus illi Satellites.
Curarum comitatus adest, doctæque sequuntur
Lampades, & discendi ardor, studiique perennis
Sedulitas, cultaéque frequens industria noctis.
Intus habent sedem Charites, sedem intus Apollo

Magnus habet, Probitas has nobilis incolit ædes,
Hic felix quoque Fama habitat, sublimis ibi hæret
Gloria, secretas Honor aureus intrat in aulas.
Huc, Iuuenes, properare iuuat, iuuat ire per ædes,
Perque ampla secreta domus, sed deuius horror
Nescio quis, timidúsque moras pudor iniicit, & me
Detinet, incensumque sacris malus ædibus arcet.

Comparatio à rustico verecundo desũpta.

Vt vastis assuetus agris, casulæque minori,
Et pastoriciis tantùm mappalibus vsus
Rusticus, ancipiti dubius formidine longùm
Hæret, & insolitos in regia limina gressus
Aut humiles inferre pedes non audet in ampla
Membra domus augusta, aliis hunc proxima Diuis
Maiestas, hunc sanctus honos, hunc gloria sceptri
Armorúmque frequens strepitus, multúsque satelles
Terret, & ingentes Lupara vetat ire per ædes.
Vos propter tamen, & vobis quò tester amorem,
Chara Phalanx, Pubesque, meis quæ crescis in vlnis
Ipse omnes reserabo vias, ductúque fideli
Occultos aditus, & prima exordia pandam,
Quæ dos conueniat tantas adeuntibus ædes,
Quique vel in primis cultus optentur ephebis.
Nascere magne Puer, nec Te nigra claustra parentis
Amplius, aut arcti teneant pomœria ventris.
Túque ades ô Lucina, tuos immitte fauores,
Et placidam pia confer opem, quippe ardua surgit
Progenies, magnúsque orbi conceditur Infans,
Si modò fata sinant, præceptaque nostra colantur.

Caput 2. de parẽtibus oratoris.

Ac primùm ingenuos Iuueni, quem templa Suadæ
Admissura aliquando patent exopto Parentes;
Nam quamuis fortes animæ, & corda inclyta surgant
Ex humili quandoque casâ, quamquam alba nigranti
Lilia de radice fluant, atque aspera molles
Effundant vepreta rosas, & iduma per arua

Quos desiderem ingenuos,

De vili sudent fragrantia balsama trunco:
Magna tamen natura iuuat magis, & iuuat altè
,, *Acceptum de patre genus; nam splendida crebrè*
,, *In prolem ingenuam virtus descendit Auorum,*

,, *Nunquam degeneres Aquilæ peperere columbas,*
,, *Nec mites agnos leo procreat; Iste leones*
,, *Gignit, & audaces volucris parit ardua pullos.*
Ergo velim meus Orator genitore decoro
Gaudeat, augusta species quem viuida frontis Corpore
Ornet, & ardentes obfirment corporis artus. opportunos.
Sin minùs id liceat, saltem prætendat acumen
Ingenii, & validæ teneat suffragia mentis. Præcipuè ingenio.
Quid verò mores? aut quid virtutis honestæ
Commendabo decus? non illum insana libido
Corrumpat, non rixa premat, non impetus iræ, Moribus
Non multus vegetâ vertat de mente Lyæus. cōmodos
,, *Transfunduntur enim patriæ cum sanguine dotes,*
,, *Et vitia, affinemque suis virtutibus edit,*
,, *Aut vitiis genitor, seséque in imagine fingit*
At fœcunda Parens, vbi prole tumescere ventrem
Sentiet, & fœtus vtero latitare viriles,
Sæpiùs orabit, crebrásque ad sidera voces Matrem
Effundet; Da, magne Pater, da surgere prolem sollicitā.
Facundam, & cælo rores insperge disertos.
Tu potes argutas infantum effingere voces Quam sollicitudinem
Ignitásque poli de vertice mittere linguas.
Stilla tuæ vel sola fluat virtutis in illam, exhibe-
Et sat erit; Tùm quippe cadit velut humor in herbas, bit.
Vt matutini veniunt in gramina rores, Oratio-
Prolis erunt ita verba meæ, cùm pectora tangent, ne.
Ergo ades, & cælo diuinum infunde fauorem.
Sæpe etiam altarum gaudebit imagine rerum,
Magnáque secreto sub pectore sensa reuoluet;
Audiet orantes, quos ingeniosa diserto Cogita-
Lingua polit sermone, etenim cùm sæpe parenti tione.
Eloquii species, Suadæque recurret imago,
Inclusam in prolem, maternóque aggere septam
Vis aliqua, & scintilla fluet; quis enim ausit inanes
Pugnax phantasiæ maternæ dicere vires?
Huic ergo inuigilet studio, sed & eligat escas Electio-
Infanti; neque enim probet infans omnia Rhetor ne cibo-
Pabula; nolo parens pingui se prona saginâ rum.

Obruat, aut duras legat in sua fercula carnes,
Aut languens sibi sumat olus, stagniue colonos
Has igitur prægnans epulas tibi mater adopta;
Aut Turdum facilem, aut teneræ Perdicis alumnum
Aut pullos teretes, liquidi vel Turturis alas,
Aut quas Phasis alit volueres, mollésue columbos,
Aut vitulum, frontem cui nondum cornua lunant.
Temperet vnda sitim modico diluta Lyæo,
Ne noceat. teneróſue premat frigentior artus

Rerũ iucundarũ perceptione.

Quinetiam exterior species, & stantia circúm
Prosint obiecta, & facilis præsentia rerum;
Vnde lyras, & plectra velim, cantúsque, modósque
Audiat, & pictos vernanti gramine campos
Intret, & ambrosios florum furetur odores.
Laurea serta gerat venturæ præsciâ prolis
Et sibi de viridi cæstum componat olivâ.

Caput 3. de obstetrice.

At partus iam tempus adest, iam nascitur Infans;
Illum fida iuua Obstetrix, huic mollia membra,
Huic faciles artus, atque ossa sequacia forma.
Nam quamuis habitum vultus, capitisque figuram,
Membrorúmque situm placidæ vis alma parentis
Finxerit, inque vtero cunctos extruxerit artus,

Corrigat defectus corporis.

His maius tamen adde decus, melioráque formæ
Ornamenta adhibe, & si fortè inhonesta figura est.
Corrige, nam te ceræ instar, quocunque sequentur.

Caput maximé cõponat.

Ergo caput manibus solers compone, futuram
Tot rerum, tot opúmque domum, ne sphærica prorsus
Illi adsit forma, in iustum néue exeat orbem
Illa quidem multo stat congrua forma cerebro,
Sed non ampla sinu memore est, sit longior ergo,
Inque cucurbitulæ sese producat acumen
Posticâ de parte, equidem tunc magna patescit
Aula, locúsque capax, vbi vis memor ampla quiescit.

Et frõtẽ.

At frons maturæ statio certissima mentis
Angustos nimium ne castigetur in orbes
Indicium leuitatis, at extendatur in æquor
Sed tumidum. quâ parte comis & crinibus hæret.
Præcipuè tibi magna noua sit cautio linguæ,

Quippe illam quandoque obices, & stricta coërcent
Vincula, & intortis deuincta ligamina fibris.
Tu ne forte viam voci nocitura futura
Impediant, celerique ferant obstacula linguæ,
Scinde audax, nec te, quamuis vagitibus Infans
Lugeat, & querulos effundat gutture questus, — Et linguam.
Mollipi permitte, obices quin protinus omnes
Abrumpas, fortique adimas retinacula nisu.
Sæpe etenim sacrâ vel qui tenuisset in æde,
Grandia vel medio fudisset verba senatu,
Abditus in mutas secedere cogitur vmbras,
Stulta quod Infantis vitium sanabile linguæ
Spreuerit Obstetrix, medicâ neque vulserit arte.
Hæc vbi; adoptandæ ratio nutricis habenda est; — Caput 4. de nutrice.
Infantem nisi forte sui velit vberis haustu
Ipsa fouere parens, & quem, dum clausus in aluo
Nutriit, eductum proprio quoque sanguine pascat.
Et satius; Quid enim externæ tua pignora curæ — Meliùs si mater ipsa.
Credas inclemens? & matris ab vbere pellas?
„ *Aptiùs effectum, peperit quæ causa, tuetur.*
Ipse adeò Deus, omnis vbi membra omnia mundi
Fecit, vbi magnos orbes, vbi vasta patentis — Sit nutrix.
Tornauit conuexa poli, varióque subinde
Circuitu discreuit, vbi mare fudit apertum,
Et firmam solidauit humum, quæ condidit ipse
Seruanda alterius num credidit omnia curæ?
Non ita; sed quâ cuncta manu produxit, eadem
Seruat, & hac pius arte fouet, quâ condidit orbem
Ipsa etiam duris animalia nata sub antris,
Ipsæ vrsæ catulos, Tygresque, & barbara fœtus
Ipsa suos Elementa fouent; Aqua frigida piscem,
Quem produxit, alit, flammâ Salamandra fouetur,
Quâ flammâ Salamandra oritur; Tu mater honestum
Cui pectus fabricauit amor, mitesque sub vlnas
Exeruit geminos facilis Natura canales,
Progeniem externæ fidei mandabis alendam
Crudelis? proprióque sinus priuabis amore?
Si tamen affectæ vel saucius vmbo papillae,

Vel febris insidians venis, & corporis aegri
Praua valetudo, magni vel culmen honoris
Impediant, proli ne debita munera mater
Sin minùs *Praestet, & in propriis immitior educet vlnis*
Culta inter primas nutrix adhibenda puello est,
Non quae desertis semper latitauerit aruis
Eligatur *Tesqua inter rupésque, vnam quae rustica villam*
Nouerit, aut patrii vernacula iugera campi;
Nō rustica. *Non quae de triuiis educta, aut paupere tecto,*
Plebeio de more rudes experta loquelas
Nō barbara. *Barbara verba trahat, vilique enunciet ore;*
Non quae inter labes, aut fornicis alta pudendi
Probra, vel in vetitis vitam cùm duxerit vmbris
Obruta cùm nimio madeant praecordia vino
Pollutos secum mores vehat, aegraque fundat
Infanti cum lacte luem, & nascentia fœdet
Semina, & innocui stirpes elidat alumni
Propterea integri deceat spectare pudorem
Corporis, & castae splendentia lumina mentis,
Sed culta, sed virtutis studiosa. *Et linguae flexus, & purae philtra loquelae;*
Et quamuis patriis procul accersatur ab oris;
Accersenda tamen, raris vt floribus hortos
Vt digesta seras variis pomaria plantis
Vnus ab eois quaeretur surculus aruis:
At Tu nutricem charo impositurus alumno,
Quam primùm sors cúmque feret discrimine nullo
Accipies? dubiisque dabis tua pignora mammis?
At Puer insolitos gemitus tristésque querelas
Edidit; en candens apparet marmor in ore,
Gemma patet distincta, patent & eburnea puncta
Incœpit dentire, dolor puerile palatum
Gingiuásque premit, tamen hunc quemcumque dolorem
Haud aegré tolera Puer, hunc Tu quippe dolorem
Gaudebis subiisse olim, cúm grandia pleno
Fundes verba sono, magnáque tonabis in aede.
Non etenim firmae solidis sine dentibus vllae
Stare queunt voces, aut rectis sermo loquelis.
Caput 5. *Ecce autem sensim crescens puer ambulat, & iam*

Brachia, nutricisque sinum indignatur, & vlnas
Despicit, & propriis gestit iam incedere plantis.
Iam faciles formare sonos, iam libera verba
Fingere, iam molles conatur promere voces.
Iam quinta est, iam sexta aetas, si me tamen audis
Nondum Musarum rigidas adhibebis ad artes:
Tempora sint haec sacra iocis, aetatula ludo
Gaudeat, & durâ nondum stringatur habenâ.
Iam teneros formare artus, tenuésque lacertos
Cura sit, & paruo nutrire in corpore vires,
Ludere iam liceat nuculis, & arundine longâ
Currere, iam luteas liceat compingere turres
Sin aliter facis, & Puerum à nutrice remotum
Continuò premis, atque oculo custode tueris:
Si durum exactorem adhibes, studiique seuerum
Rectorem, moréſque ferox qui corrigat omnes,
Imperiosa ferat qui iussa, flagróque minetur
Inclemens, ferulaeque manus consauciet illu
Incautè facis; omnis enim se reprimet ardor
Infantis, studium omne, libros, curasque sagaces
Oderit, inuitósque animos ad Palladis artes
Deferet, & blandas trepidabit adire sorores
Nec curam Infantis depono, licentia detur,
Non effusa quidem, nullísque coërcita claustris
Sed iusto fraenata modo, quo norma pudoris,
Quo recti, quale esse potest, seruetur honestas.
Crebrò illi nomen virtutis amabile, crebrò
Doctrinae pandetur honos, cultúsque tremendi
Numinis, vt quamuis quid sit Deus, altáue virtus
Nesciat, at saltem nomen sciat; impia crebrò
Ante ipsum improbitas, vetitaéque nocentia culpae
Probra, cruentato mactentur iniusta flagello
Tradatur liber, & pulchris depicta figuris
Pagina, non quò scripta legat, discátue, nec illud
Quaero, sed vt videat pictas ex arte tabellas,
Miretur visas, iterúmque videre requirat.
Sic ardor studii sensim, ambitusque librorum
Crescet amor, Musásque volens per seipse sequetur.

de educatione infantis.

Cautè habeatur

Non duré.

Blanditiis amor virtutis.

Et lectionis instilletur.

Segregetur à seruulorum cõsuetudine.

Vnum autem imprimis moneo, Tu sensibus hauri
Consilia, & penitis monitus infige medullis.
Inter quisquilias, vilisque domestica plebis
Mancipia, atque imos inter consuescere seruos
Ne sobolem permitte Pater, non tetrior illâ
Serpere culpa potest, teneris vel acerbior annis
Seruitio quid enim nisi fescennina probantur
Verba? vel implacidis periuria debita poenis?
Quid nisi fallacis fœtus mendacia linguae?
Aut ignobilium sanies deterrima morum?
Ingenium quid vile loquar? quid nata saginae
Corpora? quid vetitas spirantia pectora fraudes?
Vtque nihil vitiorum habeant, plebeia saltem
Lingua illis, atque è triuio collecta loquendi
Formula, sermo nocens, & barbarus vsus inhaeret

Caput 6. de præceptore deligẽdo

Illi ergo inuigilare decet, per téque, tuósque
Custodire oculos, donec surgentibus annis
Imponas praefectum animi, studiíque magistrum;
Iámque decet, iámque apta aetas, iam septimus illum
Annus habet, iam prima illi scintilla relucet
Iam fulget ratio, primaéque crepuscula mentis.
Antè tamen, qualémue leges, qualémue requiram
Accipe; Res etenim non parui plena laboris.
Cùm magnum teneris praecepta immissa sub annis
Momentum, pondúsque habeant, similémque tenorem
Constituat sibi vita sequens, quo prima cucurrit.
Vt color ille diu remanet, quem vellera primum
Imbuerint, vt odor, quem testea vasa recenti
Inclusere sinu, non excidit, vtque figuram
Primam saxa tenent, sic se vita omnis ad illas
Instruit, à teneris quas vnguibus hauserit, artes.

Sit à vitiis semotus.

Illi ideò Rectorem adhibe, quem candida morum
Integritas, quem cana animi prudentia cingat,
Quem non ira ferox, quem non violenta libido

Sit prudens.

Non leuitas iuuenilis agat, non vrgeat ardor.
Ac veluti mercator, opum cui multa supellex
Incerto commissa mari est, non ille carinae

Compa-

Praeficiet Nautam indoctum, qui deuia puppim

Ad saxa impellat, tumidóque absorbeat aestu;
Sed qui longaeuâ iampridem callidus arte rat. p
Ingenium, faciémque maris, qui nautica nouit ductâ
Munera, & oppositi molimina vincere fluctus. Nautâ.
Ille breui quamuis perituras tempore merces,
Non tamen indocto vellet committere nautae;
Tui cui munus amans, Æther, prolémque benignâ
Indulsit Natura manu, quam si optima forment
Praecepta, & primos decorent virtutibus annos,
Tractantem populos, magnáque in luce loquentem
Curia, vel Superis delubra addicta videbunt,
Nescio cui de plebe viro dubioque magistro
Committis Pater, & sobolis spem deseris omnem?
Haec ergo ante omnes Rectoris prima legendi Non sit
Incumbat Tibi cura, grauem quem reddat honestas, seuerior
Non importunum rigor immansuetus acerbet.
Si rigidum praefectum habeat, si fronte seuerum,
Austerumque supercilio, vultúque minacem,
Et saeuum sermone puer, qui crimina semper
Puniat, & poenâ noxas examinet omnes,
Implacidum virtutis iter, plenúmque laboris
Reddetur magis atque magis, quamquam aspera per se
Stet via, & implicitis septa horreat vndique dumis
Lenem igitur praefectum opto, qui affabile reddat
Difficilis virtutis iter, praeceptáque vitae
Molliat, & faciles aditus ad Apollinis artes
Pandat, & ad Musas monitis, non verbere ducat.
„ *Mancipii est, flagra dura pati, seruile, moueri*
„ *Verberibus, plagisque peti, quem Rhetora singo,*
„ *Nil nisi laus, nisi fama mouet, nisi nobilis vltrò*
„ *Ad studium propellit honos, huic dedecus aufert*
„ *Desidiam, atque moras solus pudor excutit omnes.*
Nunc iterum Aonides (neque enim nisi vestra feretis
Auxilia, & vestro dabitis succedere monti,
Fas quidquam tentare mihi est) spirate fauorem,
Mittite Pierios in carmina nostra lepores.
Dicite quos cultus aetatula prima requirat,
Quae primùm documenta petat, quas postulet artes;

Scitis enim, nec vos quidquam fugit, auius ibo,
Vos nisi securo regitis vestigia filo

Caput 7. de Grã-maticâ.

Grammaticae praecepta adeat, quá culta parantur
Fundamenta, quibus numerosa Scientia constat.
Quippe nec aut legere, aut puras euoluere voces
Lingua potest, neque sermo potest, neque verba latino

Eius necessitas.

Contexi splendore, nisi regat omnia ductrix
Grammatice, poliátque suá cultissima limâ.
Imprimis Elementa notet, quorum vna vocantur

De Elementis.

Consona, quae nullis per se stant viribus, vllum
Nec verbum formare queunt, nisi iuncta locentur
Ad latus his Elementa, ideò vocalia dicta.

Syllabis

Syllaba fit, cùm bina simul vel terna ligantur
Appositis elementa modis, cùm corpus in vnum
Syllaba multa coit, verbum formatur ab illis,
Cogitur è multis constans oratio verbis.
Verba suis stant vincta Modis, Numerísque, tribúsque
Personis; Quinis etiam vis tota tenetur

De verbis.

Temporibus, nisi fortè omnes anormia leges
Contemnant, canonúmque iugum, clatrósque refringant.
Quid multas referam voces? Actiua Latini
Et Passiua vocant, & Deponentia verba,
Et de multiplici dicunt Communia sensu.
Sex Casus, Numerique duo Romana gubernant
Nomina; namque alios elegit Achaia mores,

De nominibus.

Cui non tot Casus equidem placuere, sed vnum
Addidit ad binos Numerum, dixitque Dualem.
Nominibus varia esse solet connexio Formae
Et Generis; quippe haec maribus tribuuntur, at illa
Fœmineae adiunges Tribui; sunt quae Genus Anceps,
Non istud, non ellud habent; haec Neutra vocantur,
Haec Epicœna putes, haec Adiectiua feruntur.

De syntaxi.

Barbarus es, Latiáque procul pellendus ab vrbe
Cum Specie si fortè impar Genus impare nectis,
Si nomen verbo dissentiat, & sua dispar
Sit Verbo Persona, minùs si debita quadret
Regula, & appositis abeas à finibus exlex
Sit Numero affinis Numerus, Persona nec impar

Personae, Generíue Genus, liget omnia nexus,
Nulláque finitimum dissensio laedat amorem.
Nec tibi sufficiat quaecunque occurrerit ori
Dictio, legitimas solers sed delige voces.
Nunc Antiqua appone, Nouis nunc vtere verbis, De dictionibus
Vtere nunc Propriis, Propriisque subinde relictis
Appositos assume Tropos; Vetus illa vocatur
Dictio, quam primae veneranda aetatis honorat
Canities, quam sacra Patrum reuerentia vestit Antiquâ
Quam casci, veteresque, suis aut Ennius author
Aut Columella senex furtim inseruere libellis,
Cui pretium, pondúsque ingens facit ipsa vetustas
Ac veluti cùm trita senis mappalia tecti
Mutatâ fodiuntur humo, si fortè patescat
Antiquis detritum annis ex aere numisma,
Cui vel Alexandri, vel laurea Caesaris ora
Impressis stent sculpta notis, quamquam aerea nullo
Materies sit habenda loco, tamen arte vetustâ
Caelatum laudatur opus, ditisque metalli
Instar, in arcanas, quoniam vetus, abditur arcas.
Vocem etiam probo saepe Nouam, quam nostra tulerũt Nouâ.
Tempora, quae veterum linguam non nouit auorum,
Cui praesens dedit vsum aetas; nam verba vetusta
Praetereunt, marcéntque effœtae tempore voces.
,, Nil oritur sine fine, ruunt quae prima iuuentus
,, Extulit, occasúmque timet, qui viderit ortum.
Sic etiam conformis adest sua vocibus aetas,
Qua voces pereunte abeunt, aliaéque subinde
Succrescunt, capiuntque locum, sedémque priorum.
Sic quando moriens annoso robore truncus
Destituit virides fato cogente capillos,
Hunc cultor nequidquam alitum, frustráque tenentem
Fœcundi spatia ampla soli conamine magno
Deiicit, & frondes, & brachia sicca reuellit,
Pòst vbi libratâ decussit membra bipenni
Inseritur lecto de semine surculus infans
In sedem senis, hic foliis, & flore comatur
Luxurians, auidóque parit sua poma colono.

Nominibus propriis vti decet, apta loquendi
„ *Consuetudo magistra, loqui debemus vt omnes,*
„ *Vt pauci sapere; ista tamen praecepta dabuntur*
Non omnes vetiiura Tropos, & cultior illa est
Meta-phoricâ. *Dictio, quam blandi decorat Translatio verbi*
Cum propria de sede migrans, externa recedit
In iura, inque alios verbum variabile sensus
Transit, ibi Tropus, & lepido Translatio cultu est
Aetatis flos vernus erit, si dico iuuentam
Quã defect⁹ intulit. *In primos vsus illam produxit egestas*
Principiò, nam verba inopes cum propria linguas
Deficerent, & ab ore lepos natiuus abesset,
Ascitas voces aliunde assumpsimus, at post
Trãslatae placuit sic gratia pulchra figurae
Vsus ornauit. *Vt quod inops primùm tulerat sermonis egestas*
Illud in eloquii pompam conuerterit vsus.
Vt primùm cùm membra rudi frigentia lanâ
Vestiuit mortale genus, non prodiga luxu
Comparatione sumptâ à vestibus. *Spectauit decora, aut fastus attendit honores*
Sed duras arcere hyemes, & frigus acerbum
Comprimere, & gelidos voluit mollire rigores.
Ast vbi luxuriem lasciua superbia vexit,
Non iam ipsi vel lanae ouium, vel vellera Serum,
Aut molles Babylonis acus, Tyriiue labores
Sufficiunt, Nerei iam vasta cubilia fullo
Piscaturus adit vestes, pompámque togarum
Compositis affine Tropis problema, quod olim
De problemate. *In mensis posuere patres, ne iurgia, néue*
Cognatas premeret contentio persida mentes,
Dum tumida infuso biberentur pocula Baccho.
Praecipuè incertas agitant Aenigmata mentes,
Ænigmate. *Multiplici contorta sinu, quae nodus & anceps*
Maeander ligat, & variis ambagibus vrget
Quippe aliud sermone ferunt, quàm mente, requirunt
Propterea enode ingenium, Oedipodisque vigorem.
Nam Sphynx in medii degens horroribus antri,
Et vastâ sub rupe sedens adeuntibus anceps
Propositum tulit; Ecquid, vbi sol lumina primùm

Explicuit

Explicuit, radiósque rotis inuexit in orbem
Quatuor incedit pedibus, cùm scandit olympum,
Et medio Titan micat aethere, forte duobus
Ambulat, at cùm sera diem iam vaspera claudit,
Cogitur infirmum ternis incedere plantis
Ignaros portentum horrens laniabat aduncis
Vnguibus, aut altâ laceros de rupe ruebat,
Donec vafritiem, & commentum ignobile soluit
Oedipus, illa suae secreta recondita fraudis
Euolui endignata, ferae se è culmine rupis
Iecit praecipitem, perque ardua saxa rotauit.
Quis glaciem expressam non sentiat? Ipsa coacta
Sto iam, quae fluidis currebam passibus antè, Glacies.
Nata, simúlque parens, eiusdem nata, parénsque
Eiusdem, cùm sum, sum tunc immobilis, at cùm
Desino, tum durae per deuia confraga rupis
Curro, vel accliuis spatiosa peraequora campi.
Enoda quid sit quod carmine claudo sequenti,
Non ego vel teneros robustis dentibus agnos
Mando, vel ambrosii contracta coagula lactis,
At fratres ego rodo meos crudelior, & me Lima.
Illos ferali quamuis absumpsero morsu,
Deformat macies semper tamen horrida, quò plus
Exedo, fio minor, maior me deterit esus
Haec est lima; sequens pandet tibi versus aratrum.
Ore ensem, gladiúmque fero, quo viscera matris
Traiicio, non propterea mors tristis ab ictu Aratrũ.
Insequitur, quin vita truci de vulnere surgit
Plenior, & tales propter fit fertilis ictus,
Antè infertilibus languescens fructibus aluus;
A tergo mihi rector inest, caudámque prehendens
Me regit, & celeres recto quo tramite cursus
Expediam, non me, ast alios impellit a umen.
Aenigma egregiis Emblemata pulchra figuris Emblemate.
Attingunt; Pictura simul, mollisquePoesis
Componunt Emblema; Malae sic lubrica pictor
Fortunae momenta sua descripserat arte.
Ponticulum struxit, geminas qui iungere camu

Aptus erat, quas inter erant abrupta locorum,
Et salebrae, scopulique truces; Imponitur illic
Nutanti vir sede sedens, quem florea cingit
Meßis, & aligeri circumfunduntur Amores,
Sed dum illum complexa souet, stringitque voluptas,
Ponticulum fortuna secat, ruit ilicet omnis
Splendor, & abrupto labuntur gaudia ponte.
Haec pictor; tabulae vates subscripserat imae.
Quid vanas iactamus opes? quid inania rerum
Arbitria? aut fluxae simulacrum vmbratile sortis
Poscimus? & magna fastigia splendida pompâ?
Quid celsos apices? titulisque decora superbis
Stemmata? quid longâ ductos ab origine Patres
,, *Ambimus? cùm cuncta fluant velut vmbra; leuísue*
,, *Aura? vel vt vanâ fugientia somnia nocte?*
,, *Nulla in fucato residet fiducia fastu,*
,, *Nulla in honore fides, sed saepe feruntur in altum*
,, *Res hominum, illustrique loco ponuntur, vt inde*
,, *Exitio grauiore ruant, ne fide quieti*
,, *Quisquis es, & placido dubita te credere ponto,*
,, *Momento mutantur aquae, & mare mobile se se*
,, *Vertit, vbi lusere rates, has naufraga eodem*
,, *Absorbent ibi fata die, quos saepe benignâ*
,, *Effinxit Fortuna manu. quos gesit in vlnis*
,, *Mollior, his infida pedes imponit, humique*
,, *Sternit, & exuto miseros exsibilat ostro.*
Hæc *scripsisse mihi sat erit praecepta figuris;*
Catachresi *Námque quid aut mollis docto Catachresis abusu?*
Aut flexu formata nouo noua fictio vocis.
Metalepsi *Aut quid multiplici Metalepsis imagine gaudens?*
Aut quae per Causas effecta, per edita Causas
Synecdoche. *Innuit effecta, & circum per stantia rerum*
Naturas, voluenda mihi est? Quid Hyperbatos? *aut quid*
Ironia fouens fraudes, quae verba, fidemque
Fallit, & incautos instructâ decipit arte
Ironiâ. *Fucatis innixa dolis? Quid* Hyperbole *in altum*
Hyperbole. *Culmen, & in tumidos gradiens Transgreßio fastus?*
Quid mihi circuitus, longóque Periphrasis orbe

Prolixo dicenda sono? Quid Zeugma loquendum est?
Te quoque clatratas inclusa Parenthesis inter Parẽthe-
Lineolas, & Te Digressio pulchra tacebo, si.
Téque etiam dominâ truncantem verba bipenni
Syncopa, & in vocum gremio mutila exta secantem, Syncope
Et Te fœcundo quae crescis Epenthesis auctu.
At non Te eximii decoris pulcherrima mater Epẽthe-
Sermonis lux prima, iubar spectabile linguae si.
Collectis quam multa Tropis Translatio cogit
O Allegoria obuoluam; Tu verba ministras Allego-
Grandia, Tu magnos confers ad Rhetora comptus riâ.
Ecquid enim si fortè graues narrabo tumultus,
Regnorúmque vices, populúmque in bella ruentem,
Grandius esse queat, quàm si sublimia secter
Sensa Allegoriae, & verbis audacibus vtar?
Iampridem Te Nauis, atrox immitibus Euris
Æquor, & infestae cœlo latrante procellae,
Et tristes pepulere Noti, iam fracta laborant.
Carbasa, iam rupti vento gemuere rudentes.
Dissiluit fractum latus, atque immanibus vndis
Instat hyemps, vastóque vorat Te naufraga ponto;
Littus ama, & tutos securior elige portus.
Non tamen haec tibi sola, Puer, stet cura, nec omnem
Te numerum expleuisse puta, quamquam omnia menti Caput 8.
Grammaticae praecepta feras, grauiora requiro de lin-
Officia, & potiore velim te munere fungi. guarum
Ergo tibi facilis dum vis est apta cerebro, studio.
Posticósque sinus capitis memor imbuit humor,
Nobilium varias regionum agnoscere linguas
Cura sit, & multâ linguam variare loquelâ;
Non ego multiplicis pracepta per omnia linguae
Te deduco, Puer; Quis enim nisi munere Diuûm
Fictus, & ex alto cui riserit aurea cœlo
Mnemosyne, Charitûmque cohors, & cura sororum!
Cuncta tenere queat variae fastigia linguae?
Ne praesume omnes igitur, ne te labor ingens
Terreat, occludátque aditus, sed parce labori
Cautior, inque aliquas tantùm conamina confer.

Itala & Hispana Gallis cōmoda.

Gallū Itala, atque Hispana decent, hanc magna tuetur
Et grauitas, & pompa; illam coluere lepores,
Philtráque fœmineas non ementita loquelas.
Inde tibi documenta petes, hic quippe diserti
Rhetores, & celebres scriptis viguere Poetae,
Quos tibi, ni pateant vtriusque sacraria linguae
Effugies, magniqueferes dispendia cultus.

Latinā præsertim & Græca necessariæ.

Ast omnes inter, linguae tibi cura Latinae
Haereat, & Graiae; inque ambas transmitte labores.
Has Charites, facilisque lepos, plenáque venustat
Vbertate decor, non illis cultior vsquam,
Non illis toto facundior extitit orbe.
Mel illas, dulcisque fauus, nectárque benignum
Imbuit, his molles cultum imposuere Camœnae
His olim Imperium, his olim doctrina locuta est.

Vt& Hebræa perutilis

Nec te etiam Hebraea secreta asperrima linguae
Ignorare velim, hanc canens reuerentia cingit
Hanc magnus commendat honos, grauitásque coronat.
Non aliter celso stabunt vbi corpora cœlo
Ora locutura, aut alias habitura loquelas
Crediderim, hebraeo Superi sermone loquentur.
Non aliā Deus ipse loqui, sub nobile mundi
Principium, & Iuuenis primaeua crepundia terrae
Aut voluit lingua, aut aliam diuisit Adamo,
Per multos quam deinde annos in longa Nepotum
Tempora, & in charos transmitti iussit alumnos
Intactam, donec veterum temeraria patrum
Nisu incomposito varias audacia linguas
Confundit, solitúmque adimit vesana tenorem.

Caput 9. digressio de linguarum cōfusione.

Campus erat, primo cui splendida pandit ab ortu
Flauentes Aurora comas, de nomine dictus
Sennaar; hic fluuiis latè perfusa patebat
Planities, laetis herbarum ornata coronis.
Hunc è finitimis descendens montibus ingens
Turba virūm est ingressa, manum Nembrothus agebat,
Ad quos audaci sic dicitur ore locutus.


Nēbrothi

Chara phalanx Comitum, Generis pars maxima nostri,
Relliquiae vndarum, & mundi redeuntis origo,

Scitis vt è magnis e ruperit vnda cauernis
Eque maris crudeli vtero, cœlique lacunis
Eluuio immensas vastauerit impia terras. Oratio impia.
Non tumulus, non collis erat, non ardua montis
Culmina, quae tutas miseris mortalibus arces
Praeberent, omnes scelerata canalibus auctis
Vnda sequebatur, vastóque vorabat hiatu:
Quid si iterũ Deus ille, hominum saeuissimus hostis
Quem grauior natura mouet, quemque ira gubernat,
Immanes effundat aquas? & operta redudat
Aequora? & immersas vndis absorbeat oras?
Nos saeuis mergemur aquis, & atrocia, vt antè
Insontes subiere patres, nos fata subire
Cogemur, miserique feris moriemur in vndis?
Quare agite, ô Iuuenes, vestrae vos cura salutis
Tangat, & in casus fomenta parate futuros
Insanam turrim, tumidum quae culmen olympo
Æquet, & aethereas audax aspiret ad arces
Extruite, inque ipsam fastigia ducite Lunã.
Vt si fortè iterum terris incumbat opertis
Oceanus, validósque iugis inuexerit aestus
Huc velut in certum tuti possimus asylum
Confugere. & saeuis animam subducere fatis.
Dixit, & has rabido euomuit de pectore voces.
Ast alii, quorum haud melior sententia menti Excitans socios ad turrim excitãdã.
Haeserat, assensere duci, & clamore secundo
Sacrilegi excipiunnt infamia dicta Gigantis.
Iam video instare artifices, iam saxa fodinis
Auelli, & propriis discedere marmor ab antris.
Ponderibus iam plaustra gemunt, iunguntur equorum,
Et parium iuga multa bouum, iam saxa domantur,
Auditurque frequens repetito malleus ictu.
Iámque ferè in medias surrexeras ardua nubes
Machina, & aetherum moles tendebat in orbem;
Iam malesana cohors vetitis successibus axi
Laeta minabatur, celsúmque petebat Olympum;
Cùm mediâ de sede Deus temeraria vidit
Consilia, & tumido conamina iuncta furori

Risit, & haec secum; Miseri, quid quaeritis vltro
Exitium? quid vos in aperta pericula fertis?
Num satis est, subiisse graues ob crimina fluctus?
Eluuiémque fretúmque, & aquas hausisse tumentes?
Cœlesti flagrare face, atque vltricia vultus
Deũ mouet ad ad vindictam. *Tela pati? accensisque caput supponere flammis?*
Quas ego si! sed sancta meos clementia sensus
Mitigat, & iustas aufert à crimine pœnas.
Par crimen si deinde redit, grauiora feretis
Supplicia, & vestrum scelus vltio digna manebit.
Haec secum irato tacitè sermone volutans
Descendit Deus axe, Noti posuere minaces
Descendente Deo, & Numen stupet arduus Æther
Ille vbi sacrilegae surgentia mœnia turris,
Et nisum audacem, atque malae molimina pubis
Aspexit procul, & crescentes aere pinnas
Haec fudit, dominóque minas denuntiat ore
Nam quis Te Nembroth importunißimus ardor
Audaces tentare vias, & in Æthera niti
Impulit? inque polum tumidis adrepere votis?
Quò moles insana domus? quid grandia saxis
Saxa? quid aggestas scopulis malus inuehis arces?
Si petis ætherei flammantia sidera cœli,
Arduáque intentis optas conatibus astra,
,, *Hac astra haud adeunda viâ, virtutibus astris*
,, *Itur, & in magnos Pietas se subuehit axes.*
Ne se igitur sociorum audax dementia fundat.
Leuem illã quidem. *Longius, & sceleri scelus impia turba ligetis;*
Tanto equidem decerno leues pro crimine pœnas,
Se vestræ dirimant linguæ, nec amicus amici
Sensa, nec effusas valeat comprehendere voces
Dixit, & in superas se rettulit arduus arces.
Ad linguarum confusionem. *At Nembroth, sociisque rigens pauor iuit in artus,*
Contremuere animis, stupor ingens pectora pellit,
Ilicet hic sermo varius, diuersus ab omni
Ore fluit sonus, & peregrina locutio labris,
Ignotúmque idioma sedet; Confusio linguas
Occupat, & disturbat opus, cœptúmque laborem.

Frangit, & externas populum dispergit in oras.
Inde per innumeras eadem Confusio gentes
Se tulit, & quæ pœna fuit, iam clara putatur Quæ deinde cessit in gloriam.
Gloria, iam censetur honos, & creditur ille
Nobilior, plures potuit qui discere linguas.



LIBRI SECVNDI

PROLVDIVM.

ARduum imprimis & laboriosũ est Oratoris institutum, nec vnquam ad artis tantæ dignitatem aspiraturum ille se credat, nisi quem magna spes & exaggeratus animus summâ cum sedulitate coniunctus ad studia laborésque deduxerit. Non enim Eloquentia sicut cæteræ scientiæ rerum aliquarum ambitu & termino præfinitur, sed laté per omnium rerum genera, & totam hanc vniuersitatem peruagatur. Reliquarum artium professiones limitibus suis lineis que descriptæ videntur, Arithmetica numeris, Geometria figuris, Pictura coloribus, Musica sonis, Medicina morbis circumscripta tenetur. At vero Oratoris Ars vagum quiddam & immensum est, generoso conatu, & ambitione laudabili extra omnes gyros sese proiiciens in omnium argumentorum veluti infinitate versatur.

Quare de ijs omnibus quædam nobis tradẽda præcepta videntur, si tamen ante aliquas præexercitationes, & quasi progymnasmata, in quibus sese futurus Orator exercere debet, indixero. Nihil enim Natura voluit perfici citò, præmisítque operum pul-

chritudini difficultatem. Illas autem futuri Oratoris exercitationes fieri velim inter socios, & cui olim in ore populi, in conspectu senatus, in mediâ Reip. luce versandum est, iam à puero incipiat gaudere publico, cum hominibus consuescere, in eorúmque societatem innecti. Qui enim lucis refuga se in vmbras immerserit, & in secretorum velut opacum puer recesserit, cùm tandem in solem prodeundum erit, & in medium studia proferenda, caligabit insuetus lucis, in quam oculi imbecilliores offendunt.


Quamuis in mediis habitent Permessides antris
Colántque montes asperos
Non tamen à setpsis fugiunt, aut lumina vitant,
Nec inter alta culmina
Conduntur; sed luce palam socia agmina ducunt,
Blandisque laetantur choris,
Et sibi opem, auxiliumque ferunt, haec pectine molli
Lyrae sonantis mortua
Filat animat, tractátque fides, haec carmina fundit,
Auresque voce mitigat
Illa graues Heroum *iras, sanosque tumultus,*
Et dira bella concinit.
Sic quod abest vni, tenet altera, & omnia iunctae
Possunt, diremptae perparum.
Ipsa quoque in studiis exquirunt Numina legem;
Hanc vitet incautus puer?

Priùs tamen Oratori nostro nomen imponemus, nec diu in inquirendo immorabimur; Callistum enim idest pulcherrimum & optimum nuncupabimus. Neque enim alium nisi quem animorum cultus morúmque Religio temperauerit, ad facundiam aspiret. Clearchum ad se accedentem in somnis scientia deterruit, monuitque Academiâ excederet; quorsum? Impius futurus erat. Sacra est Eloquentia & Dea, ideò sacerdotes & Flamines

Ex photio.

postulat

postulat, idest puros, castos, & integros adolescentes; Manibus sordidis non licet sacrum hoc attrectare Palladium, si quo scelere se maculauerint, flumine viuo anté abluendæ sunt, quàm sancta illa diuinitatis imago tangatur. Ad aras suas & adyta accedere non patitur Dea castissima cultores immundos, qui sibi quidem thus & odores incendant procliui mente, sed alienâ voluntate. Callistus ergo erit noster Orator morum serenitatem cum mentis felicitate coniungens.



DE ADIVMENTIS & præexercitationibus Oratoriis.

LIBER SECVNDVS.



Ifficiles Doctrinæ aditus, & prima Mineruæ Propositio libri.
Munera, & infantis puerilia pensa laboris
Ancipitémque viam, & tenuis primordia curæ
Strinximus, & cultâ faciles digessimus arte.
Iam verò, Calliste, Tibi quia robur & ætas
Creuerunt, ita crescat onus, melioráque vota
Concipe, iam tempus molles accedere Musas,
Iam studium Te suaue vocat; perge ocyus, omnes
Rumpe moras, iter ecce regam, tibi tramite certo
Securam monstrabo viam, si faxit Apollo,

Excipiántque meos Parnaßia Numina nisus.
Ac primùm rectos ad opus conferre labores
Caput I. de fine ſtudiis conſtituendo.
Inuigila, & iuſto ſtudium concluderefini.
Hanc etenim legem, & conſtantia fœdera rebus
Praeſcripſit Natura Parens, vt quaeque futuro
Praefigat rationem operi; ſic ignis in altum
Tendit, & in cœli ſe rectus acuminat orbes
Vt propriis ſiſtat ſe ſedibus; Arbor inhaeret
Fixa ſolo, ſuccúmque trahit, quò frondeat, & ſe
Induat in fructum, laetáque ſuperbiat vmbrâ
Hoc igitur de more, operi, ſtudiiſque futuris
Praefinire modum decet, & praetexere Cauſam.
Malè qui curioſitatē ſtatuunt.
Sunt quibus auguſto diuina Scientia cultu
Grata ideò eſt, vt multa ſciant, arcanáque rerum
Rimentur, Cauſáſque adeant, Effectáque lustrent.
Sunt quos quæſtus iners mouet, & compellit ad Artes
Spes vilis meditata lucri, doctæque palaeſtræ
Propterea inſudent, clausâ quò merce crumenas
Emungant, pretióque humili cœleſtia vendant
Dona Deûm, addicántque ſacris lucra turpia Muſis
Malè qui inanem gloriam.
Sunt quos vanus honos, & inanis ludicra famae
Ad ſtudium ſublime trahant, mentémque ſuperbam
Inducant Muſarum adytis, vt in ore virorum
Verſentur, vanaéque legant ſuffragia laudis.
Illa palam, Calliſte, veto, quin erige mentem
Optimè illi qui Dei honorem.
Altiùs, & fini ſtudium meliore corona
Numinis vnus honor Te dirigat, artibus adſit
Hic ſcopus, illa tuo figatur meta labori
Ille tuum felix opus inſtruet, ille fauebit:
Ingenio, ille tuas facilis deſcendet in artes.
Ergo cùm primùm tenero tua membra cubili
Mane nouo, cùm necdum ardens inuexerit orbi
A quo petendū auxilium
Eoas Aurora faces, noctémque fugarit,
Extuleris, Tu pone genu, ſuppléxque pudicas
Ad ſuperos extende manus, & talia funde.
Chriſte decus Diuûm, & cœli ſpecioſa voluptas,
Oratione habitâ.
Chriſte Deus, cui noſter amor, cui noſtra dicantur
Et ſtudia, & viuâ praecordia ſplendida flammâ

Respice me, & si nostra placent Tibi vota, precésque,
Et desiderium, atque animi castißimus ardor,
Affer opem, ingeniíque fauens illabere venis.
Te sine nec puros niuea virtutis amores,
Nec studii obscuros inuestigare recessus,
Nec libros penetrare queam, si tramite recto
Certa per ignotos ponam vestigia calles,
Me regis, & cæcâ rerum me ducis in vmbrâ.
Te sine nil mens nostra potest, O Lampas Olympi,
O cœli nitor alme, patris mirabile Verbum
Doctrinæ fons ample, faue, quique alta Polorum
Culmina, & Angelicas perfundis lumine mentes,
Qui radio meliore micas, cœlestibus orna
Artibus ingenium, atque tuis virtutibus auge,
Non flauas peto Gangis opes, non nobilis Hebri
Diuitias, sed sola animum Sapientia cingat.
Et sat erit; si Tu dederis, per munera iuro,
Non fluxas sectabor opes, non futilis vmbras
Nominis aut titulos fugientum amplectar honorum;
Tu voti spes vna mei; Tu meta laboris,
Tu studii scopus vnus eris; Tu terminus oti.
Inde quoque intactam votis venerare Parentem, Et à Virgine Matre Verbi
Et crebris supera precibus, sic ardua rerum
Attinges capita, & studii magna arte frueris.
Quamuis obscurae caeca argumenta tenebrae,
Inuoluant, & nigra animos premat vmbra latentes;
Illa facem menti pia praeferet, illa subactum
Sternet iter, doctásque dabit fœcundiùs artes.
His postquam Regémque poli, castámque parentem Caput 2. de diligentiâ in studiis.
Flexeris, & crebris placaueris aethera votis,
Incumbes studioso operi, chartásque reuolues,
Iungens nocturnas ad pensa diurna lucernas.
Ac veluti artificis neque iners, neque languida cura
Angustus cui victus adest, cui tenuia census Exemplô ducto ad artifice.
Commoda, qui vitam rigido tolerare labore
Cogitur in seram fouet ignea lumina noctem,
Noctem addens operi, dilectae vt coniugis aeuum
Curet, & incensa effœtos alat arte Parentes.

Sic volo Te si pulcher honos, & gloria tangat
Excubias agere, & nimiam fraudare quietem
„ Somnus enim capiti nimius nocet, & premit artes
„ Somnus, & angusto medium decerpit ab æuo.
Nec Te etiam permitte premi, & quãquã aspera sese
Principio obscuret, latebrasque Scientia quærat,
Perge tamen, nec Te intereà remorentur euntem
Ancipites aditus, arctique in limine flexus
Ab effossore thesauri. *„ Audax principium supera, extricata sequetur*
Res tota, atque omnes soluent se sponte tenebræ
Qui flauus rimatur opes, & diuitis auri
Lumen, & effoßis thesauros quærit in antris,
Incœptum si ponat opus, lassáque recuset
Saxa vltrà remouere manu, spe decidet, at si
Altius effodiat, fului se vena metalli
Fundet, & egestâ terræ ridebit in aluo.
Caput 3. de vitãda consuetudine. *Vnum autem imprimis iterúmque, iterúmque monebo*
Non quò ludorum illecebras, & honesta iocorum
Interualla negem, vel blandimenta repellam.
Quippe vel ardentes proiecto corpore saltus
Vel cursus celeres, si frigidus ingruit annus,
Improborum. *Exercere potes, vel aperto in gramine discum*
Mittere, vel versare pilas, & crate subinde
Pellere, & impulsas obstante repellere crate
Te quoque eburneolis permitto latronibus vti,
Aut tessellatis patior gaudere figuris
Vnum ergo imprimis moneo, ne Te improba tangant,
Si qua aderunt exempla, malæ neque turpia Pubis
Te deploratâ lædant consortia noxâ.
„ Quò nolis Te exempla trahent, & ad impia cogent
„ Crimina, & in prauos impellent pectora mores,
„ Præsertim hoc flexu ætatis, qui cereus omnem
„ Vertitur in formam, & variâ fit Protheus arte.
„ Non tot pinna volans torquetur in aere gyris,
„ Non tot flexilibus mutatur arundo procellis,
„ Non fluit incertum & refluit tot fluctibus æquor
„ Quot prima in dubios ætas inflectitur æstus.
Sæpe etiam Iuuenes cultu quos finxerat almo

Ingenium, & castâ decorauerat indole cœlum,
Languentes hæsisse notauimus, & mala morum Quia exẽ-
In studia inflexisse sinum, & fœdasse medullas, pla faci-
Cùm primùm infrenæ consortia fluxa Iuuentæ lé serpũt
Flexibiles coiere, atque assuetudine crebrâ
Deposuere pias mutatis moribus artes. Et cor-
Sic cùm nectarei primæuo tempore veris rumpunt
Alma Ceres latè fœcundo exultat in agro, mores.
Ventura spe messis ouant, & gaudia ducunt Ductâ si-
Agricolæ, inque amplas componunt horrea fruges. militu-
Si vel turbati dura inclementia cœli, dine.
Aut superûm grauis ira Deûm, aut fallacia terræ Ab her-
Pestiferam herbarum saniem, loliúmue, rubósue, bis in-
Aut infelicis labes immittat auenæ, frugife-
Sperata emoritur seges, & concepta coloni ris.
Vota cadunt, languentque effœto gramine culmi.
Ante autem, quàm pronus eas in pensa Suadæ Caput 4.
Difficilésque vias, & grandia munera tractes, de natu-
Naturam explora; neque enim nisi Rhetor ab illâ râ futuri
Quaesierit blandi placidum diploma fauoris oratoris.
Proficiet, sed abibit iners labor omnis in auras.
Quisquis ad eloqui iustos aspirat honores Cuius or-
Naturæ ornatus habeat; non plura per hortum namenta
Florea cum vernos exceperit area soles
Serta decet turgere, polo non plura sereno Sunt va-
Astra, nec accensos splendescere conuenit ignes. ria
Primùm illi iustâ stent membra venusta figurâ Secundũ
Non vitio enormes artus, non debile corpus, corpus.
Sed quod forma decens, & pulchri vestiat oris
Integritas; non illa quidem quæ blanda puellas, Pulchri-
Fœmineásque nurus decorat, sed nobilis, & quæ tudo vi-
Grandia regalis tangat confinia formæ. rilis.
Exultet vegeti generoso robore succi,
Constantésque gerat maturo corpore vires, Sanitas
Non quales Athleta toros, non qualia membra constans
Miles alit mediâ decertaturus arenâ,
Rhetor alat, sed quae studiis sublimibus æqua
Sufficere, impositósque queant tolerare labores.

Lingua expedita

Quid verò linguam memorem? quae portio prima est
Rhetoris, huic sacuos populi sedare furores,
Huic motus fraenare datum est, dominatur in armis,
Infractásque acies in praelia dira remittit.
Insontes iuuat illa, reos premit illa, Senatum
Illa mouet, regit illa forum, plebémque gubernat.
Illi igitur velox sit lingua, sit aequa, fluénsque,
Non rudis, intortâ non intricata loquelâ,
Non hærens, non balba, omnes sed libera voces
Fundat, & in nullo luctans sermone laboret.

Vox clara.

Vox autem teneræ cultissima filia linguae
Explanata fluat, stet candida, & alta, niténsque,
Non fusco cognata sono, non aspera, non quae
Effluat in nimiùm tenuem contorta tenorem
Aut in depressos nimiùm tonet horrida flexus,
Sed media inter vtramque sonet, confinis vtrique,
Virtutes vtriusque habeat, sed crimina vitet.

Anima seu pulmo laxus

At vocis fultura Anima, adiutórque loquelae
Spiritus, angusto n n includatur in ore,
Non intercisâ ducatur pendulus aurâ,
Nec tenui è iugulo, nec faucibus exeat arctis,
Sed fluat è lati pulmonum follibus, vt sic
Longior in multos valeat se extendere versus,
Circuitúsque amplos vno decurrere flatu.

Secundũ mentem.

Externae hae dotes, intus meliora repono
Praesidia, & megnis sedem virtutibus orno.
Ingenium volo forte, sagax, affine vigori,
Et promptum, vegetúmque. calens cui industria motũ

Ingeniũ viuax.

Conferat, & viuos agitet solertia sensus
Non illud vel pigra lues, vel inertia torpens
Deterat, aut segni languens ignauia passu
Distineat, vetitáque mora, pedicisque retardet.
Segnities cunctas ignobilis opprimit artes;
„ Innatosque satus elidit; at ignea contrà
„ Sedulitas, Ardórque animi decus omne ministrat.

Intelligẽtia nobilis.

Sit vasto Mens laxa sinu, & spatia ampla polorum,
Occeanúmque immensum aequet, qua grandia semper
Ornamenta legat, quaéque ardua cuncta sequatur,

Et magnae capita alta rei, quâ angusta repellat,
Quâ temnat strigosa, humilis quâ vilia Causae
Fundamenta premat, quâ luxuriantia vitet.
Praetereà matura peto momenta senilis Iudicium singulare
Iudicii, pondúsque grauis spectabile sensus.
Quo sine non dicenda feret, dicenda silebit
Inscius, & quaecunque decet stare antè, iubelit
Postponi, quae fortè sequi iuuat, illa praeire
Imprudens volet, & confusus in ordine recto
Nesciet incertae vestigia figere plantae.
Nam memores quid dico sinus? fidosque tenorum Memoria felicissima.
Custodes, rerumque? manu quos diuite promit
E loculis Natura suis; nisi námque fouebit
Mnemosynem, ieiuna premet penuria linguam,
Sermonisque rudes rigor asper abibit in artus.
Virtutes Naturae, Artis praecepta tuentur, Caput 5. De Arte.
Et tollunt in maius; opus vix maxima vidit
Natura, egregiâ quod non poliatur ab Arte
Nauita veliuolae si membra frementia cymbae
Aequoreis committit aquis, clauóque magistro
Per scopulos, tumidique regit per caerula fluctus,
Audaci regit Arte ratem; si sessor habenas,
Si currus Auriga mouet, tortóque flagello
Flexibiles impellit equos, Ars lora gubernat,
Ars fraenos regit, Ars celeres domat apta quadrigas. Necessaria in omnibus.
Innumeras acies, pauidique pericula belli
Praestanti dux Arte regit si congrua morbis
Hippocrates foment adhibet, somenta per Artem
Ponit, & accensae cohibet contagia febris.
Arte Mathematicus sublimia sidera nouit, Humanis operibus
In tabulas fluit Arte color, seges Arte per agros
Spargitur, Arte domus, & magna palatia surgunt.
Si fidicen, tenerásque lyras, citharámque sonantem
Tractat, & imposito fundit modulamina plectro.
Argutas Ars docta fides, citharaéque sonantis
Fila mouet, blandique animat spiraminat plectri
Quin etiam brutis animantibus inditur Arte
Ingenium; Quid enim Merulis, Picisque loquelam

Contulit? humanaéque dedit commercia vocis?
Quæ ad bruta se extendit *Quid prædatricum crudelia rostra volucrum*
In socias emittit aues? quid deinde reducit
Assuetæ sub iura manus? quid carnea monstra?
Quid vastas Elephantum arces agitare choreas
Erudit? & numerosa pedum vestigia monstrat?
Quid Tygres? tristésque Lupos? sæuósque Leoaes
Deposita feritate docet? nisi commodus Artis
Vsus? & inducti crebra assuetudine mores?
In reliquis Ars tanta potest; & Rhetor ab illâ
Praesidium trahet; Artem igitur, Calliste, vereri
Te iuuet, & documenta sequi praescripta per Artem

Caput 6. De exercitatione

Ergo frequens compone, frequens nam scriptio nutrix
Eloquii fœcunda, parens & culta suadae est.
Sit frequens, cōparatione factâ cum agro. *Non aliter quam cum rastris, validisque iuuencis*
Sollicitatur humus, pérque arua feracia vomer
Imprimitur, crebróque gemunt sata pinguia tritu,
Pleniùs exultant messes, tellúsque comatur
Vberiùs, multóque nitet seges aurea cultu
Sic vbi continuae stylus impiger hæserit Arti
Assiduéque illum limauerit apta laboris
Cura, tubo meliore fluet, potioráque reddet
Commoda, & in placidos audax excrescet honores.
Plena meditationis. *Multo igitur, Calliste, animo meditare, nec omnes*
Quae primae sub acumen eunt, admittere curas
Te decet, has expende vigil, limáque seuerâ
Corrige, nec facilis cunctos amplectere sensus.
Ipse grauis Tibi Censor eris, mutilumque tenorem
Laxabis, stringes diffusa, tumentia coges,
Sit seuera. *Distingues confusa, premes errantia, pressa*
Sensa stylo maiore feres, animabis inertes
Viuaci sermone modos, dubiósque recludes.
Castigata. *Luxuriam castiga omnem, quódque effluit extrà*
Coge, nisi facies, incongrua multa necesse est
Serpere, & eloquii teneros turbare nitores.
Vt puro de fonte fluens per mollia riuus
Prata, per & placidos vernanti gramine campos
It vitreis illimus aquis, dum se ipse coercet,

Nec de praescripto turgentior effluit alueo ;
Sed cùm vel pluuio cæli tumefactus ab imbre,
Montanis vel adauctus aquis sua claustra subegit
Impatiens, ripásque fugax contempsit inanes,
Sordentes tùm verrit agros, luteúmque per arua
Colligit humorem, qui purus & antè fluebat, Comparatione sumptâ à fluuio exūdātē.
Imperturbatâ voluens sua flumina lymphâ,
Nunc sordes limosus habet, secúmque coactam
Deuehit illuuiem, in proprios dúm se inferat alueos
Haud aliter, nisi multa tuae lasciuia mentis
Depascatur, erit; quippe in tua scripta veternus
Incurret, totúmque operis fœdabit honorem.

Scribe citò, modò ritè; minùs si praepete cursu
Ritè queas, ne scribe citò; qui multa loquetur,
Nec tamen opportuna loco, vel congrua Musis,
Non Orator erit, sed garrulus; ordo probatis, Sit seria.
Iuuentis addenda fides, facundia verbis.
Ingenio ne applaude nimis, sed semper habenas
Dirige, & impositis astum compesce lupatis
Ac veluti generosus equus, nisi doctus habenas
Sessor, & inductos cauto moramine fraenos
Comprimat, in praerupta volat, per & inuia fertur
Indocilis, nec seipse regit, cursúmue gubernat
Sic nisi Iudicii direxerit omnia norma,
Eloquii cadit omne decus, pereuntque labores,
Nullus & è magno sequitur conamine fructus.

Pauca tamen permitte Tibi, neque cuncta seuerus,
Praecipuè Tibi feruet adhuc dum mollior ætas,
Elidenda puta; strictâ non omnaia curâ Iuuenibus tamē paulò liberior stylus permittitur.
Excrucia, neque coge nimis, sed nobilis instar
Chirurgi laceros artus, & putria membra,
Non lanii de more seca, limámque prehende,
Non quae scripta terat crebróque asperrima tritu
Comprimat, at contrà poliat; sic mollibus annis
Permittes vndare stylum, & conamina fundi
Laxiùs & positos exire licentiùs orbes.

Grandior illa aetas pòst corriget, & premet omnem
Luxuriam, & calami anfractus compescet inanes. Compa-

ratione ductâ à musto.

Ac veluti cùm pressa nouis vindemia claustris
Vincitur, strictisque recens includitur alueis
Bacchus, ibi turget, calidáque tumentior irâ
Æstuat, indignóque dolet se carcere claudi.
Quaerit iter tumefactus, iter nisi detur apertum
Per rimas, tenuésque poros, graciléſque meatus
Exsilit, & si fortè moras obstacula nectant,
Inde tamen fugit impatiens, atque arcta refringit
Dolia & indomito rumpit carchesia nisu
Ast alios postquam mutato Consule fastos
Vidit, & aetatem passo tranquilla resedit
Spuma, furórque audax, intra sua claustra moratur.
Pacatus, nec abire cadis sedatior optat.
Sic aetas ardorem adimet, motúsque profusos
Sopito feruore premet; Te munera Suadae
Interea tentare decet, variisque polire
Scripta modis, & verba omni procudere nisu.

Vertãtur Græca in Latium.

Romanis da Graeca sonis, & florea per te
Indutam Latiis se cernat Achaia verbis
Fructus enim fluet inde frequens; Tibi quippe Pelasgi
Eloquii vis sensim aderit, rerumque supellex
Affluet, elataéque leges vestigia mentis.

Poëtæ soluãtur.

Te quoque per celebres sæpe ire iubebo Poëtas
Hos autem tantùm non volue, at vincula frange,
Et strictos dissolue pedes, & funde solutis,
Quae fuerant prius arcta, modis, hinc ardua sensus
Maiestas, atque augustae stat copia linguae.
Hinc sublimis honos verborum, hinc aurea surgit
Dictio, & heroo solers Inuentio cultu.

Caput 7 De Imitatione.

Imprimis euolue libros, quos Rhetores aureo
Eloquii scripsere fauo, quippe ampla parabit
Commoda, & ingentes Tibi lectio conferet vsus

Pręcipui imitandi inter Latinos.

Ergo tibi voluendus erit vel Tullius, *aut qui*
Puriùs à primo loquitur Sallustius *ore,*
Aut Cæsar, Pliniúsque *nitens, aut lactea blandi*
Vbertas Romana Titi, *vel pictus vbique*
Curtius, *insanique fuit cui cura* Neronis.
At si Te Francae tangit facundia linguae,

Aut Duuairæi *creber lege scripta, librósue*
Quos Cheronaeá rapiens Amiotus *ab vrbe*
Effecit Gallos, doctique volumina carpe
Perronii, *aut magni chartas attende* Salesi
Sillonúmque *oculis bibe sedulus, infer in vlnas*
Caussinum, *& compti scriptis assuesce* Malherbi,
Cultaque Saltesii *Te* Confidentia *pascat*
Et placeat Boschi *Tibi* Fœmina, Virque Farelli
Montroliique *sacros ne dedignare laborees*

Vt & inter Frãcos.

At princeps omnes inter Tibi magnus, at ille
Princeps Balzacij, *doctis eductus in vlnis*
Obseruandus erit, manibúsque, sinúsque tenendus,
Anterior non vidit opus facundius ætas
Vix visura sequens, nil est in Principe magnum,
Quod non Eloquii generosis viribus æquet.
Si belli curas, & atrocia prælia Martis
Laudat, & indomitas armatæ Palladis iras
Quod fulmen de nube volat vehementius? aut quæ
Altius æthereum se subuehit ales in axem?
Si pacis, legúmque fidem, si fœdera tractat,
Constantesque aperit speciosi iuris honores,
Splendorem de sole capit, sunt Balzace flores
Sunt gemmæ, sunt astra, quibus tua pagina fulget,
Inque characteres Tibi candida sidera cedunt.

Balzacii Principis encomiũ

Nunquam tot conchis Princeps Lusitanus Eois
Claruit, ex Indo nitidas cum littore merces
In portus Ithaci dites vexere carinæ,
Quot tuus exultat Princeps, ó Balzace, gemmis,
Sed gemmis, non quas spectabilis India mittit,
Piscis opus, fabricámque maris, cochleæque saliuam;
Sed quas ipsa suo Facundia gignit in amne,
Quas polit ingeniosa, suo quas instruit igni.
Nam quæ illi ingenii solertia? quantus in illo
Sermonis, linguæque lepos? quis splendor in ore?
Iudicii quod pondus adest? quod mentis acumen?
Et quanta electis struitur facundia verbis?
Ille Heros Xenophontis, *opes sortitus Achiuas,*
Et Graio cultu, atque ipsis indutus Athenis

Balzace magne tuo erubuit se à Principe vinci.
Si te igitur Franca tangit Facundia lingua
Fructus imitationis. *Hos euolue frequens, his vtere pronus, ad illos*
Accede, hos vigili Proceres amplectere curâ,
Sic vel nolentem Te par impellet ardor,
Et stylus, & culta asperget fragrantia linguæ.
Non secus atque Arabum qui mollibus ambulat agris,
Cynnameásque plagas Cilicum, Iudaáue tranat.
Montana, ad nullos quamuis intendat odores,
Et solum meditetur iter, tamen obuius illum
Afflat odor, naréſque vltrò vapor optimus implet.
Imitãdi ratio. *Hos autem Proceres imitaberis, altáque mentis*
Sensa pari cultu, & vestigia trita sequeris,
Quà tantùm ratione decet, nec grandia credes
Quae vanâ ambitione tument, nec pressa putabis
Virtutes imĩtãdæ *Exili tenuata stylo, nec inertia dices*
Simplicia, aut nimium temeraria, fortia finges.
„ *Saepe etenim affine eximiis virtutibus ipsum*
„ *Esse solet vitium, & sacras effingere dotes*
Nõ vitia *Cauto igitur perpende animo, ne falsa prehendas*
Pro veris, vanósque auro pro diuite fumos,
Nec, quia quem sequeris, magnus, tamen omnia in illo
„ *Continuò correcta putes, non magnus vbique est*
„ *Qui magnus, nullumque aliquo sine crimine nasci*
„ *Asperior Natura sinit, pulcherrima labes*
„ *Ipsa etiam Luna, ipse etiam contraxit Olympus.*
Sic autem, Calliste, tui virtute laboris
Imitari autẽ nou est exscribere. *Insignes imitare viros, quò æqualia condas*
Non eadem, nam seruus erit, quem nulla videbit
Pagina scriptorem, nisi dux anteiuerit author.
Ecquid enim propriae si nullâ indagine mentis
Quaesissent inuenta Patres, primisque suorum
Haesissent ipsi inuentis curisque parentum
Sed suis inuẽtionibus aliena ditare. *Haec habeat pretiosum ætas? Exilia nobis*
Antra forent habitanda, domus non ampla superbis
Turribus, aut magnâ laxata palatia pompâ
Induerent proceres etiamnum hirsuta caprarum
Tegmina, villosásque feras, non ostra; nec vndas

Nauta, vel aequoreas proſcinderet aere procellas;
Arboreae crates illum, truncique cauati
Deueherent riuos inter, tenuéſque per amnes.
Quippe Artes, ſi ſola, poteſt Imitatio nullas
Augere, aut primi ſuperare crepundia niſus.
Ad veterum monumenta tuos adhibere labores
Te decet, & curis ſimiles adiungere curas,
Quò meliùs praeſtare queas, ampliſſima rerum Caput 8. De Bibliothecâ Oratoris.
Materies quaerenda Tibi eſt, & multa ſubinde
Excerpenda ſeges; quare Tibi nullius vſum
Autoris prohibebo, malae niſi toxica labis
Fortè illum imbuerint, fœdoque errore notarint,
Propterea crebri digeſta volumine libri
Bibliotheca paranda Tibi, ſemota, nec inter
Clamorem, turbámque domus, quae lumen eoum Cuius locus ſit aptus Ortum ſolis inſpiciat & hortos
Excipiat, naſcénſque iubar, radióſque ſalutet.
Vernantes quoque ſpectet agros, pictaeque tapetes
Telluris, vel prata togâ veſtiea virenti,
Aut molles hortos, lauriqueſeracia rura.
Hic *ſint in longo numeroſa volumina Xyſto*
In thecas diuiſa ſuas; In principe cellá,
Sint *qui almá pietate Deum coluere, ſacróſque* Libri in illâ ordinati Patres.
Tractauere libros, mentiſque ſagacibus auſis,
Panderunt noſtri myſteria cœlica cultus
Quique Mathematicis ſtuduere laboribus, & qui
Diuerſas terrae Zonas, pontique remotos
Deſcripſere ſinus. & qui flagrantia cœli Mathematici
Sidera, & aethereos radio finxere meatus.
H*ic adſint grauibus qui fraena potentia morbis*
Iniiciunt Medici; Sophiam qui mente ſagaci Medici. Philoſophi.
Et ſcriptis docuere libris, quique ardua iura
Pontificum, & canones nouere, & fœdera Regum. Iuriſperiti.
R*hetoribus vicini adſint, qui principe niſu*
S*cripſerunt monumenta patrum; ſint veſte decorá*
Herodotúſq: *nitēs,* Xenophonq; *diſertus & audax* Hiſtorici
Thucydides, Cæſarq; *potens, Regúmque Magiſter*
Curtius; *hic* Tacitus, Liuiúsque *tenerrimus, & qui*
Expulſum Auſoniá Catilinam *enarrat ab vrbe,*

Facundóque rosas effundens Florus *ab ore*
Quique acri immittit Batauos Famianus *arena*
Haud impar primis Latiæ scriptoribus vrbis,
Et qui Romuleos afflat Maffæus *odores*
Hic quoque nobilibus sedes sit certa Poëtis,
Poëtæ. *Ars eadem quos pellit, ibi laudator* Achillis
Heroum tuba, Troiæ author, generosus Vlyssis
Nauta, ducum grauis incentor splendescat Homerus
Hesiodúsque *micans, & qui de nomine Pindi*
Pindare *nomen habes, cor* Apollinis, *Enthee vates,*
Euripides, Sophoclesque *potens,* Teiusq; *sacerdos*
Pieridum, Phœbique oculus, grandique cothurno
Argolicas ausi Senecæ *superare Camœnas,*
Illorúmque Nepos Lucanus, *& arduus altæ*
Papinius *clangore tubæ, &* Iuuenalis, *& acer*
Persius, *& blanda digestus* Horatius *arte.*
At cunctos inter pateat Maro, *quemque recepit*
Sæua Tomos *patria profugum de finibus ora,*
Non totus tamen, impuros, quos pinxit, Amores,
Procul impuri. *Scriptáque stigmaticis induci digna lituris*
Stare iube procul, & foribus ne admitte seratis.
Sit procul & spurci labes maculosa Catulli,
Indigni nempe qui legãtur. Ausoníusque *procul, casti qui carmina vatis*
Ausus in obscœna thalamos transferre Diones.
Denique cœlituum quidquid pugnabit honori,
Fœdabitue decus, mores aut polluet, arce.
,, *Virtuti nil obsit, emi vel magna recuset*
,, *Vtilitas, si virtutum iactura sequatur.*
Denique oratores *Adsint Rhetorici Proceres, præque omnibus vnus*
Tullius, *& magnâ* Chrysostomus *vnus in aulâ*
Sphæra globi. *Emineat, præsitque choro, sit mensa laborum.*
Exceptrix, multaque index certissima cura.
Geographica tabella. *Præterea Mundi effigies, Terræque figura*
In uarios diuisa globos pingatur, & altos
Sphæra polos simulans, & imago volubilis axis.
Caput 9. de studio publico. *Nolo tamen* Callíste, *tuas includere curas*
Et premere vmbrarum latebris. studia alta patescant,
Excipiátque tui schola publica pensa laboris.

Amplior hinc etenim fructus fluit, inde petuntur
Maioris documenta operæ, quippe optima nostros
,, Conatus exempla acuunt, alit ardua nisus
,, Gloria, virtutésque fouet lux inclyta laudis.
At contrà obscuris stat deses inertia claustris
Secessúsque nigros, arcanáque deligit antra
Illa etenim vmbrosas in sedem amplexa tenebras
Cymmerios propè clausa latet, quò nullius astri
Vel tenuis penetrat radius, sed turbida noctis
Occupat vmbra domum, & piceæ caliginis horror.
Illa leuem in plumam, atque exanguia strata recubens
Langoris stupidi soror, & germana soporis
Stertit iners, somnóque iacet quem lumine clauso
Aspicit amplectens, roremque papaueris optat
Egredere hinc, Callifte, *cupis qui sideris aurâ*
Liberiore frui, & stellati lumine cœli
Spectari propius; lucémque patentis Olympi,
Et turbam sociorum ambi, studiique sodales.
Hic etenim stimulos alacres capit æmula Virtus;
Quot comites studii numeras, sociósque laboris
Tot testes virtutis habes, decorisque patronos
Ex quo præcipuè studiorum Ignatius *arcem*
Obtinet, ingeniisque praeest, Musásque gubernat,
Illum Cantabricæ, *quâ parte* Guipofcoa *surgit,*
Vt sidus fudere plaga, primúmque futurum
Edidit extremo Genitrix castissima partu
Illi ad belligeros species fuit apta labores,
Dexteritas, neruúsque frequens, & congrua vultus
Forma, vigentem inter media, & media inter amātem.
Quâ simul & socios trahat, & perterreat hostes.
Nil illi charum præter decus, ardua bella
Poscit, & horrendis circumuallata periclis
Oppida, & obsessas ambit defendere turres.
Fortè per Hesperiam Francis exercitus armis
Ibat, & hostiles victor sæuibat in agros
Et Pompeio polim longâ obsidione premebat.
Iámque hostem excipere, & domitas iam dedere turres
Mens erat, aut furtim patriis excedere tectis

Melius studere.

Publicé quā priuatim

Vetern⁹ in vmbris habitat.

At gloria in luce.

Et gymnasiis publicis.

Caput 10. Digressio de sancto Ignatio Collegiorum fundatore.

Eius indoles.

Pompeio Polim defendit

Consilium cùm exosus iners fortissimus heros
Obstitit, obsessis redit in praecordia virtus
Septa forata parant defendere, mœnia multo
Iam tritu quassata, nouo tibicine firmant.
Intereà aduerso contrà conamine Francus
Et vallum quatere, & fractis conuellere pinnis
Mœnia, & ingenti turres aperire ruinà,
Et solidos vibrare globos, tormentáque ferro
Turgida, & accensâ glandes explodere flammâ.
Insilit vna, in saxum ingens resilitque, volánsque
Ignatii (tùm fortè arces generosus obibat)
Incidit in femur, ille graui tùm saucius ictu
vulneratur. *Labitur, exanguisque simul spes labitur vrbis.*
In ciues vnà cecidit metus, ostia pandunt,
Et murum attonitâ trepidi formidine dedunt.
At Francis, vbi facta via est, non ira, furórue
Imperat, armatis non stat vindicta lacertis,
Candida sed miti placuit Clementia sensu.
„ *Præcipuè* Ignatium (*virtus & in hoste probatur,*
„ *Atque infensa sui specie præcordia mollit*)
Illecebris & amore fouent, curántque referri
Instar amicorum charas genitoris in ædes.
Ille ibi, dum lentâ vis vulneris arte fouetur,
Lectioni librorum piorum. *Insuetus morbos, & tædia ferre medelæ*
Librorum accersit solatia, ficta volebat
Bellorum monumenta, quibus præcordia vanâ
Pasceret illecebrâ, atque aliquâ dulcedine tempus
Falleret, & leni premeret fastidia fraude;
Pro tali aucupio, vanæ pro peste tabellæ,
Abdicat bellorũ gloriam. *Subiicitur dulcedo libri, quo scribitur ardens*
Martyr, & inuicta certamina magna palæstræ:
Sanctorum quo exempla patent; exempla legebat
Ignatius primùm vt legeret, sed vt aurea virtus
Conciliare sinus, blandásque astringere mentes
Natiuo splendore solet, percurrere sensus
Vanũq; mundi choragiũ *Paulatim similis cœpit quoque gloria vitæ*
Et cur, inquit, ego renuam sic viuere, vt aui
Antiqui vixere patres? mihi fortè minores

Nobilitas

Nobilitas animos, aetas aut viuida praestat?
An quia praecessere, sequi pudet? optima semper
„ Est virtus, quaecunque via est, praestatque, vel inter
„ Extremos, virtutis iter, callémque tenere.
Est hic, est genius contemptor sanguinis, & qui
Pro vano toties subii certamen honore,
Pro magno pugnare Deo, cœlóque recusem?
Vitam *igitur mutare decet, saccúsque, cinisque*
In caput iniiciendus, atrox subeundus echinus,
Vita premenda, truci quantùm seruiuimus Orco,
Nunc tantúm imperiis alti reddamus Olympi
Decrerat, sed mox commotior; ergo Tibi ille,
Ille Tibi spernendus honos, illa inclyta Martis
Gloria, quam pronis Atavi cupiere medullis,
Nobilitas quam culta petit, cui seruit Iberus,
Abiicienda Tibi est? procul arma, palaestra, Triumphi
Et procul instructae puluis speciosus arenae
Ite, lubens equidem vos desero, praelia posco
Altera, sanguineos pugnarum auerto furores,
„ Ad cœli iam scamna vocor; sunt & sua cœlo
„ Arma, suósque tenent cœlestia bella triumphos.
Haec vbi, seu diri domitus regnator Auerni
Abscedit, seu tecta Deus mansurus adoptat,
Intremuere domus; Initi conuentio pacti
Constitit, Ignatio firmi: stat sanctio voti,
Cuique prius proceres inter, turbámque potentum
Versari scopus vnus erat, cui vana voluptas,
Cui fastigatae generosa superbia pompae,
Cui Seres, *cui pulchra* Tyrus, *cui sola placebat*
Purpura, nunc viles plebis meditatur amictus,
Nunc tenues casulas, humilis nunc otia cellae
Ambit, & exactae cohibet ludibria vitae.
Tu testis Maureza *rei es, testísque fuisti*
Monserrata *parens; Quoties infixus Olympo*
Numina sancta bibit! quoties excessit ab imis
Sensibus! O quoties Rubricati *fluminis vndas*
Exsoluens oculos lacrymis & fletibus auxit?
Inde animum studiosa refert ad pensa, nec horret


Séque ad Christi trásfert humilitatem.

Vir tantus, multósque etiam progressus in annos,
Exiles intrare scholas, atque inter Ephebos
Et studiis vacat. *Vsurpare sonos, & prima crepundia linguæ.*
Quò pie non descendis amor? quæ sanctè recusas
Munia? cura tuo quæ non subeunda labori est?
Ecce vir ad summos cui fama, decúsque fauores
Pandebant animosa viam, quem Martia Virtus
Vexerat, heroümque altis æquauerat armis,
Non dubitat puerorum inter lenta agmina, classis
Puluereos inter strepitus, rudiora Mineruæ
Discere principia, & tenues euoluere libros.
Nec soli Musarum operi, studiisque vacabat
Impiger, at puris Pietatem haurire medullis
Norat, & in cœlum penítes transmittere sensus.
Quot lacrymis fluxere oculi? quot pectore casto
Vota? quot è sancto duxit suspiria corde?
Quot fudit sacra lingua preces? quot pura voluntas
Ignibus? & quantis arsit mens ardua flammis?
Virtutum quas legit opes? quàm grandia clausit
Dona sinu? quot in ima tulit præcordia cultus?
Non tot in æstiuis aluearibus agmina florens
Campus alit, nec tot mater cochleata lapillos,
Et pietati. *Nec tot fœcundæ suscepit ab æthere rores.*
Nec tantùm tibi, verùm aliis incumbe, tuósque
Ignati, *in curam sociorum impende labores*
,, Quò melior, Te effunde magis, quò ditior, & quò
Amplior, in plures Te disce extendere venas.
Et socios cogit. *Et verò sociorum agmen, lectámque Iuuentam*
Nitentem paribus generosa in prælia votis
Tartareum validè debellaturus Auernum
Excitat, & stygios ducit certamen in hostes
Ac veluti magnâ lectus Dictator in vrbe
Incumbit cui pugna grauis, quem perfidus hostis
Aggreditur, medióque cupit prosternere campo,
Conscribit florem Iuuenum, quos membra, toríque,
Quos Virtus generosa regit, quos bellicus ardor
Incitat, & feruens animat sub pectore sanguis,
Non secùs è variis cogens Ignatius *oris*

Agmina lecta virûm, quos culta Scientia fingit,
Quos virtus syncera polit, quos æstus Olympi
Tangit, & æthereo Pietas dignissima cultu,
Cælo teste, authore Deo, gaudentibus astris,
Concilio edicente, Patrum plaudente Senatu,
Cunctorum votis poscentibus, Orbe probante
Ludum aperit, sanctósque duces, celebrésque Magistros
Gymnasiis imponit, amor quibus vnus honorem
Virtuti, castaque decus conferre Mineruæ
Et scelera atterere, & tetros pessumdare mores,
Et vitia, & matrem vitiorum arcere phrenesim,
Et iuuenum formare animos, studiisque polire.
Gymnasia hæc, Calliste, pete, & studiosa frequenta
Limina, vbi plenâ Sapientia fragrat acerrâ
Et petitur magno delecta Scientia cursu

Virtute probatos & literis

Et gymnasia aperit, Semina probitatis & scientiæ. In quibus iuuentuti studendum est.



LIBRI TERTII

PROLVDIVM.

SI Eloquentia ex ijs tantùm rebus constaret, quæ aliunde accersi possunt. maximam sanè partem Rhetorici muneris impleuissemus, cùm ea quæ extrà aduehuntur superiorum librorum quasi fasciculo colligauerimus; Sed quia aliquid maius est, ex quo illa conflari necesse sit, ideò etiam ad maiora properandum. Hæc enim omnia quæ forinsecùs comparantur dispersa & dissoluta sunt, donec vi aliquâ diuiniori. & intelligentiæ quasi vinculo inter se componantur.

Quid enim sunt cætera omnia, quàm

corpus animâ vitáque destitutum, nisi & intelligentiæ vi, & ingenij feracitate, & inueutionis quasi calore animentur mortua, foueantur frigida, accendantur inertia? Intelligentia enim quâ Res, Rerumque probationes iuueniuntur, ex indigestâ rerum confusione ornatum, ex intricatis materiæ salebris ordinem, ex inuenustâ causarum deformitate cultum, ex inope egestate fœcunditatem educit.


Quid faciat Orator nisi ingenij & inuentionis laude florescat? Aut ipsum serpere semper necesse est, quod tardum, aut aliorum vestigiis perpetuò insistere, quod putidum, aut nomen Oratoris munúsque deponere, quod ignominiosum; Qui enim inuentionis laude & opibus carent, aliorum opera & labores exscribunt, & ita imitatione plagiariâ gloriam sibi conciliare arbitrantur; sed frustrà: omnium enim irrisioni patent obnoxij, cùm instar Horatianæ corniculæ inuestes, nudique deprehenduntur.

Ad Inuentionem ergo propriam confugiendum est, quam nos hoc libro ex quorundam locorum exhibitione pandemus, sed non ante quàm ab ipsâ Rhetoricâ subsidium postulauerimus.

Ades ô Deorum munus eloquens, cæli
Delicium, & altæ mentis elegans votum;
Puella, cui non fucus, aut decor vanus,
Non fimbriata crinium placet scena,
Non fastuosum veste barbarâ syrma,
Non verba fracto coniugata sermoni,
Vocésue ineptæ molliunt, sed os altum
Dignúsque vultus, & serenitas frontis,
Grauitásque gressus, totiúsque maiestas
Corporis, & oculi dignitas & aspectus
Micantiores, qualis igneus fulgor,

Aut astra cæli fibulata connexis,
Et vox valenti concitata pulmone,
Adiuta grandis dote candidâ linguæ,
Et temperatus ornat inclytam gestus.
Cognata superis, inferûm grauis terror,
Quæ crimen abigis, & nefasta perrumpens
Pectora coërces, arduaque virtuti
Pandis iter amplum, nunc ades, meum carmen
Augusta Princeps, entheo reple cultu,
Tuáque facilis dignitate fœcunda.

Quia verò plenior Inuentionis Locorúmque cognitio siue Logicâ vix ac ne vix quidem haberi potest, breuem aliquam & ante captam Logicæ notitiam præscribemus, & ea quæ dari solent de Dialecticâ in breue compendium coniiciemus.



RHETORICAE

LIBER TERTIVS de Inuentione.



Hetorica facundum adytum, sanctúmque disertæ Propositio totius libri
Ingredior penetrale Deæ, decet ore fauere,
Musarum iam templa peto, iam sedulus amplas
Pello fores, iam cerno chorum, iam voce saluto.
Dicite fatidicæ Charites, fragrantia Phœbi
Pignora, Pierii celeber grex incola montis,
Dicite, vbi facunda latet Dea, dicite sedes,

Felicísque locos, & me per amœna vireta
Eloquii faciles tuto deducite gressu.
Cui grandes coëunt numerosa in verba Figuræ,
Dicendi quem vestit honos, cui suppetit Ordo.
Quem Motus agitant, solérsque Inuentio ditat,
Orator perfectus erit; Non mane tepenti
Cùm matutinos Zephyrus perflauerit hortos
Tot sertis exultet humus; nec nocte serenâ
Nimbosas hyemes cùm lætior Eurus abegit.
Tot stellis arsere poli; nec luce recenti
Cum gemmis. *Defluus è liquido cùm ros descendit Olympo*
Tot stillas conchyle bibit, quot dotibus Artem
Rhetoricam florere decet, gazísque nitere
Nam quid Rhetorica est? culto nisi dicere comptu?
Definitio Rhetoricæ ab effectu. *Aut sensus tractare? feras nisi flectere mentes?*
In populo dominari? animis nisi ponere leges?
Aut laxas frænis constringere mollibus vrbes?
Non ita flexibiles clauo rectore per vndas
Nauta ratem regit, aut validis ita flectit habenis
Præcipites auriga rotas, vt pectora vertit
Orator, doctæque regit moderamine linguae
Id meliùs quò ambire queas, quæ membra disertæ
Eius partes. *Sint Artis, Te scire velim; ceu quando tabellam*
Pictor adumbratæ ducturus in æquore telæ est,
Antè suum quàm tentet opus, pulchrámque venusti
Cognoscendæ. *Effigiem, & placitam calamo delineet artem,*
Lucentes oculorum orbes, frontemque superbam,
Et dentes niueos, & churnea conspicit ora,
Ni faciat; cadet omnis honos, neque mollis imago
Sed stultum pingetur opus, moleſque colorum
Ergo inter reliquas princeps Inuentio *partes*
Quarum prima Inuentio *Ingenii sublime decus, limenque laboris,*
Rhetoricæque caput, quam Res, & verba, Fidésque
Argumentosis & acumina fortia telis
Agnoscunt matrem, sine quâ quid Rhetor inanis
Quæ necessaria est. *Extiterit? sine compactâ nisi nauta carinâ?*
Aedificans sine calce? habili sine pertine Phœbus?
Neptunus trifidâ sine cuspide? fulminis expers

Iupiter? exutus domini diademate Princeps?
Sed quoniam Argumenta, Fides, & sensus, & omnes
Deducendi vsus, & notio clara Locorum
A Logicæ ceu fonte fluit, contracta sagacis
Excutiam Logices capita, & fastigia tangam
Sed quæ prima mei fient exordia versus? Caput 2.
Quid medium, extremúmue sequar? in pondere rerũ De Logicâ.
Obruor, & variâ dubius premor vndique curâ.
Qualis ab eductâ nocturno tempore turri
Astrorum Spectator, vbi Specularia doctis
Luminibus Galilæa admouit, & ardua cernit
Sidera, mille faces aperit, mille astra recensit,
Incerto hinc atque hinc obtutu exæstuat anceps,
Quam primùm stelllam notet; hic effulget Orion
Hic Splendens micat Ara, *micant hic lumina* Martis
Hic ignes, lento quos ducit in axe Bootes.
Talis ego in quamcunque feram mea lumina partem
Hæreo, quippe mihi Logicæ sublimis honores
Præstringunt aciem; atque amplo Splendore fatigant.
At veluti sertorum operæ florentia rura
Ingressæ, camporum oculos sine lege micantes
Intexunt, & nunc violas, nunc lilia carpunt,
Nunc Tulipas, mollesque Rosas, nunc omnia ditis
Vellera coniungunt fortunatissima septi
Vt fasces teneros, & serta nitentia texant.
Sic ordo mihi nullus erit præscriptus, at omnes
Molliùs attingam nullo discrimine laudes.
Ecce igitur non mollis adest chorus, omnia bellum Cõpendium Logicæ:
Certaménque ferox Spirant, hic læta triumphis Quæ describitur.
Agmina & armatas acies, & ouantia signa, More bellantis
Et descensuras in prælia cerno cateruas, Cuius ministræ sunt.
Captiuique adsunt lixaéque, & plurima plebes Definitio
Calonum, Dominis inseruitura maniplis.
In mediâ pugnax acie Dialectica *Princeps*
Cernitur, augustisque humeris, & vertice toto
Eminet, & digno galeam diademate cingit.
Huic tres Armigeræ stipant latus, armáque membris
Componunt; Vna est Finitio, *quæ quia crebro*

Deficit, existant mutila ne forte cohortes
Descriptio. *Occupat absentis* Descriptio *splendida sedem.*
Illius assistit lateri Diuisio, *cui se*
Diuisio. *Adiungit comitem* Argumentatiua *puella*
Argumẽtatio. *Virgo, tamen fœcunda, ipsam nam passibus, etsi*
Imparibus, gemini fætus, biniq; ue sequuntur
Materno de ventre satus, quorum alter apertâ
Stat fronte, & nitidâ speciosa Scientia *formâ,*
Ast alter furuo velatur Opinio *vultu.*
Quarum adiutor præcipuus syllogismus *In quatuor dein membra acies se diuidit omnis,*
Præficitur dux cuique suus, prima agmina princeps
Ducit ouans, Graii quem Syl, *dixere,* Logismum.
Plurima sub signis legio, & numerosa virûm vis
Militat, hunc viginti acies, totidemque Tribuni
Legitimis instructi armis, telisque sequuntur.
In quo sunt tres propositiones. *Quippe tribus veluti iaculis, & cuspide ternâ*
Armantur, quæ prima truces incumbit in ictus,
Maior *erit,* Minor *illa sequens quæ percutit hostem,*
Tertia natiuo Conclusio *nomine fertur.*
Contingens *illarum alia est, manet altera semper*
Vera, vna est menti manifesta, probabilis *vna.*
Non ego te ingeniis nimis intricata Modalis
Transierim, nec vos, aut Exclusiua *tacebo,*
Aut Exceptiuo *signata limite mittam.*
Tres termini. His *miles iaculis armatur, at ordinat omnes*
Ternus Centurio cuneos, & dicitur vnus
Subiectum; *Est alii nomen quia* Prædicat, *ille*
Abnuit includi numeris, & vincla recusat,
Tertius est Medium *quia militat inter vtrumque.*
Tres figuræ. *Nec desunt quoque signiferæ, aut vexilla,* Figura
Signifera est, Vexilla Modus; *Tres ordine, Prima*
Euoluit numerosum agmen, ducitque nouenas
Ingeniosum in bellum acies, queis nomina ponit
Barbarica, vt grauiore hostes terrore fatiget.
Modi nouemdecim. Barbara, Celarent Darij Ferio, Baralipton.
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Quatuor aduersos hostes, & aperta requirunt
Prælia, nec tacitas fraudes, artésue dolosas

Construere

Construere, indignisque solent incumbere furtis.
Dicuntur directæ *ideò ; sic nectere fas est;*
Omne bonum pulchrum est, sed honos bonus omnis, & omnis
Est ergo quoque pulcher honos; *sed quinque sequentes*
Insidias, fraudésque parant, & id arte dolosâ
Moliri tendunt, æquo quod Marte negatur;
Conueniens ideò insidiis cognomen adeptæ
Indirectarum, *aut hostilia terga petentum.*
Omne bonum dignum est animo, at Deus est bonus, ergo
Quoddam dignum animo Deus est. *Quæ sede secundâ*
Ponitur, in quatusr dicit ius omne maniplos,
Hi *sunt*, Cæsare, Camestres, Festino, Barocho.
Omne probrum fœdum est, nulla ars est fœda, nec ergo
Ars est vlla probrum; *Geminæ quæ nexa sorori est*
Tertia, *sex ducit cuneos in bella*, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo. Ferison,
Omnis homo est animal, sed homo est Pompeius, ergo
Est animal Pompeius. *Erit* modus *instar aperti*
Vexilli, intuitu vigili quod ni agmina seruent,
Protinus inuersâ fugient statione cohortes.
Deinde sub auspicio atque eiusdem Principis armis
Subsequitur Pygmæa cohors, fortisque caterua Expositorius.
Nanorum, in paruis versans ingentia membris
Pectora, & exiguo. magnas in pectore vires,
Hanc regit imperio dux Expositorius, *olli*
Vnica cuncta placent, angustis multa lacertis
Non strtngit; verùm in Medijs *exilibus hæret,*
Aut Indiuiduâ *quæ conditione ligantur*
Ille vir est constans, sed Zeno est ille vir, ergo
Est Zeno constans; *Nec firmior inter* Elenchos.
Ecce autem auxilio externis veniebat in armis, Ad quos

Vexillis instructa nouis, proprióque superba
accedit *Stemmate ab antiquo manus appellata* Galeno;
Figura. *Nec se aliis segrex iungebat, at altera captans*
Signa, sibi Regem, primatáque castra legebat;
Galeni. Omne animal viuum est, sed viuum exsurgit in auras
Crescendo, ergo animal crescendo exsurgit in auras.
Non tulit insolitos Logice Regina tumultus,
Sed seorsum positas acies ad prima reduxit
Agmina, & in primâ iussit pugnare Figurâ.
Ergo sita est Logicæ *fiducia maior in istis*
Vt & Enthymema. *Ordinibus, Reginam illi tutantur, & olli*
Tutius auxilium, potioráque robora præstant
Deinde tamen multa quas Enthymema *gubernat*
Finitimâ in statione sedent, pugnántque cohortes
His breuius iaculum, & vibrandis lenta sagittis
Brachia, non hastas penetrabile crispat acumen,
Nec de contorto multus cruor effluit ictu.
Ibat & instructis vndans exercitus armis
Et exẽplum. Exemplo *sub Rege, ibat quoque firma maniplis*
Eductum pharetrâ gestans Inductio *telum.*
Inde ingens ordo lixarum, effusáque turba
Et inductio. *Calonum patet, Huc* Voces & Terminus, *& se*
Verbum *agit, ingenti verbum sociat'e catenâ.*
Sequũtur Voces. Signa *Quá* Voces, nomenque *ligat; Tum* Signa *patescũt,*
Illa parte quidem Formalia, *dantur & illla*
Instrumentales *repræsentantia Causas,*
Hac quoque cernuntur vel Naturalia, *vel quæ*
Imposuit populorum vsus, volgique voluntas:
At multus, variúsque oculis se Terminus offert,
Termini varii. Ambigui, Æquiuoci (*cultæ mihi parcite Musæ,*
Si linguae lenocinium, molléſque leporum
Abiiciam illecebras, & ad aspera verba recurram,
Non vatem, sed militem ago, me iam aspera bella,
Incultisque tenet coniuncta locutio bellis)
Vniuoci, & Cõcreti *adsunt, quiq;* Abstrahit, *& qui*
Connotat, & Communis, *adest* Positiuus, *& ipsi*

Oppositus, qui se sociis communicat, vnde
Deriuatiuæ *sumit sibi nomina vocis.*
Hos inter quoque monstra patent, & mille figuræ,
Innumerae laruae, & species, incredibiles res;
Obstupui primo aspectu, nam torua Chimæra
Sulphureo vomit ore globos, iunctúmque Leonem
Gyratus vestit squamoso tegmine Serpens. Ens rationis.
Iámque pedem referebam anceps, trepidúsque pauore
Cedebam, sed verti oculos; Ecce ilicet Aurei
Apparent Montes, Hic, *me nisi vota tenerent,*
Tam multis, fateor, poteram succumbere gazis,
Has cupiit tractare manus, sed inania visa
Extemplò incassum celeres fugere per auras.
Ac veluti nocte in mediâ, gremióque soporis Cōparatum cum somnio.
Stratus opum cumulos, & diuitis æris aceruos
Somniat, & vanis æraria flaua metallis
Laetus opes numerat tantas, potitúrque cupiti
Insidiis auri, donec se mane patenti
Excitat & noctis tenebrosas discutit vmbras.
Hic Logica; insolitæ species, vmbraéque fugaces
Attonitum Te forte tenent, cur ipsa caducis Illius vsus.
Cingar imaginibus? sunt agminis haec quoque nostri
Pars aliqua, & deuota meis ficta Entia *turmis,*
Fingentis rationis opus; *sic* Entibus *illis*
Indiuisa seco, *dirimo coniuncta, dirempta*
Iungo simul, subiecta *voco, sic fingo* relata
Quæ re non referuntur & abstraho *plurima, quamuis*
Stent concreta à parte Rei; *sic* Entibus *vtor*
Fictitiis; sed quis feriit nouus æthera clamor?
Puluereas video nebulas, orientia longè
Agmina cerno Equitum, & fulgentia spicula cerno.
Tùm Logice; spectásne Ducem, quae grande gubernat Tū prædicamēta.
Agmen? ait, viden vt pedes ambulet? útque potentum
Negligat auxilium veluti Dictator equorum? Substantia.
Illa suâ se mole tenet, propriísque tuetur
Viribus, & geruli externi fulcra omnia temnit,
Inde etiam quod stet traxit Substantia *nomen*

Ille, vides & mole altâ, insanísque lacertis
Et membris, formâque gigas, qui proximus hæret
Quãtitas quæ diuinitus sine subiecto Esse potest. *Ductrici*, Quantus *solito sermone vocatur.*
At quamuis magnâ membrorum mole feratur,
Ille tamen pedes ire nequit, sed semper amicam
Alterius fulturam optat, dorsóque recumbit
Ni validas subdat diuina Potentia vires.
Nam quando imperium Deus interponit, & illâ
Qua Cœlorum orbes, Elementáque vasta creauit
Voce iubet, deserta lubens sua fulcra recusat
Protinus, inque pedes salit, auxilióque suo stat.
Vt quoties altare tremens, & casta sacerdos
Accedis templa & mysteria sacra profundis
Verborum, Angelicis mysteria debita labris
Se corpus sanguísque ad verba trementia sistunt,
Et miro interitu panísque merúmque recedunt,
Tum remanet fulturæ expers Extensio *fixa*
Ipsa sibi, nullóque petit tibicine niti.
Qualitas Relatio. Actio Passio Vbi Situs Quando Habere Tum vniuersalia. Deinde. Quale *æquo tractu, similique* Relatio *lege*
Insequitur, sequitúrque volans productio causæ
Actio *quã tardo volucrem torpore moratur*
Passio, *prosiliens eiusdem matris ab aluo.*
Vis Vbi? *cognatúmque* Situm? *vis* Quando? *decúsq;*
In vario quodcunque habitu? *Mihi cominùs adsunt*
Et Genus, *&* Species, *& adest* discrimen, *& arctè*
Propria *stant connexa rei, atque* hærentia puré
Quæ quia Adesse *&* Abesse *queunt* Cõmunia *dices.*
Hic ego, nam longâ ternos in veste videbam
Ire viros, aciemque sequi: Regina, quid inquam,
Tres illi insolitâ cuneos in veste sequuntur?
Illa inquit, mihi, ternus adest, qui debita Quæstor
Militibus det dona, illi locuplete crumenâ
Apprehensio. *Donatiua ferunt cuneis;* Apprehensio prima
Nomine fœmineo, quamuis stet mascula sensu,
Calones, lixásque fouet; Quod nomen adesset?
Quod Verbum? *quæ* Vox? *nisi* prima Apprehẽsio *nummis*
Nutriat? & propriis alimentum sumptibus addat?

Iudicium formale (*voces sic quippe secundum*) Iudiciũ
Sumptio *pro quaestore tenet , cui accepta potenti*
Nutrimenta refert ; Illum, cui pulchra seniles
Format ruga genas , & cani tempora crines,
Argumẽta trisulca, *acre* Enthymema, *frequenti* Discurs⁹
Exemplo *mens plena , preménsque* Inductio *magnũ*
Discursum *altorem agnoscunt , Patremque salutant*
Vis domitos hostes , & captiuata catenis
Agmina ? vis perfossa meis hastilibus arma?
Huc geminos contorque oculos ; tùm spectò , videntur Pugnant hæc.
Captiuíque duces, palmæque ad terga reuinctae,
Colláque pressa iugo , & scripti formidine vultus.
Et verò cerne , inquit , vt ille iacentia mutat
Lumina ? fœdatásque genas pallore coloret?
Liuida membra nota, & dubiis vestigia plantis
Aspice , & incertos luxato è poplite gressus,
Error *hic est, quem* falsa *pari* Sententia *pœnã* Cum errore.
Excipit , & vinctis infamis Opinio *membris*
Is verò, cui vincla manus , & colla coërcent,
Ausus in æqualem mecum descendere pugnam
Pseudographus *nodos & vincula iusta recepit* Pseudographo
Quin etiam cui pro plumâ , cristáque comanti
In galeâ vulpis cauda insidet , & dolus & fraus,
Insidiæque placent , sensit quid dextra valeret,
Quid possint vires sensit lugubre Sophisma Sophismate.
Sub vinclis quoque Inepta *iacet* Nugatio; *cernin*
Huc illuc oculos vt circum torqueat ? vt se
Negligat ? acceptósque effrons non sentiat ictus ?
Multa etiam captiua iacet sub pondere ferri captione
Captio: *quid memorem* Æquiuoci sermonis elenchos?
Vel quid diuisas componentésque *cateruas?*
Dixit , & aerias pubes fugit omnis in auras.
Hæc te nosse decet, Calliste , *vt deinde locorum* Caput 3. De locis.
Commodiùs secreta scias , & mente sagaci
Excerpas momenta locis inclusa nouenis
Et septem quos Ars gremio facunda coërcet.
Hos inter mihi primus erit , quae nomen, & omnes

Nominis explorat speciosa Notatio *vires.*

De notatione nominis. Illius exẽplum

Consul is est, patriae qui consulit vtilis vrbi,
Qui leges positas, ciuésque & iura tuetur,
Tu verò, qui iura premis, legésque reuellis
Perfide, qui miseros trepida formidine ciues
Consternas, populúmque minis, clamore senatum,
Seditione forum, Capitolia caesa tumultu,
Imperium terrore, bonos infamibus vrges
Suppliciis, qui probra foues, & crimen adoras
Consul eris? non pestis atrox? non praedo rebellis?
Non bustum ferale? faces qui spargis in vrbem
Piso, cruentatos qui dignior inter Alanos
Viuere, quàm dominos inter regnare Quirites?

Ornatus est magi, quam roboris.

Hic equidem lenis Locus, at non territat hostem,
Non ferit, aut magno praecordia vulnere tentat.
Nominibus leue robur inest, neque nomina mores
Ingeniúmue notant, vt quae sors lubrica crebrò
Indidit, in vani speciem, titulúmque decoris.
Non secùs ac lepido cùm pluma innexa galero est

Cõparatione ductâ ab insignibus.

Vel galeam rubra crista comat, vel cauda venustat
Versicolor Iunonis aues, nil vtile quamuis
Pauoni vel cauda ferat, vel pluma galero,
Vel galeae crista, ornatus tamen inde galero,
Et galeae hinc accedit honos, & gratia pauo.

Ambitio nominũ speciosorum.

Hinc Reges, magnosque Duces speciosa superbi
Nominis ambitio, & titulorum insignia tangunt
Inde Aquilæ *nomen Pyrrho placet, inde vocatur*
Attica Apis *Xenophon, Pericles vt* Olympius *inde*
Antiochus vult dici Hierax, Sotérque, Theosque
Et Fratrum *Ptolemaeus* amans, Iouis *arduus ambit*
Cognomen Xerxes, Solis germanus *haberi*
Vult Sapor, & Cyrus Sol *ipse*, Chalybsque Quiritum
Marcellus, strepero Nicanor ab igne Ceraunus

Nomen quibusdã inditũ ex elementis

Quin etiam titulum ipsa viris Elementa dederunt,
Sic Mosem dictum Alpha *ferunt sic* Beta *vocatum*
Galerium, sic Gamma *Orpyllim, Antenora* Delta
Satyricum Zeta, *atque Æsopum* Theta, *Parentem*

Cupseli, quod valga foret Lambda *esse vocatam.*
Nec non Pachomius, placidos quos inter alumnos
Nouerat, & morum comptu, & meliore probatos
Indole, quosque manu facili natura polisset,
Finxisset quos mitis amor, dicebat Iota
Quos autem asperitas genii, & distorsio mentis
Verteret, intorti durâ ξι *voce notabat.*
Hinc igitur desume locum, quo dicta leporem
Accipiant, non sensa fidem, nec nobile pondus.
Momentúmue ferant, velut ex Anagrãmate *quod fit*
Cúm variis Elementa locis, quæ nomen in vnum
Recta prius coeunt inter se nexa feruntur,
Et variis complexa modis industria sensa
Efficiunt, probrúmue ferunt, laudémue ministrant
Hoc *primus Graias Lycophron inuexit in oras,*
Nam πτολεμαῖος ἀπὸ μέλιτος, *nec non* ἴον ἥρας
Ἀρσινόη *vertit, varii hinc Anagrammatis vsus*
Et lusus saliere; Inde est ὄϊς ἡ σὺ, Ἰησοῦς
Hinc Amor *est, quae* Roma, ἄλας *qui dicitur*
Ἄτλας
Ius verax, *qui* Xauerius, *sic,* Nemo quod omen
At maior venit ecce seges, meliórque loquendi
Copia; quippe grauis sequitur Finitio *rerum,*
Quâ clausae secreta rei, ditesque nigrantis
Naturae reserantur opes, quâ cuncta patescunt,
Quæ prius in rerum gremio conclusa latebant
Non aliter quàm cùm variis aulaea figuris
Multiplici constricta sinu, quamquam ardeat intus
Historia, aut bellum Priami, aut furor asper Achillis
Aut labyrinthaei diuersa sophismata tecti,
Artifici sint picta manu, tamen omnia claudunt
Nec licet egregias oculis spectare figuras
At postquam reuoluta patent. & aperta recluso
Obiiciunt se cuncta sinu, tunc omne volumen
Panditur, hic bellum Priami, hic insana Capanei
Arma, vel inuicti vexilla ferocia Cyri
In finibus contecta prius, iam clara patescunt

Huc accedit Anagrãma.

Eius ratio.

Caput 4. De definitione.

Comparantur cum explicatione tapetis.

Vt verò Logicam, non sic Finitio semper
Varii modi. Rhetoricam constricta decet, nos saepe vagari
Possumus, & spatiis latè maioribus vti.
Ac veluti generosus equus, quem Thessala dudum
Terra, vel Hispano valles aluere recessu,
Quem clara est enixa parens, quem longus auorum
Ordo, per & multos decorant insignia fastos.
Non arctas amat ille vias, non inter habenas
Impatiens haerere solet, sed latius optat
Ambitiosus iter, campisqúe exultat apertis.
At vetus, annorúmque graui cantherius aeuo
Oppressus, quem multa diu laesere flagella,
Stat miser, assistitqúe molae damnatus, idémque
Captat iter, seséque sua in vestigia torquet.
Definiē-di. Huic Logicam conferre licet, quam tramite certo
Discessisse nefas, quam Definitio semper
Stricta ligat, frenísque tenet grauioribus, at nos
Liberiore gradu, latisque incedere campis
Possumus, & nullis generosi arctamur habenis.
Namqúe quod ex Genere & Formâ Finitio cõstãs
Pertrãs-lationem Diceret, hoc laetis dicet Translatio verbis:
Vt si primaeuo surgit quae flore iuuentam
Ætatis ver molle feram, florémue serenum,
Aut dulcem Auroram, primaéue crepundia pubis.
Clarior obscuras pandet vel dictio voces,
Nominis Vt si Causidicum, iuris, canonúmque peritum
Dixeris, Astrologúmue, alti qui sidera cœli
Euolutionem. Astrorúmque vias, cursúmque explorat Olympi.
Te quoque definisse rear, cúm cuncta negabis
Contrarij negationem. Creduntur qua stare rei contraria; nam quid
Virtutem rear esse aliud, quàm crimen acerbum
Atterere? excelsáque scelus prosternere mente?
Per partes, & membra etiam. queis corpora constant
Partium enumeratione. Desinire licet; sic ficti machina mundi
Quid Sphæra est? nisi sidereos imitantia motus
Aera, patent vbi deni orbes, vbi plurimus haret
Circulus; hic aequas qui diuidit arbiter horas,
Binus vbi Tropicus, geminóque in fine Polares,


Et regio vicina Polis, vbi iustus Horizon.
Signorumque vices, mentitáque semita solis
Et cardo Regalis *adest, geminique* Coluri?
Quinetiam illa tua placeat Finitio *linguae*
Qua multâ è rerum exsurgit paritate; Quid est Pax?
Tranquillum nisi flumen, hyemps quod nulla fatigat, Rerum
Sollicitat non turbo grauis, non impetus Austri, paritatẽ,
Non vexat Boreae rabies, sed lenis vbique est
Fluxus, vbique quies, leniúmque susurrus aquarum?
Et quid Pax? nisi cultus ager, quem messe coronat
Flaua Ceres, quem Flora rosis, quem vite Lyaeus?
Quem nunquam violauit aper, nec grandine crebrâ
Triuit hyemps, sed cœlum oculis inspexit amicis?
Quid ni definit quoque longa Periphrasis? *vt qui* Circum-
Non alium ferat esse Deum, quem poplite flexo locutio-
Terra colat, nisi cuncta suo qui condidit ore, nem.
Qui terrae spatia ampla, Poli qui sidera Princeps
Dirigit, & vastas fraenat quoque Tethyos vndas,
At Logicae breuis esse solet Finitio, *quam res*
Clarior, & iusti nitidissima notio verbi
Euoluit, sensúsque graues sic explicat, vt nec
Strictior angustos nimium cogatur in orbes,
Latiùs aut fusis errans exundet habenis.
Illa exsucca, arensque Scholas, Logicaéque recessus
Occupet, at populos inter crebrámque coronam,
In mediis rostrorum oculis Orator ad illam
Confugiet, multae series quam conglobat artis,
Quae variis ex antithetis componitur, vt si
Ornamenta velim Latii *tractare Senatus.*
Quid verò ille ordo est? nisi flos dignissimus orbis? Denique
Pars melior populi humani? Mens publica? portus conglo-
Consilii? Imperii decus? & statio alma salutis; bata.
Iuris Praeceptor? Regum consessus? Apexque
Iustitiae? mundi lumen? Rectique corona?
Gloria Romulae ditionis? & aurea messis? Caput 5.
Nec longè germana soror Descriptio *distat.* de Des-
Personae quâ Résque simul pinguntur, & antè criptio-
Spectatorum oculos ponuntur imaginis instar ne per-

sonarum. *Personas describis? erit stirps, Patria, Génsque*
Et Regio *spectanda, alios quippe Anglia mores*
Cuius capita sunt *Inuehit, Hispanis alii cernuntur in oris,*
Nec semota suis similes Lithuania sensus,
Patria. *Gallica quos cultis tellus infundit alumnis.*
Gens. *Iura tenet diuersa Laco, diuersa Corinthus.*
Nec leges Rhodus alta tenet, nec Memphis easdem
Sexus. *Et* sexum *quoque nosse iuuat, námque vna viriles,*
Fœmineas Virtus decorat magis altera mentes;
Integritas intacta nurus exornat. at altos
Ætas. *Mens ornat generosa viros; Attenditur* Ætas
Nam dum mollis adhuc tenero Puer haeret in aeuo
Studia. *Affectus alios, alios vbi canuit, optat.*
Scire etiam studia illa decet, quae exerceat, & quam
Artem optet, diuersa colet mercator auarus,
Et miles, cui Martis amor; Qui publica tractat
Munera, non eosdem, quos Rusticus ambit amores
Cōditio. Conditio & Fortuna *tibi stet cognita, nempe*
Mutantur mores variâ pro sorte, superbis
Ex opibus crebrò tumor, atque audacia crescit,
Deprimit ingenium, moresque elidit egestas.
Multum adeò cognosse refert, sit Amicus, an hostis?
Patronus, tenuisne Cliens? An Ciuis, an exul?
Obscurus, Clarúsue? Parens, aut Filius? Orbus
An contrà haeredum turba stipatus? An extrà
Venerit, Indigenae charo vel iure fruatur?
Mores. *Sensa quoque, & Natura Animi spectanda furoris*
Impetus, & molli residens clementia sensu
Infundunt varios humana in pectora motus.
Corporis dotes. *Te quoque ad externos intendere corporis artus*
Membrorúmque statum iubeo; Rubor indicat iram,
In probrum vertetur adeps, censetur ineptus,
Pronior in risum, speciosi gratia vultus
Indulgens nimiùm blando credetur amori.
Ex hac congerie capitum fortissimus heros
Dicatur Cyrus, tali se Musa cothurno
Tollet & in laudes turgens excurret apertas.
Quantus Cyrus erit, cuius diuina vel ipsos

Praeueniunt responsa satus, quem regia mater Caput 6.
Plebeio genitum Persarum è sanguine fudit. Exemplũ
Medus enim Astyages natae de nubilis aluo descrip-
Conspexit vitem, quae palmite lacta feraci tionis in
Extentae innumeras Asiae complectitur oras. Cyro.
Consulitur coniector, opus respondet haruspex
Difficile. Astyagi praedicit, sceptra Nepotis
In dominas ventura manus, Medósque domandos.
Fecerunt Responsa metum, Rex Mandanen ergo Desump-
Id natae nomen fuit, in connubia Persae tum ex
Tradidit obscurá Patres è stirpe trahenti. Herodo-
Vt si forte Nepos taedis è talibus ortum to.
Duceret, at viles animos, & vota foueret
„ *Vili digna satu, fortes quippe opprimit ausus* Ortus.
„ *Non spectabilium series obscura parentum.*
Natam, vbi fœcundo pragnantem pignore cepit
Insidus Pater, ad sese de coniugis aede
Deduci iubet; Illa Marem Iunone secundâ
Edidit; Infantem patriis deponit in vlnis,
Peiorem non nacta locum; cui perfidus vltrò
Vixdum etiam ingresso praecidere destinat aeuum,
Demens aeternas Diuûm qui flectere leges
Speret, & horrendo diuertere crimine fatum
„ *Inuiolata manent superûm decreta Deorum*
„ *His obstare nefas; quidquid decreuit Olympus,*
„ *Etsi tartareis contrá conatibus Orcus*
„ *Saeuiat, aduersisque furens Styx strideat hydris.*
„ *Fiet, & optatum tangent cœlestia finem.*
Ille ergo occidi Puerum iubet, Harpagus author
Cadis adoptatur, sed nobile crimen, atróxque
Indignans scelus, Infantem & cunabula tradit
Mithradati, cui cura boum, & regalis ouilis,
Et Regis mandatum aperit, mandata bubulcus Educa-
Exequitur, quamuis teneri formosa puelli tio mi-
Obsistat species, & amici gratia risus, rabilis.
Sed tamen exequitur, saltúsque, & lustra ferarum
Intrat, vbi Puerum crudelibus obiicit vrsis.
Inde domum mœstus redit, & pracordia tactus,

„ Vtque loquax solet esse dolor, rem tradit in aures
Coniugis, illa virum votis ardentibus orat,
Ingeminátque preces, tanto ne fata puello
Acceleret, parcátque animæ potiore sepulchro,
Et meliore obitu, & maiori funere digna.
Se peperisse recèns puerum, sed inane cadauer,
Sorte Deúm, quò fraus, si qua fraus illa, latere
Possit, vt expositus viuo succurrat alumno.
Consilio vxoris Vir paruit, antra reuisit,
Et Puerum, Res mira! canis cui turgida lacte
Vbera præbebat, suscepit, amabile donum
Vxori. in magnos illum quæ educat honores.
Responsis diuûm nec defuit; Ille sub ortum
Pubis, & infantis specioso in limine vitæ,
„ Vt primis etiam Virtus elucet ab annis,
Claruit, atque aptas iusti ducis exhibet artes.
Studia. *Fortè Puer socios inter ludebat, & inter*
Ludendum à sociis Rex dicitur; omnia Regis
Exercere opera, & strictas præscribere leges
Incipit, officiis operas distinguere, cuique
Dicere ius, dare præfectos, & condere mores
Ciuilis sit imago rei, quin plectit inertes,
Delictique reos pœnâ grauiore coërcet.
Defertur iustas querimonia Regis ad aures,
Astyages rem quærit, ibi puer omnia tanto
Explicuit splendore, animi sic inclyta virtus
„ Emicuit, (neque enim seruo sub tegmine Virtus,
„ Nobilitásue latet, se prodit, & exsilit vltrò,
„ Et tenues lanas, & tritum gausape vincit)
Rex vt crediderit Cyrum *hac sub fronte latere*
Et iam magnanimis Princeps adoleuerat annis,
Plebeium nil gestus habet, nil sensus, at omnis
Actio compositi descendit ab indole Regis.
Bellorum exercet simulacra, & ludicra fingit
Iuuentus *Castrorum, domat acer equos, seque erudit armis,*
Sudorique parat, duro sua membra labore
Exerci- *Firmat, & illecebras, & philtra nocentia vitat.*
tationes. *Hibernum tolerare gelu, fortésque calores,*

Ardorémque pati, noctésque sub aëre nudo
,, Non refugit pernox transmittere; dura subire,
,, Rixari cum sensu, acres perferre labores,
,, Vincere fortunam, transcendere mollia, grande
,, Scit virtutis opus, donec fatalibus armis
Ipsum etiam Astyagem, & Medis subiecit habenas.
Hæc sunt prima tuæ conamina, Cyre, *iuuentæ,*
Debentur potiora tuis suffragia votis,
Virtutesque tuas maiora trophæa sequentur.
Crœsus enim, atque adeò locuples tibi præda paratur
Lydia, & ingentes Lydo sub Principe tractus.
Inde per Assyrios vexilla potentia tractus, Reges-
Phœnicásque, Arabásque tulit, Gyndemque rebellem, stæ.
Gyndem qui vastas incurrit Tygris in vndas
Plures tercentum vindex diuisit in alueos.
Tùm circum Babylona sedet, quam tormine multo
Verberat, at tantos Babylon fortißima iactus
Despicit, & vanos ridet secura labores.
Iámque in Phœbæum sese produxerat orbem
Obsidio, longaéque moræ fastidia Cyrum
Lenta fatigabant, iuncti cum viribus æstus
Ad muros sibi fecit iter, siccúmque per amnem
Miles iit, captaéque fores Babylonis iniuit.
Felix Cyrus erat, sibi si posuisset habenas
Incensaéque truces cohibere libidinis æstus
Nosset, & indomitæ retinacula ponere menti
Sed bellum parat, inque Scythas, quos flumen Araxes
Claudebat, mouet arma, sile sed Musa, nec illum
Hactenus insignem palmis, lauróque superbum
In Scythiam *comitare, furor quem sortis iniquæ*
Strauit, & abiectum mediâ spoliauit arenâ.



LIBRI QVARTI

PROLVDIVM.

NIhil est quod nobis assentetur amœniùs placeat vehementiùs, imperet aut potentiùs, aut impotentiùs, quàm nostri fœtus ingenij; nihilque est, quod tanto amore complecti soleamus, quàm ea quæ é mentis nostræ quasi sinu prodierunt. Si enim Parentes ideò in filios tantâ voluntatis inclinatione feruntur, quia ipsos summo cum labore aut pepererunt, aut extulerunt; quàm arctiori in animi nostri pignora charitate propendere debemus, quæ sunt non viscerum partus, sed ingenij, non ventris, sed mentis, industriæ summæ non ponderis atque fastidii, quæ si in aliquo efflorescunt, maximé certé in Inuentione dominari censentur.


Quid enim est Inuentio, quàm solertiæ fructus, argumentorum mater, comes eruditionis, fons radíxque scientiarum? Quid aliud quàm pignus ingenij, intelligentiæ partus, sagacitatis indicium, Eloquentiæ administra singularis? Cum enim dicuntur probationes in locis hærere, & inde erui, nolim existimes eas ibi ita inesse compositas & artificiosé constructas, vt nullâ aliâ re indigeat orator, nisi vt eas inde extrahat, non ita insunt illæ quidem in locis, sed vt arbor in semine, vt adamas in rupe, vt aurum in cauernâ, vt statua in marmore; Vt enim necessarium est excoli à colono semen, vt adolescat in arborem; ab aurifice adamanta limari, vt Principum

induatur in annulos, aurum ab igne purgari, vt Regum incidatur imagine; marmor ab sculptore poliri, vt in simulacrum exurgat, sic oportet, vt ingenio, & industriâ Orator Locos & Argumēta rimetur, vt robur orationi conciliet


Sunt igitur in locis argumenta tanquam in principio, non tanquam pecunia in thesauro, flores in horto, seges in campo; Ista si quidem ibi reabse, at in locis argumenta tantum virtute versantur, vt aqua in rosis, fictilia in argillâ, calix in argento, quæ exprimere qui volet artifex, necesse est vt in adhibitâ materiâ laboret. Cum igitur argumenta in locis delitescant; Enimuerò.

Passim non sedet apta pulchritudo,
Dat gemmas maris Indici cubile,
Dat marmor Paros, aequor vniones,
Dat Peruuia diuites aceruos,
Crescunt balsama collibus sionis,
Thus in vallibus emicat Sabaeis,
Lasciuit Rosa floreis in hortis
Et se sidere solus axis ornat.

Quâ curâ, quo studio, quâ contentione illi euoluendi sunt? Aliquot igitur ex iis qui supersunt sequenti libro explicabimus.



LIBER QVARTVS de Locis Internis.



Cce iterum intactae quae culmina docta Sorores
Incolitis, Pindique sacris habitatis in antris,
Rhetoricae quae nostis opes, quibus alta tueri

Ora datum est, sedésque Dea penetrare latentes,
Ad vestras accedo fores, me inducite sanctis
Liminibus, vestrique aditum concedite tecti

Caput I. De descriptione rerũ.

Prima mihi venit ante oculos Descriptio, *quæ Res*
Pingit, & in medio conspectus lumine ponit,
Sunt verò connexa rei, Instrumenta, modúsque
Tempúsque, & Causa, *atque* Locus; *quæ cuncta vel augent*
Crimina, vel minuunt, laudémue è crimine texunt.

In quâ attẽditur Causa quæ sæpe rem mutat.

Causa quidem spectanda, etenim non fortia tantum
Suggerit argumenta; omnis sed quæstio facti
Per Causam *crebrò mutatur; Vt Arma reuulsi*
Ex alto suspensa tholo, graue crimen, &, ipsis
Sacrilegis par noxa, tuli qui dona Deorum.
Ecce tamen ferus hostis adest, iam mœnia pulsat,
Iam portas quatit, & miseram iam irrumpit in arcem,
Expediunt cuncti arma, truces quò mœnibus hostes
Deiiciant, nec ciuis erit laudandus, ad arma
Quem non impulerit seruandi gloria muri.
Non aliud mihi telum, alius non suppetit vmbo,
Et præsto mihi solus adest, quem templa coërcent;
Illum ego fatidici vello de fornice templi
Arma fugaturus contraria, méque, meósque,
Supremósque Deûm propugnaturus honores.
Conditio mutata rei est, neque triste patraui
Flagitium, quia Causa *fauet, sic* Causa *pepercit*
Æpytidi vnigenam mactanti cuspide natam.

Exẽmplũ causæ sumptũ ex Pausaniâ. In nece Filiæ Aristodimi. Oraculũ ferox.

Messene, sauúsque Laco crudelibus armis
Pugnabant, geminásque ferox quatit impetus vrbes,
Messenem grauior clades ferit, occidit ingens
Nobilitas, multúsque perit certamine miles
Nec par esse potest tot cædibus, ergo relinquit
Oppida, Ithomæo claudens sua robora vallo
Et Tisin Delphos Phœbi sacraria mittit
Consultum, hac Tripodes fundunt oracula sensu.
Æpytidum claro de stemmate ducta puella,
Nescia connubii, thalamique ignara iugalis
Dum nigris nox pulla polis incumbet, ad vndas
Hallyii, inferni mactetur Manibus Orci,

Heu

Heu Virgo! Illa Deus fieri sacra maxima mandat.
Tisis vbi attonitas sortes, atque horrida Phœbi Messeniis
Messenem mandata tulit, tremit omnis Ithome redditū.
Æpytidúmque genus, quam sæuior optet Apollo?
Quæ tandem infelix erit hostia? luctus in omnes,
Funus in Æpytidas solos cadit; Vnus Ithomen
Ornat Aristodimus tanto de sanguine Princeps
Illi legitimâ crescit de coniuge proless,
Nubilibus vicina toris, cui pulchra venustas,
Et pudor, & locuples auro prædimite fiscus
In dotem cessurus erat, quam charus amore
Stringebat genitor, patriisque ferebat in vlnis.
Ille vrbis casus, & formidata reuoluens Aristodimus offert filiā.
Delphorum responsa, suæ fata horrida natæ
Séque, & priuatæ dispendia maxima sortis
Postponit sancto Patriæ communis amori.
Vltrò igitur sobolem mactandam informibus aris
Obtulit, illa lubens placido lætissima vultu,
Augusta incessu, solito formosior ore,
Et tænis instructa sacris, sertisque decoris
Florea nocturnas Ditis procedit ad aras.
Ingemuit populus, Iuuenes gemuere, grauésque
Ingemuere senes, quis enim in fera fata vocari
Non fleat insontem florenti ætate puellam?
Iámque Popæ cultris, sacrisque securibus apti
Librabant ictum, & ceruicibus aspera cuspis
Instabat, medio Iuuenis cùm opponere letho
Se cupit, & miseras celeri pede currit ad aras, Interuenit Iuuenis
Erepturus amor sibi quam ligat igneus, & quam
Promissus propè iungit Hymen, simul ista, quis, inquit,
Vos agitat furor? An placidos optatis atroci
,, *Flagitio lenire Deos? non gaudet Olympus*
,, *Sanguine, & humanum sacra respuit ara cruorem?*
Quæ Pietas mactare homines? quis cultus, in artus Amator.
Virgineos sæuire? mihi hanc ego seruo Puellam,
Ista Puella mea est, non est Patris, hæc mihi nupsit,
Illa meo promissa toro est, quis destinet aris?
Pergebat vates, & inania verba cadebant

Sponsi infelicis, tunc ille doloris & iræ
Impatiens, miserâ eripiat quò morte Puellam,
Turpe probrum imponit, vitiatámque asserit, & sic
Impleri non posse Dei responsa, canentis
Expertem thalami ducendam ad fata Puellam

Sed frustrà.
Exarsere irae Genitori, & protinùs ensem
Amenti similis vaginá educit, & isto
Nata, pater mœrens, inquit, te munere donat.

Nam cędit illam
Si merita es, turpique probro Te, méque, domúmque
Fœdasti, in iustas tibi erunt haec funera pœnas
Sin intacta peris, illibatúmque pudoris
Tecum florem affers, patriae mors ista saluti
Seruiet, & sacras implebis funere sortes

Ipse pater.
Dixit, & albentes gladio transuerberat vlnas,
Eiecitque animam, cadit illa exanguis ad aras
Purpureóque lauat turbata altaria tabo.

Quae tibi tùm Genitor facies? quis pectore mœsto
Sensus erat? cùm pulchra tuae praecordia Natae
Cùm membra inspiceres natiuo sanguine mergi?

Innoxié propter causam.
Sed meliùs preme verba dolor, patriásque querelas
Obrue, nec Patris lacrymas, nataéque cruorem
Iunge simul, neque enim tantæ in pietatis honore
Flere decet; cur ad gemitus lacrymásque vocabit
Molle pudoris opus? caedésque innoxia? qua fit
Nobilis illustri de crimine gloria facti

Ingeniosa quoque ex varia regione locorum

Attenditur locus
Argumenta trahes, igitur cœlique, solique
Ingenium te nosse decet, cultúmque, decúsque,
Et mores, habitûmque, locus sit lenis, *an* asper?
Montosus, *vel* planus? Aquis vicinus, an arens
Desertus, celebérne? vmbris coopertus, *au axi*
Peruins? an vastus, *cultâ vel nobilis aede?*
Morbosus, sanúsne? *aptus vel ineptus acerbis*
Fraudibus? *an* iuris priuati, *an* publicus? *an sit*
Noster an Externus? sitne in ditione Deorum,
Sepositáne Deûm vel religione prophanus?
Sic Leuctrae Thebas animant, Lacedaemona frangunt.

Iampridem Cortyna Deûm prædixerat acres
Pendendas sceleri pœnas, ni Sparta caueret
Tela Puellarum, quas Leuctrica terra sepultas
Clauderet, & pressos tumulo componeret artus
Quippe ferunt geminas Scedasum genuisse puellas,
Quas species & forma polit, sed cura pudoris
Maior erat, cultúsque, duo sed vtramque sceleste
Spartani Iuuenes, diuósque, hominesque vocantem
Frustrà obnitentem maculant, & nobile probro
Adiecere nefas, ambas nam cuspide cadunt
Audiit hæc Genitor, sed vt audiit, ira, furórque,
Et vindicta animat, non spiritus; Ocyus vrbem
Eurotae dominam vindex petit, impia nudat
Crimina, & effranes Iuuenum denuntiat ausus.
At Scedasum tempsere Ephori, facinúsque, quod antè
Priuatum fuit, aut solos tangebat Ephebos,
Iam fecere suum, totámque immanibus vrbem
Inficiunt noxis, quas tetrâ in pube probarunt.
Quid faceret Genitor lacrymabilis? vltima deflet
Natarum exitia, & diris Lacedæmona votis
Consecrat, & rigidâ cùm iam nil speret ab vrbe,
Infœlix animam natarum in funere ponit.
Ex illo monuere Deûm responsa cauerent
Spartani Leuctras, Leuctridarumque furorem.
Huc tamen accessere acies, & vtrinque duellum
Suspensæ expectant, quò se Fortuna, Deúsque
Verterit incertae, neutri Victoria constat.
Nox erat, & fuscâ terras obtexerat vmbrâ
Horror, & extincto cœlum splendore rigebat,
Pelopidas nocti curas cùm credit, & artus
Crastina composito parat in certamina somno:
Ecce patent geminae manifestâ in luce puellae,
Sed quales? demissae oculos, fletúque tepentes
Fundentésque graues lacrymoso ex ore querelas;
Lugubrium at Genitor lugubris & ipse sororum,
Pelopida dux magne, sacrae cui cura cohortis
Credita, crudeles vindex vlciscere noxas,
Inquit, & infractum iugula Lacedaemonis agmen.

Cuius exēplum est ex Plutarcho.

Leuctræ Spartanis in felices.

Ob probrum illatum puellis ibi sepultis.

Eò tamē pugnaturi veniūt spartani.

Non sine omine

Vobis ipse locus vires dabit, hostia Virgo
Mitiget intereà admisso mucrone sorores.
Excessit cum nocte sopor, consultus Haruspex,
Ad tumulos iuere duces, Equa casta freni
Impatiens, nondum partus experta labores
Caditur; Ecce repens adnato flore sepulchrum
Cingitur, & croceis vestitur terra coronis,
Augurium felix, & palma nobilis omen.
Extemplo per castra volat fauor ille, globisque
Audentes animos parit inclytus; ardua fortes
Signa dedere tubæ, strepuere frementia pulsu
Si quidē fauet locus Thebanis. *Tympana, & excussæ pharetris sonuere sagittæ*
Concurrunt inimicæ acies, Aquilonis ad ortum
Non plures domitâ Boreas quatit arbore frondes,
Non plures secuit messor gauisus aristas
Phœbus vbi æstiuos iussit flauescere campos,
In primâ quàm fronte cadunt, Locus *ipse triumphum*
Thebanis párat, & victos Lacedemonas vrget.
Vt & tēpus. *Explorare decet varii quoque Temporis omnes*
Articulos; Venatum hilarem, conuiuia læta
Et bellum, & pacem intrepidam, noctemque, diemque
Et ver & duras Hiemes, *æstúsque Leonis*
Quod minuit rem vel grauat. *Ad* Tempus *reuocare velim; nempe Illa vel augent,*
Vel minuere nefas; Ingens, cum iugera Lydæ
Telluris vastaret aper, cum flore Iuuentæ
Regius egreditur syluarum in confraga Princeps.
Exemplū desūptū ex Herodoto. Adrastus *Hunc pater infelix fido committit Adrasto,*
Quem nuper profugum susceperat ædibus hospes.
In media vt ventum est nemora, atque indagine multâ
Nosse canes cepere feram, & vestigia nare
Colligere, atque aprum solerti attingere vento,
Mox vigiles adhibere oculos, & tela parare
Incipiunt Iuuenes, densas ne fortè per herbas
Pérque latebrosos fugiat fera concita saltus
Tunc inter virgulta, nigros intérque recessus
Syluarum currebat Atys, quò primus in aprum
Irrueret, spoliisque prior frueretur opimis.
Illum inter vepres, foliatósque inter amictus,

Audiit vt latitantem, audit non cernit Adrastus,
Credidit esse feram, torsitque amenta, nec errat
Dextera, sed medios Iuuenis transuerberat artus Atyn occidit.
Ille feram fixisse ratus, celer aduolat, illum
Fixus vbi conspexit Atys, Tu me, inquit, Adraste,
Tu me, Adraste, necas? & dicere plura volenti
Vis obstat fati instantis, vocemque repressit.
Ille cruentatos confossi Principis artus Magnum crimen:
Vt vidit, miseráque oculos in morte natantes
Procumbit super, & lacrymas miscere cruori
Incipit, & tristi syluas implere querelâ
Túne iaces miserande Puer? sed crimine nostro
Mortis præda iaces? hæc sunt promissa Parenti?
Illa tui mihi cura fuit? Te nostra peremit
Dextera? Te sontes medium petiere sagittæ?
Hoc vnum restabat adhuc? hæc vna doloris
Causa mihi superabat? vbi vel tenuia nostris
Iam fomenta malis? vbi iam solamina restant?
Tu sceleris cædisque reum, me, Croese, piasti,
Tu me de patriâ compulsum excedere terrâ,
Non regno, quod & ipsum ingens, sed & ædibus ipsis,
Sed propriâ cepisti aulâ; quid defuit? Ipsam,
Ipsam etiam mihi committis, Pater optime, prolem?
Quid dicam tibi mœste parens? Tibi pignora reddam?
Eheu sed defuncta! Tibi iam exangue cadauer Sed temperanur ratione Tẽporis & Causæ
Restituam? factúmque meis exangue sagittis
Quâ vultus tolerare tuos? quâ fronte paternos
Sons oculos audebo pati? sed tristis Adraste,
Interpone tuis aliqua interualla querelis,
Causa, Locus, Tẽpúsque *scelus minuere, tuumque*
Nec telum Crœsus, nec hiantia vulnera cernet.
Cùm narras, quoque, iunge Modum, *nam plurima* Attẽditur & Modus.
Ornamenta rei Modus, *annectitque leporem, (confert*
Dicam equiecem breuiter vitæ ad melioris amorem
Deuius à vano traducitur impete Lullus,
Sed si iungo Modum: *sese* Descriptio *pandet*
Gratior, inque omni maior sermone voluptas
Sunt qui sanguineam Lullum iuuenilibus annis.

Cuius exẽplum est Lullus ex Historiâ Ecclesiasticâ.

Militiam tractasse ferant, atque arma grauésque,
Non inuito etiam Mauorte iniisse palæstras
Inde tamen reuocatum, etenim cùm fortè puellam
Egregiam specie, labiisque, genisque micantem,
Sed cuius tacitas vlcus depasceret vlnas,
Quámque verecundo Virtus stipata pudore
Comeret, incensi flammis arderet amoris.

Qui ex nobili facinore puellæ.

Illa polum meditans, & philtra fugacia temnens
Et Iuuenem miserata, vides, ait, inclyte Lulle,
O Iuuenum speciose, vides mendacia mundi
Blandimenta, vides, quàm sint hæc omnia fucus,
Effigiésque, atque vmbra boni; meus hic tibi vultus,
Et species hæc pulchra placet, placet iste genarum
Splendor, & ornatæ præfulgens gloria frontis.
Illa foris speciosa patent, interna tuere
O Iuuenis deluse, sinus tùm sorde putrentes,
Deformésque aperit corruptâ tabe papillas.

Vanitates abdicauit.

Ille vbi conspexit, quod non sperauerat, audet,
Quod nunquam meditatus erat, fallacia liquit
Mortalis simulacra boni, atque in seipse recedens
Fluxa supergreditur vani contagia mundi.

Pompeii cædes, tantæque iniuria noxæ
Ex illâ capitum connexorúmque coronâ
Describatur; Vbi tumidum legionibus hostem

Descriptio cædis Pompei.

Victorémque feris lugens Pompeius armis
Vidisset, Martísque vices sensisset acerbas
Prouidus infenso sese subducit ab hoste,
Et meliora suæ seruat se in tempore sortis.

Quæ iniustissimé illata ostẽditur

Ægyptum petit; illam etenim sperabat asylum,
Custodémque sui, si qui restaret, honoris.
Fallaces sed curæ hominum! vix littora tangit,
Cùm gladius miseros crudeliter induit artus,
Victricémque animam strato de corpore pellit,

Ex Causâ.

Sed tantæ quæ Causa *necis? Pompeius olim*
In dominâ dum regna manu versaret, & omnes
Aut daret, aut auferret opes, Ægyptia sceptra
Fregerat, aut Phario intulerat conuicia Regi?
Quin illi potius varii splendore fauoris
Fulserat, & summos facilis mandarat honores.

Cur igitur tantæ maculat se crimine caedis?
Victori socero dirâ de cæde propinqui
Blandiri cupit, & gratos accire fauores,
O viles animæ! ó furiis agitata malignis
Pectora! sacrilegas splrantia pectora caedes!
Quis locus ad tantæ legitur molimina cladi? Ex loco.
Portus, vbi sperabat opem; Te Iuppiter hospes
Testor inhumanæ plectis qui crimina terræ
Quæ tantum videt ora nefas? Tibine ergo ferocis
Cæsaris arma, tibi frendens ignouerat hostis,
Pompei, Tibi tristis hyemps, Tibi turbidus Auster,
Insidúmque salum, tumidúmque pepercerat æquor,
Vt portu in medio, dilectæ vxoris in ore,
Et non armati complexus inter amici
Occideres? Regisque truei mucrone perires?
Sed Tempus tunc quale fuit? núm fortè petebat Ex tempore.
Res illam Romana necem? si fluctibus altis
Rectorem inuolui decet, atque occumbere nautam.
Cùm Boreas incumbit aquis, & in æquore vasto
Regnat hyemps, diràsque mouet grauis aura procellas,
Pompeium è medio decuit tum tollere; nam tum
Seditio, grauidóque tumens Iniuria motu
Romuleos populauit agros, impunè per vrbes
Regnauit furor, & leges discordia rupit,
Quo solo tantæ poterant mitescere clades,
Arcerique malac regni de corpore pestes.
At quibus illum atrox superat gladiator in armis Ex instrumẽto
Ense, sed hoc quem fortè aliàs succinxit in ipsis
Pompeii castris. nam Pompeiana secutus
Hic olim est vexilla; Tui ducis impie pectus
Confodere? & lethali audes terebrare sagittâ?
Et cædis Modus ipse horrens, nam proditor illum Ex modo.
Principiò in speciem verbis excepit amicis,
Felicésque Ægypti oras, felicia dixit
Littora, queis tantus vellet considere Princeps.
Sed dum sanguineæ nauem appellebat arenæ,
Incautum ferro mal[illegible]ccupat; occidit ille
Orbis honos, palmare ducum decus, inclyta Romae

Gloria, Libertas quo stante intacta vigebat.

Caput 2. De enumeratione. Partium

Hinc sequitur, quā pulchra parit Discriptio *cūctas*
Totius in partes facilis Distinctio, *quá se*
Euoluunt Totius *opes, atque omnia membra*

Que cōparatur cum thesauro.

Nummorum est sic multa cohors, quam ventre capaci
Arca ferax includit, ibi regale metalli
Pondus, & ex albâ pretiosa numismata maßâ
In grandem vnius molem ceguntur acerui,
Et confusa latent, donec distinxerit omnes
Quæstor opes, cunctasque suâ statione locarit,
Tunc etenim indigesta prius, quæ stabat in arcâ
Aurea materies, simul atque argentea moles,
Quæque suo digesta loco, numerúsque, valorque,
Et pondus, pretiumque, potens & forma videntur

Ex negatione partium negatur. Totum

Hæc autem præcepta tene; Qui cuncta negarit
Mēbra, neget quoque Totū, *etenim cum nulla supersint*
Membra, nec esse queat corpus, qui dixerit, illic
Nec radix, nec truncus inest, nec frondea sylua,
Nec flores, nec fructus, ibi quoque defore ēplantum
Asseret, Arbor enim esse nequit, nisi frondea moles
Adsit, & extento vigeat cum stipite radix.

Sed omnium.

At Totum *tolli nunquam licet, omnia prorsus*
Membra nisi tollantur, vbi pars vnica restat,
Hinc *etiam auferri* Totum *nequit; Africa tellus*
Nec Cereri iacet apta, satis neque fertilis vuis,
Nec vestita herbis, vitreis neque limpida riuis,
Nec diues pomis, Zephyri neque turgida bullis,
Africa nulli ergo est decori; conclusio manca est
Quippe potest præstare viris, turgere metallis,
Efferuere feris, & ebur proferre superbum.
Sic ergo humanae momenta exercita vitae
Clara per explicitas referet Distinctio *partes.*

Ex enumeratione,

Inferri in miserae confinia tristia vitae
Mortales optate, grauis quam cura fatigat,
Sollicitat quam erumna, premunt incommoda, morbus
Exedit, & variis acincta molestia damnis.

Ex infātia.

Ecquod enim lenocinium? quæ philtra? quis illam
Ambit amor? vel cingit honos? infantia forte?

Illa

Illa sed insanis hæret contermi:a brutis,
Diuinæ rationis egens, imbellis, & inter
Squallentes patiens sordentia vincula cunas
Ast infans dimitte æuum, puerilia cerne
Tempora, sed quæ illis ætas infaustior annis? Pueritiâ
Hos leuitas mouet, hos petulans inscitia versat,
Hos torquet metus, hos nugæ remorantur inanes.
Maioris conscende gradus ætatis, & illam
Quæ viget ambrosiæ simulato flore Iuuentæ Adolescentiâ.
Ingredere; hanc præceps agitat furor, hanc premit amēs
Impetus, illam iræ, illam æstus, & cæca libido,
Rixáque, & innumeris subigunt contagia noxis.
Adde truces curas, intricatósque labores,
Quos ætas secum illa vehit, tum pondera belli,
Tum studii subeunda, vsus tum plurimus artis
Discendus, crebróque anima exercenda labore est.
Ast ætas forsan melior perfecta virorum? Virili ætate
Deterius gemit, illam etenim fraus, & dolus, & fax
Turpis auaritiæ, cupidaéque negotia vitæ,
Ambitióque nocens, fastúsque, átque anxia torquet
Cura domus, nummique sitis, natique frequentes.
Quid miseros casus? quid mille pericula dicam?
Quid fortunæ iras referam? quid sæua bonorum
Naufragia? & crebrò solitas contingere clades?
Hæc restat, quæ nos angit, turbátque senectus, Senectute.
Quæ vires, animúmque premit, quæ proxima mortem
Respicit, & properi tangit confinia lethi.
Quid lentæ reuocem fastidia mœsta senectæ?
Quid morbos, curásque, catenatósque dolores?
En illa est, quam nos terreno in corpore vitam
Ducimus, extremo cui limite clausula mors est.
Maioris iam plena operæ argumenta sequuntur, Caput 3. de Genere & specie.
Quæ fabricāt Forma *atque Gen⁹; Gen⁹ ampla requirit*
Iura, per & multos longâ ditione colonos
Extendit sua sceptra potens, Speciésque *freqnentes*
Arcet, & in laxos [illegible]m extenditur artus,
Formæ *autem natura, vni est addicta, nec vnquam*
Appetit alterius thalamos ambire iugales,

Sed Generi connexa suo velut optima coniux
Semper legitimi seruat pia fœdera lecti.
Hæc duo diuini generosâ in mente Platonis
Quæ Ideæ Platonis. *Ideæ erant, quas ille Deas ad summa Deorum*
Apposuit latera, & comites adiunxit ad astra;
Vnde homines, brutúmque pecus, volucrúmque cohortes,
Cæteráque infesti parentia legibus Orci,
Quæ miseræ sunt praeda necis, reparentur ab illis.
Cuncta etenim quaecunque suo vel Terra, vel Æquor;
Aut Æther clausere sinu subiecta ruinæ
Reparãtes ruinas singulariũ. *Deficiunt, vt forma rosæ, quam vere sereno*
Exoriens Aurora aperit, quam vespera claudit.
Ergo illæ ex alto partus Iouis æthere Nymphæ
Substituunt mortale genus reparántque labantes
Res indiuiduas *propriá quæ sorte fatiscunt.*
Hinc Formæ *Generiq; datur pro Emblemate Phœnix*
Quarum symbolũ Phœnix. *Non moriens Orientis auis, vel si occidit, vltrò*
Occidit, & victura iterum, fietque superstes
Ipsa sibi, sibimẽtque hæres; & nata, simúlque
Ipsa sibi quoque mater erit, struit ipsa sepulchrum
Mox cunas oritura, ac se post seipsa relinquit,
Natalémque suum simul, & sua fata salutat,
Cui cùm mors instat, quam cùm generosa senectus
Vrget, & exactis ætas grauat obsita sæclis,
Fertur odorato languens imponere busto
Corpus, & innumeris animam committere sertis
Vt rursum teneræ specioso flore iuuentæ
Gaudeat, & validas euoluat in aere plumas,
His *Emblema igitur Phœnix datur arduus ales*
Inscriptá cum voce; Iterum post fata resurgo,
Inuenióque nouam supremo in funere vitam.
Serpens pellem deponẽs *His etiam prudens in stemmata traditur Anguis,*
Qui multâ iam ætate senex, pellemque vetustam
Exuuiásque trahens angusta foramina quaerit,
Traiiciénsque, vetus spolium, tardámque senectam
Deserit, inque nouæ transfert se tempora vitæ,
Appicto cum versu, Idem quem lenta grauabant
Tempora, nunc gaudens iteratâ exulto iuuẽtâ

Insuper æthereus Iouis ales, atróxque minister Aquila
Fulminis, in Formæ *cedit* Generisque *figuram* rostrum
Ille senescentis pondus non vtile rostri, excutiés.
Segnitiemque exosus, vbi saxa aspera cernit,
In duram illidit cautem, rostrúmque senescens
Excutit, exurgitque nouum, versúsque figuram
Appositus describit, Onus depono senectæ
Formæ *autem, Calliste, tibi, Generisque petenda est*
Cognitio, quia saepè Thesim, *supremáque Rerum* Vsus
Euolues capita, & laxa argumenta sequeris.
Ad Similes *accedo Locos, quos culta venustas*
Ornat, & ad teneram transfert facundia pompam, Caput 4.
Infirmum quamuis habeant cum robore pondus, de simi-
Nec fusum eliciant hostili è caede cruorem, litudine.
His vtar tamen. apto etenim splendore coruscant, Quæ non
Et magnos adhibent facunda ad verba decores. magni
Non secùs ac cultâ cùm nobilis arte tabellam roboris
Pictor, & illustres Helenae *vel ducit honores,* est sed
Aut fulmen Iouis, aut raptum Ganymedis adumbrat ornatus.
Non tantùm mollémue Helenam. fulménue Tonantis, Ductâ si-
Aut flauum Ganymedem adhibet, sed congerit vmbras, militu-
Sed multa accersita addit, vel pascua laeta, dine à
Vel cautes rigidas, vestitósue arbore montes picturâ.
Aut fontes vitreos, aut florea gramina iungit,
Non quò susceptas meloiri ex arte figuras
Exprimat, aut positos effingat veriùs artus,
Sed quò ex diuerso variorum flore colorum
Incœptum magis ornet opus, cumulétque decoro
Lumine, & egregiis ornatibus impleat artem.
Delectat Locus hic animos, neque gratior alter
Esse solet, quin ipse Deus, quò corda virorum
Illiceret, placidóque sinus mulceret amore Quâ De⁹
Omnia imaginibus pinxit, compsitque figuris. ipse vti-
Ecquid enim tùm fecit? Agros cùm vestiit herbis? tur in re-
Accendit cùm cœlum astris, aut aera cinxit rum pro-
Phœnomenis? teneros scripsit cùm floribus hortos? ductione
Irim cum tanto pinxit splendore? quid inquam
Fecit? Imaginibus splendentibus omnia vinxit.

Et quid homo? rectórque animus, quo mēbra mouētur,
Quo Ratio diuina sedet, nisi pulchra Tonantis
Effigies, similisque genus? quid Filius ipse
Quo maius nil terra tenet, nil axis adorat,
Æterni quàm forma Patris? quàm pura parentis
Effigies? & Imago Dei? verúsque Character?

Quid sit similitudo.

Quid verò est locus ille? nisi cultissima nexus
Res inter similes affectio? quæ modò simplex
Esse potest, vt si acer Hydrops, & diues auarus
Inter se conferri æstu dicantur eodem,
Et modò compositis iucunda Paroemia membris
Conficitur, cùm multa simul referuntur ad vnum.

Exēplum loci illi⁹

An petitis, quid summū homini decus? altáq; præstet
Ornamenta viris? Aliud quid quæritis? vna est
Quæ Ratio menti alta præest; Animalia vincit
Immenso par penè Deo; nam cætera quamuis

Quo offēditur solâ ratione.

Splendida, quæ stipant hominem suffragia, vires,
Robur, opes, & forma patent communia brutis.
Quippe valet: num fortè etiam valet æmula cornix?
Robur habet; num robur habent quoque vasta leonum
Corpora? si pulchræ placeat sibi munere formae,
Et de formosis Pauus quoque gestiet alis,
Si gressu anteuolet reliquos, volucrique citorum
Mobilitatè pedum exultet; lepores ne fugaces?

Hominē eminere animantibus.

Aut celeres superabit equos? si diues, & arca
Innumeras includat opes; an Gryphas ad auri
Tutelam appositos, incumbentésque fodinis
Vincet? & ornatis conchylia turgida gemmis?
Exultet si dite togâ, si veste superbâ
Turgeat; an pulchro splendentia lilia peplo?
Vernanti num prata stolâ, aut pomaria vincet?
Si rectus, stat recta abies; si splendidius illi
Candor vocis inest, nunquid Philomela susurrat
Gratiùs? & modulis guttur melioribus implet?
Diuersâ verò tractanda Paroemia formâ est,
Nempe omnem vel tolle notam; Sic ira, furenti est,
Currus equo distractus, agens quem mobilis æstus
Saxa per, & cautes, abruptáque deuia transfert.

Vel solitas appone notas, est Ira rebellis,
Non secus ac immitis equus, quem nulla coërcent
Fræna, nec imposita celerem remorantur habenae.
Vicina huic statione Locus cognatus adhaeret,
Quo Paribus Paria *&* Maiora Minoribus *& se* Caput 5. De Cōparatione.
Componunt Magnis *æquâ ratione* Minora
Tunc Paria *Orator* Paribus *componit, vbi apti*
„ *Exempli paritatem adhibet; Sapientia nullum*
„ *Respuit, & nullum quoque legit, at omnibus æqua est:*
„ *Nec ditem petit, aut inopem; Mens optima cunctis*
„ *Lucet, in angusto quamuis nascantur agello.*
Patriciâ nunquam vestigia grandia lunâ
Pythagoras vel Aristoteles pressere, Cleanthes Parium.
Hausit aquam, vilésque manus ad dura laborum
„ *Pensa tulit; magnum effecit diuina Platonem,*
„ *Non magnum excepit Sapientia; stulte, quid haeres?*
Et si humilem te fortè casae, & pauperrima cogat
Conditio, tamen alta pete, & conatibus aptis
In curas incumbe pares, Te æqualis adibit
Gloria, & hos numerabis anos, quos mente sequeris.
Non melior censetur equus, quem fraena coërcent
Aurea, vel ditis torquet quem flexus habenae,
Vel fulgens phalerarum ostrum, vel ephippia velant
Serica, cuique iubas funis splendentior ornat,
Sed quem nobilior regit ardor, & acrior vrget
Impetus, & natura volans, qui praelia poscit,
Nec trepidas audire tubas, nec iniqua viarum
Carpere, nec dubios refugit transcendere pontes
Non quae pampineo foliorum exultat amictu,
Luxuriátque comis, sarmentorúmque fluenti
Complexu exundat, baccásque effundit inanes,
Vinea fertilior, sed de quâ plenior vua
Exit, & vberior generosi copia Bacchi.
Non seges haec, quae culmen habet lasciuius, aut quæ
Felliculis tantum, & vanis crinitur aristis
Commodior, sed quam interiùs numerosior implet
Fructus, & implicitis frumenta tumentia granis
Sic non is melior, vel quem possessio, vel quem

Fortunae splendentis apex, vel gratia formae,
Vel diues thesaurus opum, vel opinio famae,
Mentitive fugax decorat suggestus honoris,
Sed quem animi integritas, & morum insignia cingũt.
Tunc à Maiori ratio opportuna trahetur
Maiorũ. *Cùm* Minus *à* Magno *deducitur; Ignibus arsit*
Roma, Nero dum sceptra regit, latet illius autor
Cladis, in insanum scelus hoc conuerto Neronem.
Autorem tantae quid Roma incerta ruinae
Quaeris? & insontes pœnáquid vindice plectis?
Vnus adest tanti Nero criminis impius author,
Ne dubita; quid enim gratum est nisi noxa Tyranno?
Qui sacra flagitiis, pauidis terroribus vrbem,
Strage domos, Proceres ferro, formidine plebem,
Caede Senatores, leges & iura tumultu
Polluit, atque ipsam, tanta est dementia, matrem.
Ex illo quae digna mori, quia saeua Neronem
Edidit, aeriásque parens effudit in auras,
Crudeli exhausit ferro, flagrantia forte
Horruerit busta in patrias immittere tuores?
Crebrior orandi ratio est, cùm rebus ab imis
Ducimur ad summas, paruisque ad grandia sensim
Minorũ. *Nitimur, vt dicam esse Deum, qui cuncta gubernet*
Consilio, & ratione regat; Quis magna subiuit
Atria, & ingentes aliquando admissus in aedes,
Qui postquam leges atque inuiolabile fœdus
Ordinis, & cultos miro splendore penates,
Postquam abacos auro instructos, mensásque superbas
Seruórumque manus digestáque cuncta tuetur,
Extemplò non esse sciat, qui praesit? & omnes
Illius imperiis aedes curáque teneri?
At multó magis aetherei cùm lumina cœli.
Et certos astrorum ortus, obitúsque, ratósque
Circuitus, quos nulla vnquam mutatio vertit,
Nulla intemperies, confusio nulla fefellit
Cùm Solis *Lunaeque faces, quae crescat, & exin*
Decrescat mutila, atque breui extendatur in orbem,
Cùm pelagi, Nereique vices, miròsque refluxus

Tethyos, vt variis incerta reciprocet vndis,
Nec tamen in leges cogi, ripásque recuset;
Cùm varias ventorum animas, nunc flamine molli
Spargere humum Zephyros, nunc Austrum horrescere
Cúmque anni solisque vias, & tempora fixis (nimbis.
Ordinibus, nunc saeuam Hyemem canere pruinis,
Ver contrà florere rosis, modò messe comari
Æstatem, & laetis libram spumare racemis
Viderit, extemplò non colligat esse potentem.
Tam pulchri rectorem orbis, qui cuncta gubernet?
Et toti imponat praeses moderamina mundo?

Vberior mihi materies, Adiuncta *patescunt* Caput 6. De adiunctis.
Quae stipant rerum latus, & comitantia Causas
Praecedunt, illis haerent, aliquando sequuntur;
Ire solent Causam *ante,* Locus Tempusque *paratū,* Antecedentibus
Colloquia, *instructaeque dapes, Epulaeque, frequēsq;*
Consuetudo, minaéque truces, & sermo nefandus.
At dirum comitantur opus, strepitúsque virorum,
Vóxque ardens, clamórque hominū, audítique fragores, Comitātibus.
Commotique artus, & verso pallor in ore,
Patratum argumenta scelus diuersa sequuntur,
Membrorum tremor, aut moti rubor igneus oris, Subsequentib⁹.
Quassi artus, extincti ignes, ensisque cruentus
Stillantes à caede manus, inclusa loquentis
Verba, gradus titubans, subsultantésque lacerti.
Saepe Adiuncta *tamen circumstipantia crimen*
Praesumptis nocuere reis, innoxia quamuis
Pectora, & insontes gererent sine crimine dextras.


Fortè latebrosae deserta per inuia syluae Caput 7 Digressio de reo innoxio.
Imprudens mercator iter carpebat, in illum
Latro ruit, spoliátque auro, mercésque tuentem
Percutit & saeuo transverberat ilia ferro,
Extemplóque fugit, ferrumque in vulnere linquit.
Non secús ac tumidis inflata lacerta venenis
Postquam uirosos in biantia vulnera dentes Ex adiūctis iudicato.
Intulit & lacero penetrauit in intimā morsu,
Funebris imposito pendet de vulnere serpens
Nec retrahit rabidos illato ex vlcere dentes

Intereà mercator, humi prostratus acerbâ
Pugnabat cum morte, cruor manabat ab ictu
Plurimus, & plagam sensus vis alta premebat
Ille ensem, læsoque nocens è corpore ferrum
Vellere, sed frustrà, dextrâ languente parabat.
Cum venit peregrinus, eum deterrimus error
Tramite depulerat, sontisque in deuia sylua
Duxerat, inque truces miserum portauerat agros
Illum è sanguineâ stratus mercator arenâ
Vt vidit, quâ voce potest, námque aspera vocem
Vulnera claudebant, defectióque ægra premebat.
Si quid adhuc istis, inquit, Pietatis in agris
Hæret, & his nondum miseratio cessit ab oris
O clemens miserescе hospes, non magna requiro
Dona, nec immenso peto munera iuncta labori,
Hanc tantùm nostro de corpore velle sagittam
Et quis te plagis, lacrymans, feralibus hospes
Affecit crudelis? ait; quis atrocia pandit
Vulnera? cui rabido licuit te inuoluere ferro.
Et simul extraxit chalybem, sed vt extrahit, exit
Benefi-ciũ col-latum. *Sanguis & vndanti cum sanguine vita recessit.*
Ingemuit peregrinus, vbi morientia vidit
Lumina, & exangues animis fugientibus artus,
Quid faceret? sumptis abiit securus in armis,
Incautus tamen, haud etenim polluta cruore
Abluit, aut madido stillantia sanguine tersit.
Carò cõ-stitit in-nocenti. *Ecce autem numerosus adest cum praeside lictor,*
Praeside funereis plectit qui crimina pœnis,
Inquiritque reos, & dira piacula punit.
Ille, vbi pollutâ fœdatum in cæde cadauer,
Et vulnus conspexit hians, plagámque recentem,
Credidit inmmitem non longè à cæde latronem
Abfore, vestigat loca proxima, praedo cruentus
Nullus adest, iam tuta etenim spelæa petiuit,
Et solitas gaudens abreptâ merce cauernas.
Haec inter tutus vetitâ sine fraude viator
Incœptum peragebat iter; quem Praeses atroci
Voce rogat, solus quid inepto tempore tandem

Quaereret abductae deserto in tramite sylua?
Vnde domo? quò incerta pedum vestigia ferret?
Quale genus? certâ Peregrinus ad omnia voce
Rettulit; vnde notae, distinctáque puncta cruoris?
Caedis enim stillae, guttaéque in veste patebant,
Subiiciens Praefectus ait, simul accipit ensem
Ensem, quo cædem trux latro peregerat, illum
Stringit, & vt madido stillantem sanguine vidit,
Tu verò reus es sceleris, cadisque patratae
Inquit, & I lictor, sceleratas comprime palmas
Funibus, & saeuos in vincula mitte lacertos.
At miser insontes obitus, & funera clamat,
Vos cœlo defixi ignes, vos quae omnia nostis
Numina, quae cæcæ nequeunt celare latebrae.
Vos superi, vos testor, ait, si crimen, & vllum
Admisit mea dextra nefas, innoxia mens est
Criminis, & dirae manus est innoxia cædis
Quamquàm insons igitur roclamet & æthera testem
Aduocet, Indicia illa tamen maiora merentur
Pondera, praesumpti quàm vera negatio sontis.
Ergo cruentatâ dependet ab arbore iussu
Praesidis, exemplum diri non latro latronis.

Ex præsumptione enim.

Admissi facinoris Addicitur morti.



LIBRI QVINTI

PROLVDIVM.

LOngiores ædepol sumus, nec prolixitatem nostram diffitemur; similes sumus Architectis & Aurificibus quos operum suorum vel delectatio, vel amœnitas pretiosa titillat, quorum in manibus materia crescit simul & desiderium. Credebam equidem in vnius libelli quasi fasciculum omnia quæ ad inuentionem spectant, iniicere, in plu-


res tamen crescente materiâ diuidere sum coactus Cyrus cùm peteretur, quod breuius esset iter ad hostes, illud respondit, quod securius. Sic etiam prolixiores non erimus, modò vtilitatem prolixitati iunxerimus.

Ex Xenophōte.


Quod si è cæteris Locis magnum compendiũ in oratorem redundat, maximum profectò & iucundissimum ex iis qui sequuntur, vt pote extraneis excerpetur. Nescio enim quî fiat illud, vt ea quæ extra sedem, & locum natiuum existunt, esse pulchriora censeantur, & venustatis commendationem ex eo solo haurlant, quod peregrina sint & externa.

Exulant è cælo rores,
E Castoribus odores,
E mari monilia,
Exul aurum è cauernis,
Exul in areis vernis
Roris rosa filia.
Naues in mari vagantur,
In cælo peregrinantur
Ratis astra motibus,
Perque valles, perque colles,
Zephyrorum errant folles
Nectareis cursibus
Exul est è fonte flumen,
Exul est in æthrâ lumen,
Thesaurus in loculo,
Mel exul ex alueari,
Exul Ambarum è mari,
Sapphirus in annulo.
Exul est Virtus in mundo,
In lyra sonus, hirundo
Exul est in domibus,
In Ægypto peregrinus
Errat Nilus, & diuinus -
Afflatus in sensibus.

Cum ergo omnia é peregrinitate sibi laudem assumant, Loci isti, qui Peregrini, Externi, & Assumpti dicuntur, lepidiores erũt, quos vbi Causas explicauerimus, euoluemus.



LIBER QVINTVS de Causis, & Locis externis.



Nuenti iam meta mihi, finísque Locorum, Propositio.
Iam Causæ, *atque* Effecta *suis pendentia Causis,*
Et quæ Rhetoricas aliunde vehuntur ad artes,
Argumenta patent, iam laxior vbere pleno
Vena fluat, maiórque amplos se fundat in amnes. Inuocatio.
Non tamen Aoniæ vestro sine Numine Nymphæ
Qui superant, tractabo Locos, vos ergo fauentes,
Vos mihi iam, nostros gratâ quæ fronte labores
Hactenus, & facili auxistis conamina mente.
Auxilium quoque ferte Deæ, nisi Numine vestro
Inceptum foueatis opus, sacrúmque calorem
Hæreo, nec iustos ausim sperare lepores.
Iam Princeps Inuenta *inter, potiórque locorum* Caput I. de Causis
Causa *patet, quâ* Effecta *suam nascentia vitam*
Accipiunt, veniúntque hilares in luminis auras.
Quatuor in partes dirimuntur, & altera Finis
Altera Materies, Forma *altera, quarta vocatur* Causarũ quadriga
Efficiens, Effecta *suas ascribere vires*
Queis decet, atque ortus fœcundum agnoscere fontem.
Prima, vna est, vnde omnis honos, & forma, bonũque Caput 2. De pri-
Profluit, vnde suos capiunt animalia sensus,

primâ Causâ.

Sol lucem, splendorem æther, flos gratus adorem,
Virtutem tellus genitalem, humentia fluxum
Æquora, fœcundos aër purissimus imbres,
Reginam Rationem homines, donaria mentis
Angelus; Ille Deus per se stans, nullius ipse
Indigus, æternum soli cui terminus æuum.
Principióque carens, & fundens omnibus ortum
Cuius adorando reliquae sine Numine Causæ
Congruá ad Effect *fabricam virtute carerent.*
Nec sol sidereos effunderet aureus ignes,
Nec pisces daret vnda suos, nec campus aristas,
Frondiferas neque planta comas, neque concha lapillos,
Et lingua ad solitas haereret inepta loquelas.

Quæ omnipotens

Et in omnes causas influens.

Si tumidus curuâ pendet de stirpe racemus,
Si flaua in laeti ridet seges æquore campi,
Paestani turgent vernis si floribus horti,
Si liquidas mouet amnis aquas si fontibus vndae
Exsiliunt, nebulisque fugax ab hiantibus ardor;
Vitis pampineâ, quoniam Deus imperat, vnâ
Induitur, vestitur ager, tumet hortus, & vndas
Flumen agit, scissúsque salit de nubibus ignis
Causa ergo haec Communis *adest, illa omnia voluit,*
Et praestat dotes aliis, & robora Causis.

Et communis.

Hanc olim ignari Fatum *dixere Parentes,*
Aut cæcam Fortunam, *omnes cui ascribere casus*
Mos erat, inque omnes dominam cognoscere Causas
Illa vna in bellum, & medii in certaminis aestum,
Inque mare, inque forum, inque domos sua iura ferebat
Si fusos hostes bello domuisset, & arces
Altáque magnanimus strauisset mœnia ductor,
Si Consul leges, decretáque iusta tulisset.
Commotáue graues sedasset in vrbe tumultus
Fortunae, non consilio, sortique dabatur
Non menti, & quamuis ageret cæco omnia motu,
Incoleréique rotam, celerémque volubilis orbem
In selium legeret, nigrísque lateret in vmbris;
At cultus tamen ipsa sacros, quae vana Quiritum
Mens erat, & lucos, delubráque sancta tenebat.

Ab antiquis fatũ aut fortuna.

Nos illam, quamuis antiqui Rhetores inde, Quæ
Argumenta trahant, segetemque, ansámque loquendi, Christia-
Reiicimus tamen, haud alia est Fortuna, nisi illa ni reii-
,, *Quam vitium, virtúsue facit, sibi texere quisque* ciunt.
,, *Fortunam, sortémque potest; nulla ergo suprema*
Causa *tibi, Calliste, Dei nisi sola potestas.*

Communes *aliis aliae magis attamen, vt sol,* Caput 3.
Vt Luna, atque affixa polis sublimibus astra, De cau-
Inde illi ætherei à variis effectibus ignes sis crea-
Nomina mille trahunt, iámque aurea fila vocantur, tis.
Temporis instrumenta, soli, terraéque feracis Aliæ cō-
Altores, florum domini, herbarúmque potentes, munio-
Tutores frugum, Rectores orbis, *aquarum* nes.
Praefecti, febrium artifices, Medicique salutis, Vt astra
Structores nimium, lapidúmque, Fabrique metalli,
Ventorum aurigae, tempestatúmque parentes.

At plures Priuatæ; *Alia est, quae* Effecta *profundit* Aliæ
Vt sobolem fœcunda parens; fouet altera tantùm, priuatæ
Non parit, vt sanguis vitam; est quae gignit, & vna & diuer-
Seruat, vt auratum lampas Phœbeia lumen. sæ.
Ex illis alia est, quam lex, atque arcta ligarunt
Vincula sic, vt agat, cui se cohibere repugnet,
Procreat ardentem sic ignea flamma calorem.
Libera vis aliam mouet, & natiua voluntas
Impellit, sic ipse loquor, sic specto colores.
Causa *alia à naturâ oritur, sic laeta Lyaeum*
Vinea, sic arbos almo fert vbere fructus.
Causam *aliam statuere Artes, sic pulchra tabellam*
Insignem pictura facit, sic fortia tractat
Æra faber, sic arma potens victricia miles.

Materies *pars* Compositi *deterrima*, Causa *est* Caput 4.
Ex quá aliquod conflatur opus, primúmque creata est De ma-
Indigesta, rudis, sine luce, sine ordinis vllo teriâ.
Ornatu. deforme Chaos, *quam prisca vetustas* Materia
Dixit, & in tristem molis coniecit aceruum, per se
Hanc nullus decorabat honos, hanc nulla polibat informis
Gloria, donec ouans speciosae gratia Formae
Astat, & augustos illi dat amica fauores.

Cum vrsâ comparata.

Non aliter magni post tædia longa laboris
Ex vtero molem Vrsa ferox, & carnea fundit
Ludibria, in similem matri ventura figuram.
Principio confusa iacet sine partibus vllis
Massa, nec ardentes oculi, nec crura videntur,
Nec caput, horrendo nec rostra frementia morsu
Dum molem hanc, & pondus iners charissima mater
Fœcunda assiduo lambens lenimine linguæ
Format, & indistincta prius quæ massa iacebat,
Fit corpus distinctum oculis, & cruribus aptum.
Cui caput, hirsutique pedes, atque hispida ceruix,
Cui collum, reliquique patent cui corporis artus.
Materies *sic* prima *fuit, quæ deinde venustas*
Adiecta ad Formas *ex se omnia corpora conflat.*

Cœlestis inuiolata.

Etsi illam lucens ex quâ componitur Æther
Crediderim alterius generis, quam æterna ligarunt
Vincla, nec à propriæ germano fœdere Formæ
Fas illi resilire vnquam, neque soluere iura
Connubii, aut iunctos fas est abrumpere nexus.

Hæc nostra inferior.

Hæc autem inferior, quã Mixta, *Elementaq; matrem*
Agnoscunt, omnes ardente cupidine Formas
Appetit, inconstánsque omnes sibi iungere gaudet.

Causa corruptionis.

Hinc obitus, diraéque neces, hinc tristia fati
Exitia, hinc Procerum, quos nobile vestiit aurum
Quos molles fouere epulæ, quibus atria longis
Porticibus micuere, quibus latera ardua lictor
Cinxit, & in multas qui iura minacia gentes
Extendere, quibus fuerat lex vna voluntas,
Materies, *postquam putri iacet abdita terrâ*
Et tumuli conclusa sinu est, vel serpit in anguem,
In vermen vel repit, humum vel transit in ipsam.

Et mortis.

O vanos hominum fastus! ô inania vota!
O fragili bona nixa basi! iam regia iactet
Stemmata, & antiquâ, quos ducit origine, Patres,
Iam magnas miretur opes, & celsa domorum
Culmina, & æthereos tribui sibi poscat honores,
Quisquis Sarrano corpus vel murice vestit
Aut auro bibit, aut medio stat in agmine Princeps,

Quandoquidem infelix illum mutatio vertet.
At sortem meliorem, illac sine corpore mentes, Non ita Angeli
Quae procul abductae, & secretae prorsus ab omni materiæ
Materiâ, *felicem vllo sine crimine vitam,* expertes
Et sine venturae trepidâ formidine mortis
Securae fatorum agitant, omnisque pericli,
Immunes æuum mansura in tempora ducunt
Cuncta ergo (hinc exclude Deum, mentesque beatas Alia remota.
Et quas in stygios defectio trusit hiatus)
Constant materiâ, *quam vel modò crede* Remotam
Vt Plantae, montosus alit quas lucus, habentur Alia
Materies ratione domus; vel proxima fertur, proxima.
Vt lapides, quos dura fabri manus arsque poliuit.
Vel quae stans manet *vnde manens, velut aurea moles* Alia
Ex quâ fit statua, aut lapis vnde palatia surgunt trāsiens.
Altera quae non perstat, opus sed transit in ipsum,
Sic vua in vino, sic cocto in pane farina est. Alia permanens.
Forma, *genus* Causæ *alterius, cui totius ingens*
Compositi *debetur honos, quam blanda venustas,* Caput 5. De formâ.
Et decor, & pulchro sequitur sacra gratia cultu.
A quâ omnis rerum ordo fluit, quâ stante, nitescunt
Cuncta, cadunt pereunte, suum sortitur ab illâ Ab illâ omnis honor copositi.
Res omnis discrimen, Equus non est leo, lignum
Non est flos, differre alios à Sole *Planetas*
Dispicimus, quia Forma *illis diuersa, nec vndam,*
Quae flammā par Forma *mouet, nā quidquid in omni*
Nobile Composito *est* Formæ *promanat ab ortu.*
A Formâ *est, si vena micat, si lumina cernunt,*
Si *gressum mouere pedes, si lingua locuta est,*
Si pectus salit, alta sonos si percipit auris. Omnia
Pulmones agit illa, manus, agilésque lacertos animat.
Incitat, & faciles forti conamine neruos.
Per Formam *mens nostra videt, generosa voluntas*
Appetit. elapsos per Formam *agnoscimus annos*
Praecipimus ventura, Animus tandem omnia nouit,
Omniáque, vt Princeps subiecto in corpore fingit
Vt Princeps generosus, amor cui publica gignit Agit
Obsequia, & faciles praestat clementia ciues, omnia

Mollia dispersas mittit decreta per vrbes,
instar *Quidquid & in latis regni decernitur oris,*
principis *Id totum statuit suprema potentia Regis.*
in regno. *Dat iudex pia iura. sacericonsulta Senatus,*
Bella mouent animosa Duces, imponit in agros
Solemnes census, & vectigalia Quaestor,
Principis hæc nutu peraguntur, in omnia Princeps
Influit; & laxi mouet organa maxima regni.
Sic in Composito *regit omnia corpore* Forma
Omnis & à viuâ producitur actio Formâ. (*bram.*
E mate- *Et quanquam, (humanã tamen excipe numinis vm-*
riâ edu- *Ætheris afflatum, diuino è semine cretam)*
citur Materiæ *è fœcundo vtero gremióque feraci*
præter Forma *fluat, cultus illi tamen indit, & omnem*
humanã. *Suggerit ornatum, speciémque, & commoda confert.*
Est & *At* Forma *exterior, species vel aperta* Figuræ
forma *Crebriùs argumenta, patet quia clarior, offert.*
exterior *Hinc molles Tulipae, hinc animalia vasta leuésque*
naturalis *Describuntur aues, piscésque, ferique dracones,*
Hinc homines, paruúsque culex, & viiis & arbor
Et segetes amnésque, probrum laudémue merentur
Est & ar- *Exterior quoque* Forma *alia est, quam daedala rebus*
tificiosa. *Imprimit Ars, sic culta suas pictura tabellas,*
Et pulchra Aurifices Emblemata, & aerea doctus
Arma faber, Seres sic sartor & ostra figurâ
Instruit, & laxas audax Vitruuius *aedes.*
Hinc *Soli quod feci opus* Rhodus *alta, laborque*
Pyramidum, Phariaéque domus, atque ardua moles
Mausoli, *signúmque Iouis, quod in Elidis vrbe*
Phidiacae statuere manus, hinc vacca Myrenis,
Hinc arma Æneae, Myrmecidis inde quadriga,
Caput 6. *Hinc Zeuxis laudantur aues, hinc templa Dianae,*
de Fine *Iam* Finis, *qui mente prior versatur in altâ,*
qui pri- *Quem primum sectatur* Agens, *& notio* Causæ,
mus in *Extremo cui incumbit opus, quemque* Actio *tandem*
consilio *Consequitur, quem* Causæ *omnis conatus adoptat.*
vltimus *Naturam* Effecti *non tangit, & intima in ipsum*
in actu. *Non cadit, at tantum* moraliter influit, *& se*
Causarum

Causarum *numero per motum* extrinsecùs *addit*. Moralis causa.
Non etenim sic Finis *agit, velut impiger ignis,*
E quo ardens verè calor exit hyempsque fugatur
Sed mouet, inque sui mentes ambitus amorem
Allicit, vnde animus præstantiùs hæret in illis Nō physica.
Quos adamat, quàm quos animat, nam spiritus exit
Extra se affectu, atque rei se infundit amatæ.
Non secùs ac duri tardissima machina ferri Cōparatur cum magnete
Ingenium indignata suum segnésque morarum
Langores, vltrò natiuæ pondera molis
Exuit, & sese, & proprios dediscit amores,
Vt primùm validi vires magnetis, & ingens
Robur adit, tardæ tùm quippe grauamina massæ
Ponit, & illicibus magnetis amoribus haeret.
At princeps multos inter quos omnia fines Omnium nobilissimus De⁹.
Respiciunt, vnus Deus eminet, omnibus ille
Extremùm præfixus adest, seu quidquid Olympus,
Seu quidquid tellus, quidquid complectitur æquor,
In finem tenet omne Deum; Deus omnia, Cælum,
Et vastæ telluris opus, tractúsque marinos,
Et quæcunque vagis clauduntur in ætheris vlnis
Se spectans, proptérque suos eduxit honores.
Hinc Fines *inter dispescitur ille secundos,* Secundi.
In variosque scopos discerpitur, aurea lucra
In finem mercator, opes & quærit auaras
Ille voluptates, vetitósque libidinis æstus Varij.
Destinat in finem, ille apices, & culmen honorum
Ambit, & illustres Regum sectatur amictus
Mille & mille patent, omnes, Calliste *tenebis*
Sedulus, & vires, atque omnia pondera nosces.
Non alia vberior Causa *est, vel plurima præbet*
Argumenta stylo, quam ni cognoueris, errat
Dictio & incertis oratio fertur habenis. Cōparati cum portu.
Ac veluti medio frendentis in æquoris æstu
Veliuolas errare rates, dubiisque vagari
Turbinibus, rapidisque decet nutare procellis,
Quas littus nullum, quas nullius vltima portus
Vota tenent, sic nostrorum studia alta laborum

Ad Finem *spectare decet, secus omnia credam*
Irrita, & ambiguis iactari digna procellis.
Ipse velim à fluxis mortalia pectora curis
Abstrahere, & celsis animos affigere rebus
Vt moueam, flectámque sinus, proponere finem
Conueniet; Quid vos imis remoratur in oris?
Quid manibus versatis humū? noua sensa, nouósque
Affectus vestite, nouis incumbite votis.
Cur etenim aerias homines venistis in auras?
An tantùm vt viuatis? humi radicibus altis
Fixa arbor sic viuit; an vt terrena voluptas
Perfundat sensus, & corpora vestra saginet?
Non alios sibi praestituunt animalia fines.
Aspicite aethereos orbes, & splendida cæli
Sidera, vos huc vestra vocat natura, mouétque
Finis, & huc vestrae pellit vos gloria mentis.

Caput 7. De effectis. Quæ causam aperiunt.

A Causis Effecta *fluunt, totidémque patescunt,*
Quot Causæ *numerantur, honos hinc maximus ambit*
Rhetoricam, ditésque trahit Facundia cultus.
Nam cum saepe nigris lateat cooperta tenebris,
Causa, *nec in clarae ponatur lumine mentis,*
Se produnt Effecta *tamen, mediáque locantur*
Luce, intérque manus ipsas, vluásque tenentur.
Prima *tenebrosis, quis enim negit? abditur vmbris*
Causa, *& inaccessas habitat sine luce latebras;*
Cui licitum est spectare Deum? quis lumen in illum
Intulit? effusos ausus tolerare nitores?

Et sunt opportuna amplificationi. Vt patet In effectis causæ primę euoluendis.

In se igitur Princeps lateat cùm Causa, *latentem*
Euoluunt Effecta *Deum; Quis enim ambigit illum*
Effectis *agnosse Deum? qui cuncta creauit,*
Qui terrae molem immensam, & fundamina mundi,
Et magnos cælorum axes, atque aurea fixit
Astra polo, & plenis solem splendoribus auxit.
Qui iuxtà celsi praetoria maxima cæli
Ætheream accendit flammam, mediúmque coactus
Librauit nubes intra aera, & alitis ignes
Fulminis, & raucae tenebrosa tonitrua noctis
Plumosámque niuem, & volitantes aethere ventos

Immensos qui deinde sinus maris, & freta multis
Æstibus, & laxos Neptunum effudit in amnes.
Qui tandem effusi medio in libramine mundi
Terrenum fundauit opus, solidámque locauit
Materiam Telluris, aquae quam fertilis humor
Alluit, & purâ liquor aeri ambiit aurâ
Ornatu qui cuncta suo descripsit, & herbis
Fœcundam depinxit humum, & fragrantia serta
Et florum gemmas croceos immisit in hortos
Qui celsas pennis per magnum enare volantes
Aera, & aequatis animalia currere terris
Iussit, & aequoreo diffundi marmore pisces.
Vbertas hinc quanta fluit? quàm panditur ampla Vt & in irâ.
Materies? Sic Ira latet, nisi fortè patentes
Nota per Effectus *oculos offendat ad ipsos:*
Quàm verò laxis liceat decurrere metis,
Illius si Effecta *aperis? praecordia turgent*
Sanguineus frontem rigor asperat, ora minaci
Voce tument, agitata fugit sub pectora sanguis,
Vultum pallor habet, candentia lumina flamma
Obsidet, instabiles torquet complosio palmas,
Vis agitat festina gradus, quatit improba dentes
Motio, & horibiles rabidus tremor incitat artus
Quinetiam tanti vestigia certa furoris
In brutis expressa patent, fera cornua taurus
Iactat, & incensos spargit de gutture fumos,
Spumat aper, dentesque acuit, rugitibus auras
Implet atrox leo, colla inflant infesta dracones,
Et virus lethale vomunt, canis hispidus horret,
Et rictu stridente fremit, sauitque latratu.
Has vbi Patricias sedes, Calliste, Locósque
Cognatos arti decurreris, extera tende Caput 8. De praeiudiciis.
Ad momenta, quibus Causam Facundia firmat.
Ac praeiudiciis *primùm locus; Illa petuntur*
E causis, iustus quas arbiter antè diremit, Quid sint
De quibus & sancita tulit decreta Senatus,
Non tamen illa tenet vis ardua, semper in illis Incerta.
Imparitas aliqua est, nec eodem fœdere gaudent.

Caput 6. De famâ — Nec Rumor quoque fortis erit; quid enim esse putemus
Rumorem? nisi verba, quibus certißimus autor
Nullus adest, vanae quae plebis opinio fallax
Fouerit, & vacuas infuderit inde per aures.
Tenue argumẽtum. — Sed quia totius populi consensus, & vrbis
Iudicium Fama esse potest, hinc inclyta Famæ
Nomina Rhetoricas inter numerauero sedes.
At Tormenta magis fidei, maioráque claudunt
Caput 7. de Tormentis. Locus valde ambiguus — Robora, námque frequens illis confeßio noxæ
Exprimitur, verúmque patet, quod voce disertâ
Antè negabatur, tamen his non semper habenda
Intemerata fides, mendacia saepe, dolumque
Eliciunt, quippe illa dolor vesanus acerbat,
Quaesitor regit, urget atrox metus, addita crebrò
Spes sortis melioris agit, contorta libido
Flectit, & ingenium sensúsque animique gubernat.
Sunt etenim, quos vis adeò contrà aspera munit
Perpendẽda tormẽta ex naturâ patientis — Tormenta, vt cuncta antè ferant, quàm nota reuelent
Crimina, & admissas cogantur pandere labes
Ast alios componit iners natura doloris
Impatiens, quos ipsa etiam praeuisio pœnæ
Sternit, acerbati nedum vicere dolores
Vt patet in historiâ. — Insons appositâ mendacis fraude mariti
Vercellis vxor defertur, & ante tribunal
Proditur in thalamos iuuenem admisisse iugales.
Ille scelus, simul illa negat, sed vt vngula fossum
Incœpit tentare latus, sensúmque doloris
Fœminæ vercellensis septies ictæ ex D. Hier. — Incussere fides, Iuuenis mollißimus haesit,
Infractúsque animo Veneris deforme fatetur
Crimen, & admissos, quos non admiserat, ausus.
At mulier, sexu mulier, non robore, quamuis
Omnia sanguinei subeat tormenta doloris,
Quæ viro deficiẽte semper perstitit. — Etsi illam horrendum dentato pectine ferrum
Torqueat, & teneras cremet ardens lamina plantas,
Impositum generosa tamen scelus omne refellit,
Séque negat patrasse nefas. Quin exere tortor
Quidquid habes pœnarum, inquit; non abnuo mortem
Nec peritura breuis timeo dispendia vitae.

Stet decori modò vita meo, nec turpia feci
Flagitia, aut socii violaui fœdera lecti.
Tu verò inconstans Iuuenis, qui crimine tetro
Inque tuum caput, inque meum mentiris, atroxque
Imponis falsae conuicia turpia noxae, Et gloriã vitæ prętulit.
Quid fis sponte nocens? vitam quid saeue duorum
Cadis? & exitio me tecum inuoluis eodem?
Sed quidquid loqueris, non sum rea, testis Olympus,
Et testis, quem nulla latent mendacia, Christus,
Si moriar, sine labe cadam, tamen impius illam
Iudicat, & simili iuuenem quoque funere tolli
Praefectus praecepit, vbi ferale theatrum
Scandit vterque, virum caesis ceruicibus aufert
Tortor, & in primo rigidum caput abscidit ictu.
At non tam faciles iniustae Fœmina mortis
Inuenit generosa vias, post ipsa resurgit Quam lictoris gladius violare nõ potuit.
Funera, pòstque obitum viuit, nam lictor iniquum
Ceruicem in miseram gladium cùm destinat, aequus
Fit mucro, solámque cutem praestrinxit, at omnes
Collegit vires, rursúmque in saeua satelles
Vulnera iit, sed rursus hebes stetit hasta, nec ausa est
Insontis violare caput, tùm tertius ictus
Incutitur, stetit ictus iners, resilitque sine vllo
Vulnere, nulla patent positae vestigia plagae.
Non aliter quàm cùm Steropes vulcania proles
Incudem, ferrúmque terit, stat siccus ab ictu
Malleus, & tacto resilit non noxius aeri.
Id tortor miratus atrox in guttur acumen
Dirigit, & recto iugulum ferit ense, sed ensis Ea vis est innocentiæ.
In capulum replicatur hebes, nec lassa quieuit.
Saeuitia, aut rabies post tot miracula cessit,
Sed quintus, sextúsque illam, sed septimus ictus
Percutit, at chalybem contra stetit integra ceruix,
Et victrix mulier septem post funera mansit.
Non igitur Tormenta *fides innoxia semper*
Cingit, at illa frequens dubiae fallacia linguae
Irritat, & pondus, momentáque vana refellit.
In Tabulis *vis magna sita est, quae pondera leges,* Cap. 10.

De Tabnlis. *Hæc* Tabulas *quoque habere decet, cõmittimus illis*
Fœdera, Teſtamenta, Fidem, *legata, ſacrumque*
Conuenti decus, atque animi mandamus honorem.
Earum robur. *Ergo ſi nullus* Tabulis *locus, alma peribit*
Integritas, totóque fides pelletur ab orbe.
Sed contrà in Tabulas *quàm crebræ irrepere fraudes,*
Et menda, erroreſque queunt, quàm ſæpè videmus
Vel fœdo custodum aſtu, vel fraude malignâ,
Et imbecillitas. *Ignauóque errore dolos, fallaxque ſigillum*
In Tabulas abiiſſe? etenim quid pronius extet,
Quam ſcriptas ductu calami corrumpere chartas?
Quàm facilè eſt ſimulare manum, & veſtigia dextræ
Fallere? & affines veris effingere formas?
Cap. II. De Iuramentis. *Præ* Tabulis *maius robur grauiora coercent*
Pondera Iuramenta, *Deus iuratus adeſſe*
Creditur, & iuſtum veris præbere fauorem.
Diuerſi modi iurandi. *Nec verò ſolâ iuratur voce, ſed ipsâ*
Admotâ ad pectus, tensâ vel in æthera dextrâ,
Olim etiam ferri vel tactu, ariſue flagrantis
Teutonico de more, etenim, quæ gratia cœli,
Ferro candenti *Tùm Deus ardenti frangebat iu are calorem,*
Iurantis ſi vera fides, & pura voluntas.
Cuius exẽplum ex hiſtoriâ Germanicâ *Auguſto Proceres interſtetit vnus Othoni*
Naturæ lucentis apex, regnabat in ore
Maieſtas, vnáque decor, dignámque tenebat
Cæſariem flauo ſpecies cognata metallo:
Innoxius iuuenis. *Hæc tamen ornamenta viri poſtrema, pudoris*
Ingenium, virtúſque nitens, pietáſque, fidéſque
Et decus, & puræ caſtâ cum coniuge tædæ
Condiderant ſanctum ſecreto in pectore templum.
Illum furtiuæ ſuccenſa libidine flammæ
In thalamos Auguſta vocat, pauet ille, ſcelúſque
Horret, & infandi refugit contagia probri.
Abnutu Regina furit, flagrat ira medullis,
Inque odium mutatur amor; Maleſane peribis
Indignus vitam producere; méne repellis
Inſcie? méne tuo non aptam reris amori?
Ergo tuis ego ludibriis vltrà immoler? vltrà

Dedecus hoc patiar? disces rigidissime, disces
Quid sit conspicuos Augustæ spernere vultus.
Et simul, vt furiarum impos, iraéque tenax est
Fœmina, fictitium defert ad coniugis aures
Crimen, & imposita fingit conuicia noxæ.
Ausum nempe suos iuuenem tentare pudores,
Et vetitis arsisse rogis, extinguere par est,
Sed proprio tales extinguere sanguine flammas.
Exarsit subitæ Rex turbidus ignibus iræ,
Indictáque virum causâ ferit, exit in artus
Sanguis, & insontes mutilat laniena lacertos.
At Iuuenis coniux casto viduata marito
Coniugis vt casus, & funera sciuit amantis,
Non molles iit in lacrymas, nec inanibus auras
Percussit tantùm singultibus, ipsa petiuit
Atria, vbi coniux gladio percussus iniquo est.
Ipsum Augustum adit, & Te, inquit, dignissime Cæsar,
Infelix accedo, prius quæ verna virebam,
Carpens explicitos molli dulcedine flores,
Nunc cæsâ radice hebeo; Tu causa doloris,
Tu mihi supremi fons es, Rex maxime, luctus
Si iustè, & tanto vitam si crimine Coniux
Polluit, & vetitos demens incurrit in ausus,
Ipsa equidem sum iniusta, pares cum coniuge pœnas
Me decet expectare, Tibi quæ crimen inuram.
Sin contrà, vita est innoxia Coniugis, ad quem
Confugiam infœlix? aut quem deserta patronum,
Vltorémue nisi, Cæsar Te magne reposcam;
Sic ait, inque rei testem candentia nudâ
Accipit æra manu, versatque, & tractat, in igne
Incolumes mansere manus, instárque rosarum
Sustinet insontes vllo sine vulnere flammas.
Obstupuit nouitate rei Rex turbidus, & se
Arguit, & iugulum gladiis vltoribus offert,
Quod peteret matrona, feris nisi nisibus obstent
Supplicibus votis Proceres, conuersus iniquae
Omnis in Augustæ caput est furor: Impia flammis
Traditur, has meruit scelus intractabile pœnas

Accusatus ab Augustâ apud Othonẽ.

At pœnas iniustè dedit

Cuius innocentiã

Probat Coniux vidua.

Attactu ferri cãdentis innoxio.

Cap. 12. De testimonijs.

Iuramentum igitur cautè extorquebo ; nec ipse
Incautè dabo; Maior adest in Testibus vsus,
Quos in bina seco genera ; hos humana probauit,
Hos diuina fides ; Laeuo reboantia cœlo
Murmura , fulmineis salientes nubibus ignes,
Et volucrum cantus , & aruspicis omina pennae,
Crinitaéque faces , stellaéque , anguésque volantes,
Tum Manes , tenuésque Vmbrae , & sudantia templis
Marmora, túm Sortes, sacrique Oracula vatis
Cortynaéque adyta , & magnae responsa Sibillae

Eorum diuersa genera.

Amorem nouere Deum , iam multa repellit
Ex illis syncera fides , Diuósque Prophetas
Authorésque sacros , & plenos numine Mystas
Admittit , testésque sui sermonis adoptat.

Diuina.

Humanos inter Testes is idoneus extat,
Inclyta quem clarae commendant nomina famae
Aut plures qui claudit opes , cui multa coluntur
Iugera , quem maior Virtutis opinio cingit

Humana

Solertes nec tantùm homines testantur , at ipsae
Ipsae etiam testantur aues , & crimina produnt.

Brutorũ.

Fortè Ibycum , celebrem Graio sermone Poëtam
Saltibus in mediis intercepere latrones
Errantem nummósque petunt , aurúmque , sed aurum
„ Praedones , Ibycus non possidet , esse Poëtam,
„ Et turgere opibus non conuenit , Indiga gens est
„ Quae Musas, Phœbúmque colit; Nil ergo, Latrones,
Expectate , Ibyco nullis mihi credite nummis
Zona tumet ; nil verba valent , dare cogitur aurum
Si quod habet , iugulúmque truci supponere ferro.
Ille mori certus pœnas , iustámque minatur
Vindictam , vatis tempsit latro verba , rogátque
Quis tandem obscuris crimen deferret ab vmbris,
Fortè Grues altâ cœli regione volabant,
Tranabántque polos , Testes hae criminis , inquit,
Quas cœlo spectatis , erunt , risere latrones,
Immitésque feri fodiunt praecordia telis.
Tempus abit , caedísque latro est iam tutus, at omne
„ Constringit vindicta nefas , & perfida nunquam

Occisus à latronibus.

Exultauit

„ Exultauit ouans impuni crimine dextra.
Illi ergo exutá formidine magna frequentant
Consilia, & crebro comitia feruida cœtu
Incauti, Ecce volat liquido Grus plurima cœlo,
Tum Prædonum vnus Sociis, hæ criminis, inquit,
Vltrices. Testésque Ibyci; verba illa tribunal
Resciuit, stringitque reos, criménque fatentes
Plectit, & infami sontes adiudicat ensi
Quid narrabo canes? fidum testantur amorem
Et dominos nouere suos, & certa dedere
Indicia, ignotos quamuis absentia reddat.

Vindicatur.

Testimonio Gruum.

Tempore in eras pubes quo Gallica terras
Arma tulit, confluxit eô lectissima bello
Nobilitas, primique Duces, quos inter auitis
Stemmatibus, longáque insignis gente Benacus.
Illum equidem crebris Coniux dilecta querelis
Innectebat, amórque moram iniiciebat eunti
Sæpe monens, quorsum, Coniux charissime, tendis?
Quo sine me periture ruis? ne fide marinis
Vorticibus, trepido dubita te credere Ponto,
Dum via tota tua est, & dum potes, effuge fluctus.
Nescio enim quod triste truci mihi cernitur vndâ
Prodigium? neque vel scopulos, cautésue malignas,
Aut sæuos modò cerno Notos, horrentius Augur
Turbinibus monstrum video; cerno aspera vincla,
Nodósque, & manicas, & atrocia carceris antra:
Quod si adeò hæc stat fixa tuæ sentantia menti,
Et cupis, ô miserum, à patriâ discedere terrâ,
Me tecum sociam dubiis admitte periclis,
Te cæcos per aquarum æstus, perque horrida Martis
Tela sequar; generosus Amor mihi suggeret alas,
Et vires dabit, & tecum noua credar Amazon.

Cap. 13. Digressio de Benaco ex commentariis Familiæ Benacianæ.

Proficiscitur ad bellum sacrum.

Nec retinetur.

Hic Benacus; Ego haud equidem, charissima Coniux,
Abnuerem, si sensa mei sectarer amoris;
Sed me magnus honor, Generique annexa superbo
Conditio, & celsas acuit quæ gloria mentes,
Huc quamuis inuitum adigunt; Tu hic omnia tracta
Intereà, & nostros animo tutator amores.

Precibus coniugis.

Vnum autem, Te, sponsa, rogem, si me aspera Martis
Bella, vel ambigui discrimina turbida casus
Abstulerint, reditúmque immissâ morte negarint;
Non Te aliis subduco toris, aliisue Hymenæis
Subtraho, felices alio cum coniuge nexus,
Iunge, mei sed viue memor; Quid talia Coniux
Ingeris? vxor ait, monitis quid amantia vexas
Pectora? quid castas violas sermonibus aures?

Quæ fidẽ æternam promittit.

Méne igitur vetito tendandam credis amore?
Externóque arsuram igni? terra ante reuulsis
Sub pedibus tremat, atque meos exhauriat artus,
Quàm Te, sponse micans, violem, nexúsque iugales
Abrumpam; Tua semper ero, si casus obibis,
Tristis auernales tecum transibo sub vmbras.
Sed meliùs sperare datur, potioribus ire
Auspiciis licet, I, melioribus vtere fatis,
Et victor rediturus abi, quæ littora tanges,
Laurus ibi, & magnâ crescat victoria laude.
Sic ambo alterno curas sermone leuabant.
Tandem lectorum Iuuenum stipante cateruâ
Digreditur, Regémque petit, turmisque paratis
Iungitur, & flantes sequitur cum puppibus Austros.
Principiò lenes auræ, & freta prospera faustos
Promisere dies, cùm protinus aëra nubes
Implicat, & fœdo Caurus ciet æquora motu.
Continuò in plures dispergitur vnica classis,
In dextram ratis vna viam, ratis vna sinistram
Flectitur, & dubiâ pendens iactatur in vndâ.

Tamen vbi captiuus à Turcis.

Hæc verò cui nobilibus dux inclytus armis
Præficitur Benacus, vbi secura periclo
Emersisset ouans, & leni libera ponto
Tranquillum captaret iter, grauiora repente
Imprudens in damna ruit, nam sola nocentum est
In populatrices Turcorum inuecta carinas

Diu in vinculis iacuit.

Hic per septem hyemes rigido captiuus in antro
Hæsit, & indignis heros emarcuit vmbris.
Occiduas quoties oculos reflexit in oras!
Ambrosium quoties patriæ telluris amorem

Et veteris reuocans solatia mollia vitæ
Perfudit tristi imbre genas! quotiesqae litauit
Numinibus! superóque preces commisit Olympo!
Præcipuè intactam votis precibúsque parentem
Sollicitat, reditúmque petit. tandem illa petitis
Annuit, ipsa ferum tenebrosi in carceris antrum
Desilijt splendore micans, manibúsque benignis
Vincula sopiti conuulsit acerba Benaci
Effractisque seris dominâ mandante per auras
Implicitus somno patrias transfertur in oras.
Interea Coniux interfluxisse tot annos
Vt vidit, fidei fallax oblita prioris — Vxor ad
Igne nouo flagrauit amans, & vota secunda — secunda
Expetit, & nexus ambit sociare iugales — vota trã-
Iámque sacrum solemne pio de more sacerdos — situra e-
Ante aras facturus erat, cùm sole micanti — rat.
Excutitur somno Benacus, & omnia lustrans — Cùm Be-
Illudi vanâ somni se credidit vmbrâ; — nacus.
Miratur syluas, fusique patentia campi
Æquora, prospectus cœli miratur apertos,
Et laxos vinclis tandem cùm sentiat artus,
Quid gaudes Benace, inquit, quæ vera videntur
„ *Somnia sunt; Vota illa in noctem sæpe recurrunt*
Quæ vigili venere die; Mox tractat, & omnes — Diuinit9
Explorat sensus; animúmque per omnia transfert. — emissus.
Et certè vigilamus, ait, sed vera loquenti
Stabat adhuc incerta fides, cùm iugera tandem
Cuncta recognoscit, fœcunda noualia cernit,
Cernit agros, spectat nemora alta, domúmque superbã
Turrésque, & magna cernit iuga celsa Pyrenes.
O Patria! exclamat, rursum ô patria! ô domus! ô Gẽs! — Et mo-
O Patrii saluete Lares! saluete penates! — mento-
O salue natale solum! Vos ecce reuiso, — relatus
Me tandem excipite, atque sinus aperite benignos. — in patriã
Tùm grates superis habiturus in ardua templi
Limina progreditur; sacrásque accedit ad aras.
Hic verò subit antè oculos mirabile monstrum
Affines in casta videt delubra coactos




Vxoremque nouis propè iam nubentem Hymenæis,
Hic iterum falli se credit imagine somni
Sed tamen è medio sese producere cœtu
Incipit, hic, inquit, coram quem cernitis adsum
Benacus; Vix illa dedit; cùm protinus omnes
Squallentem circumspiciunt, fusóque cachinno
Excipiunt. pugnísque petunt; ipse astra, Deúmque
Acciit in testes; frustrà tamen astra vocantur,
Et frustrà Deus; at subiit res mira, senilem
Fortè canem videt, ille sibi charissimus olim
Venanti fuerat; Cùm signa, & verba refellant.
Cùm me nosse mei nolint, vultúmque recusent,
Per mutum, Deus alme, canem me ostende, mihíque
Redde meos, me redde meis, & iura tuere.

Testimonio canis agnitus.

Dixerat, extemplóque canem, quâ voce solebat,
Euocat, ille etiam solito de more fauentem
Agnoscit vocem, & Domini mandata capescit.
Quippe illi accessisse ferunt, & verbere caudæ
Coniectúque pedum facili, motúque frequenti
Aurium, & exertæ crebro lenimine linguæ
Mulsisse, & Dominum tantùm non voce disertâ
Proclamasse, suâ Dominum quem voce ferebat.

Vetitas nuptias inhibuit. Et voti reus apud Tarbellas ædē extruxit.

Túm verò mutati animi, quæque omnia nullam
Argumenta fidem tulerant. nunc vera probantur
Nunc eadem manifesta patent, tunc omnis in illum
Turba ruit, notos amplexatura lacertos.
Inde memor voti, sancto quod miserat ore
Tarbellas petiisse caput regionis, ibique
Dicitur in dignum dominæ Genitricis honorem
Eduxisse tholos, seriémque altaribus omnem
Fixisse, historiæ monumentum insigne peractæ.



LIBRI SEXTI

PROLVDIVM.

CVM ad mundi iſtius fabricam, & eorum omnium quæ in orbe continentur, ex rerum multarum acceſſione atque complexu, mirabilis ille quem videmus exſurgat ornatus, certé ex ordinis laude atque diſpoſitionis efflorefcit: Nihil vnquam fuit. & pulchrum ſimul, & confuſum. Et quid primum orbi venuſtatem aut indixit, aut induxit, niſi ordinis gratia & diſpoſitionis elegantia?


Fingamus ex ijſdem partibus hanc immenſam vniuerſitatem eſſe compoſitam, ſed tamen omnia ita eſſe indigeſta, vt neque cœli altâ ſublimitate tollantur, neque terra ſuis examinata ponderibus deprimatur, nec cætera elementa ſuâ ſtatione conſidant, ſed alia mutuo in aliorum ſedes, atque dominia tumultuariâ importunitate, & temeritaue cōfuſa ſubſiliant; Quid erunt hæc omnia, quæ tanto cum ſplendore coniuncta quia ordinata ſuſpicimus, niſi mera vaſtitas, & redintegratum antiquum illud chaos tantâ cum famâ, aut potius tantâ cum infamiâ à Poetis decantatum?

Quid verò naturæ caput homo, & epitome diuinæ Sapientiæ, & formoſitatis antiſtes, niſi monſtrum eſſet, ſi à lege vel loco ſuo membra deficerent, & manus in pedes ſolidarentur, ceruix firmaretur in genua, & deſtituto vultu natiuo domicilio geminæ oculo-

rum faces in pectus desilirent? At enimuerò sunt omnia membra, ex quibus constare solet homo? sunt illa quidem sed quia neque apté disposita, neque consentanea ordini, esse censentur, ac si nulla forent. Quid aliud est furere, quam ab ordine rationis deficere?

Tu cicurasse feras Orphea, mulsisse leones
Diceris, & rapidis frana dedisse fretis.
Diceris & sauos cantu sopisse dracones,
Et mouisse tuis aspera saxa modis.
Diceris vmbrosos Acherontis adisse penates
Victor, & infernas exsuperasse domos
Et manes imos, & caligantia tecta
Diceris arguta conciliasse Lyrâ
Nec tamen insanas potes heu placare cohortes
Nec potes emotis ponere frana choris.
Illa Deûm effigies, superóque affinis Olympo,
Cui ius est rabidis imperitare feris.
Illa Deûm soboles, mentem si deserat Ordo,
Infrà degeneres cogitur ire feras.

Nec minùs in cæteris ordo requiritur; Da inter prædones ordinem, non erit illa latronum manus, sed militum; da confusionem inter milites, milites esse desistent, vt grassatores existant. Quid est pax, cum omni suo suggestu, nisi ordinis conseruatio? Quid bellum cum omnibus suis fraudibus, nisi ordinis inuersio? Aspice porrhò animalia, ad ipsa etiam sese salutaris ordo protendit. Apum & formicarum Respublicæ ordine solo constant, qui vbi primùm læditur, illicò in pugnas examina inordinata feruntur.
Cum ergo omnia sine dispositione inuenusta sint, & pené nulla, nec in oratione texendâ aliam sibi legem orator imponat.



LIBER SEXTVS De Diſpoſitione.


Actenus arguta ſpecioſa cubilia mentis, Propoſitio.
Et ſedes teneras, cultaéque inuenta Suadæ
Quæſiimus, ditéſque Locos; *Nunc omne per alti*
Iudicii placet ire decus, ſacrúmque tenorem
Ordinis, Eloquióque aptas diſponere partes Inuocatio.
Hoc igitur meditabor opus, doctúmque laborem
Suſcipiam; *vos veſtra prius quæ ſæpe tuliſtis*
Auxilia, & blandum Charites mihi ferte fauorem.
Principiò rerum Ordo fuit confuſus, & aer Caput I. De Ordinis laude.
Sedit *mixtus aquis, calidis aqua frigida flammis,*
Et cœlo tellus, & ſplendida ſidera ſaxis.
Aſt vbi diuino Deus arbiter omnia nutu
Diſpoſuit, iuſſitque altâ in regione micantes
Stare polos, ſubſidere humum, tunc ordinis almi
Viribus, appoſitâ fulſerunt omnia formâ
In cunctis tantum Ordo valet, ſic omnia lucent Ordine omnia conſtant
Ordinibus firmata ſuis, ſic cuncta laborant,
Ordinibus turbata ſuis, Quid enim æquore in alto
Tempeſtatum acies, incompoſitáſque procellas?
Quid terrâ fremitus? quid aquas? quid fulmẽ & imbres?
Quid circumfuſas atro ciet aere nubes
Confuſus niſi Rerum Ordo? Quid magna tumultu Omnia confuſione turbantur.
Imperia? inſanâ quid ſeditione cohortes?
Quid rixâ grauiore domos? quid noxia morbis
Corpora? quid multâ languentia pectora tabe
Complet, & horrentes vitiorum importat aceruos,
Turbatus niſi rerum Ordo? ſin cuncta ſruantur

Ordine, pacato gaudebunt omnia cultu.
Si rectus manet ordo, suis constantia regnant
Legibus imperia, & florentia castra triumphant
Florentesque domus, ordo sacer omnia tractat,
Nunquid composito tractabitur Ordine sermo?

Ideo necessaria oratori dispositio.

Gracculus hic, non Rhetor erit, cui lingua sine vllo
Ordine verba dabit, cui perturbata loquendi
Formula, nec propriâ res in statione locantur.
Plurima enim repetétque loquax, & plurima mittet
Ignarus dicenda, velut qui nocte sub altâ
Ingreditur, cùm nulla polo scintilla relucet,
Nescit vbi figátue pedem, aut vestigia ponat.
Non aliter sine consilio, sine mente vagatur
Dictio, Iudicii cui deest pulcherrimus Ordo,
Quam series rerum castigatissima linquit.

Caput 2. de tribus causarũ generibus.

Vt verò facilis series, splendensque nitescat
Ordo, velim, Calliste, *scias tres Rhetoras olim*
Dicendi statuisse modos, quibus omnis inhæret
Quæstio, queis Theseon ratio concluditur omnis.

Demonstratiuo. Cui in finẽ datur. Laus vel probrum

Illarum genera è vario discrimine rerum
Emergunt. Res quippe aliæ præsentibus hærent
Temporibus, laudémue petunt, probrúmue merentur
Ex illis causæ Demonstratiua *patescit*
Formula, quam virtutis amor, quam mitis honestas
Quam laus, quam probitas, quam commendatio vitæ,
Vel contra, morúmque probrum, turpisque libido,
Improbitásque nocens, vitiúmque informe sequuntur.

Deliberatiuo, futurum tẽpus inspiciente Cui in fine datur vtilitas.

Altera Res instat cum tempore nexa futuro,
Hanc *propter vel rostra petit, magnúmue senatum*
Consilium Rhetor dubiâ de sorte daturus.
Hinc *aliud surgit* Causæ *genus, illius omnis*
Scribitur vtilitate *modus, nec terminus extra*
Venturos fructus, aut detrimenta vagatur.

Iudiciali habente pro fine æquitatẽ

Res alia elapso cum tempore iuncta cohæret,
Præteritos spectátque dies, illámque coronat
Aut flos iustitiæ, vel tetra iniuria fœdat.
Déque illâ sua ferre solet suffragia Iudex
Nascitur hinc insontis honos, & pœna nocentis

Iudiciale genus. *Nos illi probra reorum*
In finem damus, & constantia fœdera legum.
Templũ etenim sibi iusta Themis, magnũque tribunal
Construxit, geminásque locum diuisit in ædes.
Primâ in fronte domus infami horrentia formâ
Monstra patent, & sola necis spectatur imago,
Atráque funereos terret tinctura penates.
Non ibi magnanimo surgunt in vertice palmæ.
Non laurus, victrixue Cedrus, non lilia florent,
Pulchráue puniceos rosa circumfundit amictus.
Sed tristi radice apium, sed mœsta cupressus
Languet, & hirsutis crescit paliurus echinis
Nunquam ibi stat sine nube polus, sine murmure nubes,
Nec sine fulmineis crepitantia murmura telis;
Non auium concentus ibi est, non mollis achantis,
Candida nec dulces fundit Philomela susurros.
Infelix sed parra canit, vel funeris augur
Stryx mala, lucifugis vel noctua clausa cauernis.
Hic surgit solium furuo consine colori
In multos sublime gradus, ibi plurimus atrâ
Iudex veste sedet, cui diruit aspera frontem
Ruga, per & rigidos subit inclementia vultus.
Libram laua manus, gladium manus altera gestat,
Signa magistratus, surdæ stant omnibus aures
Pectora nec lacrymis, querulâ neque voce mouentur,
Nec multis emitur clementia candida nummis.
Tortorum stat acerba phalanx, pœnaéque rigentes,
Sanguineaéque cruces, gladiíque, & sæua rotarum
Supplicia, & calidis torrentia busta caminis
Contortaéque comes vehemens vindicta catenæ.
Ducitur huc scelerata cohors, & turba reorum,
Quique cruentatæ ferali crimine cædis
Ausi acres inferre manus, ensémque malignum
Abdere in insontis miserabile corpus amici.
Quique ausi maculare toros, thalamíque iugalis
Solemnem violare fidem, qui fallere dextras,
Et qui fœdifragis turpes incumbere furtis,
Et qui mendaces Tabulis *apponere fraudes*

Caput 3. De tẽplo Astrææ. In quâ duæ precipue sedes.

Altera quidem horrore plena.

vbi multi Iudices terribiles.

Lictores acerbi.

Scelerũ variorũ carnificinæ.

Ad formidatum constrictâ reste tribunal
Sordentes squallore, notis infamibus usti,
Ducuntur, pœnásque sua ob periuria soluunt.

Actores in vitium animati. *Actores hic tela vibrant, hic ore diserto*
Aspera verba volant, hic crimen, atróxque libido
Cæditur, & verbis vitium mactatur amaris
Hic stat Iudiciale genus, *miráque nocentes*
Exagitat grauitate animos, & crimina plectit.

Altera exacto pœnarũ metu. Secura. *Ast alio in latere, atque in nobilioribus ædis*
Partibus, aula ingens se fundit, & ampla patescit
Area, & è flauo pratoria facta metallo.
Hinc pauor, insamque metus, trepidique rigores,
Hinc atrox agmen pœnarum, & tristia loris
Verbera, & inflictis lugens infamia plagis
Exsilit, inque locum veniunt speciosa voluptas
Et Risus, facilique decens Clementia vultu;
Hic habitat sublimis Honos, *hic criminis insons*

Opulẽta *Gratia, & intactæ custodia candida mentis.*
Hic sedes sibi legit Amor, datur omnibus aureâ
Libertate frui, & vitâ meliore potiri

Plena gratiarũ *Non in nimbosos furit impetus aeris imbres,*
Nec nimio est infame æstu, neque turbine cœlum,
Ornatur sed sole suo, noctémque serenam,
Si qua illo nox axe silet, sua sidera pingunt.
In medio sedes, gradibúsque insigne superbis
Stat solium vestitum auro, variisque coronis

Vbi solium est Animi innocẽtis *Nobile, & innocuis passim spectabile flammis*
Hic Iuuenis sedet, egregio cui plurimus ore
Flagrat honos, pulchráque natans in fronte venustas,
Et coma purpureis ludus datur aurea ventis,
Ad talos demissa toga est, quam fregit amœna
Ad lauum scissura latus, quâ cordis hiantis
Clarent arcana, atque palam secreta patescunt.
Obnubit diadema caput, quod talia pingunt;
Hic Animus, quem nulla vnquam fallacia læsit

Patronis omnem fallaciã *Hic causas Patronus agit, grandique tuetur*
Illæsos sermone sinus, & vera reuoluit,
Et ficta explicitis aperit conuicia verbis.

Pellitur omne scelus, quos & malus ante premebat detegentibus.
Actor, & impositâ quæ pectora fraude grauabat,
Absoluit censura sagax, animique micantis
Candor, & intacta Pietas castissima mentis.
Illa duo, sceleris depulsio, & Actio *constant* Caput 4. De statibus.
Iudiciale genus; *sed Te*, Calliste, *iuuabit,*
Imprimis agnosse Status, *nisi noueris, anceps*
Dictio, & instabili sunt Argumenta vigore.
Tres autem iubet esse Status Ars culta, *priorem* Tres sũt, primus cõiecturæ.
Coniectura *facit grauior, cùm quæritur, vtrum*
Res facta est, quippe Actor *ait, mala crimina sontem*
Admisisse reum, contrà reus; hinc Status *ergo*
Nascitur, admissúmne nefas reus iste patrarit.
Brutus vt edomitas infesto Marte cateruas, Vt in Bruti morte.
Victorisque manus, & signa volantia vidit,
Fleuit, & arcanas exspes secessit in vmbras,
Fortunam indignans, inconsultósque furores.
Hic vbi fata rei Latiæ, casúsque sinistros,
Et sortem miseram, & lapsos virtutis honores
Luxisset, vaginâ ensem, quem cinctus habebat,
Strinxit, & extantes immani vulnere costas
Transadigit, fossóque animam de corpore vellit.
Fortè latebrosas fugiens quoque miles in vmbras
Incidit in Brutum morientem, vt vidit inanem,
Ingemuit, lacrymisque genas madefecit obortis,
Extraxitque nocens magno de corpore ferrum
Tùm consanguineus Bruto venit, útque iacentem
Inspexit Brutum, & productam in pectore plagam,
Miluis inque manu stillans vt sanguine ferrum,
In crimen vocat, ille negat, cædemque patratam
Amouet, & quocunque potest se iure tuetur,
Hinc Status *ille prior, quem* Coniectura *gubernat*
Alter Legitimus *conscriptâ ex* Lege *vocatur,* Secũdus legitim⁹
Quæritur hoc, quid sit factum; Lex illa feratur,
Ne quis in augusti sanctissima septa Senatus
Aut Chalybem, ferrúmue ferat, tamen ecce rebelli
Seditio fremit in populo, iam saxa, facésque,
Iam totâ volat vrbe furor; tùm cingitur ense

Scu. *Ciuis, & in media arma ruit, motósque tumultus*
Sedat, & instructos vocat in consortia ciues.
Hic verò imprudens pomœria sancta Senatus
Ingreditur, succinctus eo, quem gesserat, ense,
Cum motus, tristésque minas, fluctúsque feroces
Plebis, & amentes populi componeret iras
Hic, gladium, legis contra praescripta tulisti,
Actor ait, sed contrà infert reus, arma tulisse

Definitiuus. *Me fateor, sed enim arma tuli, quibus impia pressi*
Agmina, & immanes populi posuere tumores,
Queis sine non Vrbs ipsa foret, non ipse Senatus
Ordo, nec augusti starent sacra fœdera iuris.
Hinc Status *exurgit, quo quaeritur, illáne legis*
Verba, vetent, omnes, quacunque ea causa futura est
Ne gladios, aut arma ferant in tecta Senatus.

Tertius qualitatis. *Tertius est, cùm gesta quidem commissa fatetur,*
Iure tamen commissa reus; seu Quale *sit illud*
Quod factū est; Iustúmne, an contrà; Agomēnona cōiux,
Ægysto stimulata necat, crudelia Patris
Funera, & indignum facinus condemnat Orestes
Et necis authorem Ægystum, matrémque cecidit:
Ausus es, Actor ait, quæ Te gestauit, Orestes,

Seu iure an iniuriâ sit factum. *Matrem confodere? atque vteri violare recessus?*
Occidi matrem, fateor, respondet Orestes.
Hic nondū Status *est, neque enim est conflictio causæ,*
Et nisi fortè reus rationem asciscat Orestes,
Quâ cædem admissam, terebratáque viscera matris
Flagitium non esse probet, damnabitur, ergo
Vtitur hac ratione, meo quæ funera patri
Intulerat, matrem decuit quoque funere cædi.
Hinc oritur Status, *an matrem, quæ fata Parenti*
Intulerit, iusto tollat quoque filius ense.

Caput 5. De oratione. *Iam cultæ caput Artis adest* Oratio, *magnum*
Oratoris opus, quam mille & mille figurae,
Mille sales, totitémque Tropi, totidémque lepores.
Et totidem flores, & acumina mille frequentent.
Non tot in æthereo pateant Oriente colores,
Cum vernus primos inscendit Delius axes,

Non tot in herboso terrestria sidera septo,
Maïus vbi teneras cultissimus explicat herbas
Eniteant, neque casta fluat tot concha lapillis, Sit maximé limata.
Candida vbi puros immiserit aura liquores,
Quot tumeat pulchris florens Oratio *gemmis*
Non ita nectareis aluearia mollia succis,
Niliacis Ægyptus aquis, vindemia musto,
Balsamo Idumea, aut stillis vernantibus Æther, Et vermiculata
Ambrosiâ vel mensa Deûm, vel thure Sabæa,
Vel messes Arabum vnguentis, Cilicúmue liquescunt,
Grandis vt ingenii neruis, vt motibus amplis,
Verborum molli dulcedine, pondere rerum,
Florentíque stylo, & generoso Oratio *sensu.*
Hæc verò est, nitidus quò pulchriùs Ordo patescat,
In partes dirimenda suas, has quippe quaternas,
Intima Rhetorici statuit doctrina Lycæi.
Prima patet Propylæi instar, quâ nobile partes
Ad reliquas se sternit iter, quae prima loquendi Cap. 6. De Exordio.
Est via, communi vocitant Exordia *vorbo*
Rhetores; Illa regit grauitas & pompa coronat,
Copiáque & tenero commendat gratia cultu.
Illa etenim, quia prima patent. attentiùs haurit
Auditor, vigilique capit soleriùs aure
Ac veluti pulchrâ splendet quæ fronte venustas, Quod decet esse speciosũ
Vrbanúsque lepos & amœni gloria vultus
Charior esse solet, reliquos quàm fusa per artus,
Qui tectâ sub veste latent; velut ampla domorum Est enim vt atriũ domus.
Atria, & effusi facies pulcherrima tecti
Spectantes tenet, atque oculos, mentémque moratur,
Non aliter speciosa mouent Exordia, *vultus* Vel vultus in homine.
Sermonis, faciésque nitens quâ dictio gaudet:
Sic tamen ornatâ generosa Exordia *curâ*
Instrue. vt & reliquis sua gratia partibus adsit.
Et totum commendet opus, nec Rhetora laudo Ita tamẽ vt cęterę partes non negligãtur
Qui primos dicendi aditus vernantibus ornet
Floribus, & vario verborum Emblemate pingat,
At reliquas temnat partes. nulláque supinus
Arte comet, sed membra rudis stupor omnia vastet.

Non aliter quàm cùm vanis prætoria Diuis
Conderet Ægyptus, sacris addicta pudendis
Atria, & extantis fastigia splendida tecti,
Et primam frontem, atque fores, valuásque superbas
Instar téplorũ Ægypti. *Inscribebat honos; nam læuia limina marmor,*
Et fulgens variabat onyx, ditésque lapilli,
Formosóque nitens pictura colore polibat.
Ast intus tantùm horror erat, quippe ima tenebant
Monstrosa delubra feræ, felésque minaces,
Cornutique boues, immansuetique dracones
Et rapidi Æluri, atque aliis portenta figuris
Indignis inerant templis, arisquesedebant.
Eorum varij fontes. *Ipsa autem tibi pulchra dabunt* Exordia *causæ*
Quæ potiora velim credas, desumpta profundis
Ipsarum è Causarum adytis, Theseónque medullis
Eque sinu medio, grauiúmque e viscere rerum.
Et possunt aliunde trahi; loca quippe, Modique.
Tempora, conditio, personarúmque potentum
Aut tenuium status, aut nostrarum affectio rerum,
Aut inimicorum fiducia, crimina, vires,
Ambitióque nocens, & vis, morúmque libido.
Vel contra nostræ speciosa modestia vitæ,
Officium, obsequiúmue, domus vel tristis egestas
Relligióque Deûm, atque preces, & cultus Olympi,
Historiæ, fictæque rei conformis imago
Principiis pandunt fontem, segetemque ministrant.
Sint rei innexa. *Sic tamen his vtere, illic vt nata putentur,*
Non aliunde ascita, placet natiua venustas
,, Dependens patriã dulcescit in arbore fructus
,, Blandiùs, in propris flores formosiùs hortis,
,, Externá quàm in parte micant, & purior haustus
,, Ex ipsá fluidi libatur origine riui,
Non trãslata. *,, Quàm de deducto libentur pocula riuo*
Propterea Translata *tuæ proludia linguæ*
Non cõmunia. *Displiceant; declina etiam* Communia, *seu quæ*
Possunt in plures sese transmittere causas.
,, Vix quidquam commune placet, quæ peruius vsios
,, Commodat, in nullos veniunt vulgaria cultus.

,, *Quid lapidi, saxisque nocet, nisi copia? vel quid*
,, *Auratas commendat opes? gemmásque nitentes?*
,, *Eoi quid puncta freti nisi rarior vsus?*
Illa etiam vitiosa rear, quibus æmulus vti
Possit & in propria transfundere commoda causa Nõ ambigua.
Saepe etiam implexos aditus, & longa loquendi
Vestibula, & phaleras, & vasta Exordia temnam.
Cur etenim populum sermone morabor inani? Non nimis prolixa.
Et frustrà retinebo animos? nisi grandia fortè
Demonstratiuæ *texam præludia Causae.*
At si strigoso nobis cum iudice agendum est,
Cùm Motus, fortésque Locos, momentáque rerum Præsertim apud iudices.
In medium proferre decet, cùm saeua domanda
Crimina, cùm fibrae vitiorum stirpibus imis
Vellendæ, si cùm magnis de rebus habendum
Concilium est, multas per longa procemia voces
Ducere, & in variis horas consumere verbis
Incassum foret, & nugis puerilibus aptum.
Hostis adest, *miserásque ferox incumbit in arces*
Admotóque quatit nudatas ariete turres; Vt arma detergere in ipsâ pugnâ ineptũ.
Tu galeam, gladiúmque polis, atque instruis arma
Interea, quin arma etiam rubigine nigra
Deformata cape; & gladium quemcunque prehende,
Infectósque enses hostili in sanguine tingens
Dilue, nobiliùs nigris pugnabis in armis
Quam si vana, tuas hostis dum territat arces,
Dum muros quatit, arma domi sine laude venustes.
Sic tuus instructo rationum examine pugnat
Æmulus, & magno causam molimine firmat. Sæpe recidenda exordia.
Iámque tuus tormenta Cliens ad acerba vocatur,
Iam iudex illum pœnis, & carcere damnat.
Tu verò qui rostra petis, qui iura tueris,
Insontis cui saepe caput, cui credita vita est
Ludis in antithetis, & luxuriantia condis
Vestibula, & longè quaesita procemia pectis
Interea generosa tuae dum machina mentis Caput 7. De narratione.
Infortunatum debet seruare Clientem?
Hinc *sequitur, quae digna micat,* narratio, *quâ res*

Iudicis ante oculos, auditorúmque locatur,
Quid sit. *Efficitur quà prima fides, & totius ampla est*
Sermonis seges, & rerum fundamina ponit.
Imprimis igitur quidquid narratio *fundit*
Stet mihi credibile; Ecquied enim Norratio confert
Facta nisi credenda ferat? contraria narras,
Sit probabilis. *Et credis tibi inesse fidem? puerilia falli*
Sensa queunt; Pueri mutatam in laurea Daphnem
Brachia, in hirsutos abiisse Lycaona villos,
Splendida translatum Ganymedem in sidera credent,
At grauiore viri tantùm ratione mouentur,
Ergo credibilis pateat Narratio, Rebus
Annexa, & distincta Locis; H*uic* Tempora, *causas,*
Personásque *placet, certósque adiungere nexus.*
Clara. *Clara sit, & nullis lateat cooperta tenebris,*
Sed vitreas imitetur aquas, liquidíque fluorem
Amnis, & æquati crystallina marmora fontis.
Non igitur sit verbum anceps, non sordida sit vox,
Non exosa vsus solitos, non creber vbique
Stet Tropus, aut longo conclusa Parenthesis orbe,
Nec perturbatis languens Oratio rebus
Fluctuet, aut toto confusio corpore regnet,
Nec dici, quae prima decet, postrema ferantur.
Breuis. *Praeterea breuitatem optat, quam cultus habebit*
Narrator, si vana suo à sermone recidat,
Si minus ad Causam spectantia transeat, & si
Cœperit hinc, totam vnde queat cognoscere causam
Auditor, Iudéxue, rei si summa prehendat,
Non nimiumfusus partes excurrat in omnes
Nec repetat quae dicta, breuis Narratio *pulchra est,*
Sed quae dulcis erit, breuis & censebitur, etsi
,, *Longa sit, Auditorem etenim iucunda voluptas*
Suauis ,, *Decipit, & quaecunque placent, breuiora videntur*
Non secùs ac ratio illa viae, quam florea circùm
Vernantum seges ambit opum, quam desuper ornat
Vmbra virens, & amœna auium quam musica cingit;
Longius etsi illam spatium, maioráque tendant
Interualla, tamen quia mollis, & aequa patescit

Currentum

Currentem extricata minùs vestigia frangit,
Quam frangant arctata breui compendia flexu,
Quae per inaccessas cautes, scopulósque minantes,
Saxa per, & gressus abrupta per aspera ducat.
Narratorem igitur conspergat amœna voluptas, Suauitas
Aucupium auditorum illex, quam magna, nouisque trahitur
Cum rebus coniuncta dabunt, si tristior extet, ex rebus.
Aut quàm credidimus felicior exitus adsit.
Verbáque si grandes adhibentur ad aurea motus. Verbis
Narrator quoque blandus eris, si fortè loquentes
Personas inducis, honos hinc plenior exit,
Gratior è variis oritur Narratio rebus.
Cuncta ferè variata placent, stat gratior auri, Et varietate.
E multis conflata sonis, & vocibus auctis
Musica, quàm solo veniens è gutture carmen.
Vermiculata placent, tessellatique labores
Delectant oculos, & lumina nostra morantur
Puluerulenta venit, multáque instructa palaestra
Tertia pars, validósque potens incumbit in ictus Caput 8. De cõfirmatione.
Firmat enim nostrae nutantia robora causae
Adiungitque fidem dictis, aliena refutat,
Et causae medio de corpore tela reuellit.
Obiectum scelus ergo reus, qui sanior vsus, Et refutatione.
Aut prorsus neget, aut notum si fortè negare
Non queat, excuset, minuátue, auertat, & oret;
Quamuis orandi species, si crimen apertum est,
Non multum valet, haud etenim Iudéxue seuerus
Aut ex praescriptâ decernens lege Senatus Preces
Mollitur precibus, vel flebilis arte querelae. apud iu-
Si tamen à summo capitalia crimina Rege, dicẽ in-
Quem dominum leges, & iura minantia norunt, ualidæ.
Extiterint dirimenda, preces licet addere, quippe Non ita
Elicitur generosa piis clementia verbis. apud regem.
Saepè etiam aut risu, aut contemptu audiuimus ipso
Perculsos hostes, hebetatáque tela reorum Contẽptus hostis aliquãdo profuit.
Ad tutos cecidisse pedes, intentáque frustrà
Spicula mortifero cessisse obtusa sine ictu.
Scipio victorem quem nobilis Africa sensit

Quem timuit Carthago potens, cui Zara triumphum
Contulit, aeternásque dedit cum laude coronas:
Mille vbi magnanimas palmari ex arbore frondes
Cassidis in summo fixisset, & hostica castra,
Afrorúmque acies, Hispanorúmque potentum,
Mandoniũ, Indibilémque trucem, Hãnibalẽq; tum ẽtem
Inclytus in mediae circo vicisset arenae,
Ille vbi labentem patriam, ruituráque Romae
Mœnia victricis firmasset robore dextrae,
Accitur reus, & multùm incusante Tribuno
Sistitur ad populum, clamosáque rostra vocatur:
Iamque omnis magno se fuderat Actio motu,
Iámque reum labes, & crimina ficta premebant,
Cùm tensá indicens augusta silentia dextrã
Sed *dextrá, quá quondam hostes percusserat, & quà*
Sub *iuga captiuos deduxerat aspera Pœnos,*
Scipio *non fraudes minuit, non crimina purgat,*
Non obiecta sibi scelera, aut conuicia transfert,
Sed *tantùm haec*; Hoc *ipse die felicibus astris,*
Vt Scipioni accusato. *Fortuná plaudente, Deo spirante, Quirites,*
Hannibalem *truculentum, inquit, Pœnosque subegi,*
Massyláque meá domui virtute cateruas.
Hinc *ergo extemplo Capitolia ad ardua tendam*
Cœlitibus grates habiturus, vt alta Mineruae
Numina, supremúmque Patrem, Martémque salutem
Vos autem quibus imperium, & Respublica cordi est,
Mecum eodem properate, Deósque orate fauentes.
Dixit, & illum omnis desertis concio rostris
In templum comitata Deûm est, euanuit omnis
Actio, & exposito patuit ridenda theatro.
Te tamen haec, nisi magnus honos, aut sancta corona
Integritas, tentare veto, quibus aptior hostes
Despicias, populique animos, & pectora flectas.
Aduersum ne laede hostem, quin laudibus orna,
Ingeniumque proba. quò si acriùs egerit Actor,
Ingenii credatur honos non gloria causae,
Sin contrà infirmis rationibus egerit, & nil
Egerit, indomitas clypei quod vulneret oras

Defectus causae, ingenii non culpa putitur.
Nunquam autem trepidarr decet, scriptásque timoris
Ferre notas, quamquam immineat discrimen, & Actor Vt & impauidus animus.
Vrgeat, & magno quatiat clamore tribunal.
Saepe etenim infensos fiducia tutior hostes
Terret, & hunc plerumque fauor, Iudexque tuetur
Quem fouet intrepidi species interrita vultus.
In genere Actor erit, quem motus & aestus, & Ira, Quales esse deceat Actorem & patronũ.
Inuidiaéque lues, odiumque immite gubernet.
Patronum tueatur amor, clementia, lenis,
Gratia, florentesque oculi; nihil ille loquatur
Praeter saxa, truces lapides, Chalybémque rigentem,
Iste nihil nisi molle aurum, teretésque lapillos,
Ardorem prae se ille ferat, ferat iste pudorem,
Sic tamen vt non ille effrons credatur, & iste
Exanimis, ne fortè illum vaga concio vulgi
Oderit effrontem, aut istum contemnat inertem.
Extremum mihi restat opus, quo clauditur omnis Caput 9 De peroratione
Dictio, & ornato pulcherrima meta labori
Ponitur, & grandi se stemmate sermo coronat.
Caetera per molles irrepat dictio sensus, Sit acerrima.
Perstringat leuitérque animos, haec pectora vincat,
Dicendique faces penitus immittat in vlnas.
Nec modò perfundat tenero praecordia motu,
Perfringat sed corda potens, versásque medullas
Occupet, & domitos valido trahat impete sensus
Vt torrens alti quem summo è vertice montes
In planos fudere locos, vbi multa recepit
Incrementa, grauésque cauis de nubibus imbres, Cũ torrẽte cõparata.
Immixtaéque niues tumidos auxere canales,
Saxa rapit, grandésque trabes, sulcósque propinquos
Praecipitat, miserique trahit sata laeta coloni
Ille suos fructus, & spes miseratur inanes
Interea, frustráque dolet sua pensa reuelli.
H*ic motus praesertim adhibe, quamuisque per omnes*
Se partes laxare queant, vt sanguis in artus,
H*ic tamen his decet esse locum, cùm pectora flecti*
Ad decus, expediat, mentésque ad honesta vocari

Hic flammae, accensaeque faces, hic ardor, & æstus,
Alta coronatis hic Admiratio verbis,
Et modo demissis hic Obsecratio signis.
Affectus omnes euoluendi *Hic rigor, ardentésque minæ, hic promissa, precésque,*
Hic lacrymæ, mœstáque fluens Oratio voce.
Hic spes, hic metus, hic facili clementia vultu.
Auditor iam fessus hebet, debétque teneri,
Propterea recreandus erit, contraria mens est,
Auersique sinus, molliri auersa voluntas,
Auersique sinus debent, & pectora cogi.
Non etenim nisi Motum adhibes, omnésque recludis
Excelsi affectus fontes, Audieor amabit
Aut promissa tua, aut tua tela, minásue timebit.
Oderit hæc, quae probra teris, nec magna sequetur,
Quæ laudas decora, inque tuos non ibit amores.
Ergo amplis culta exundet Conclusio *verbis,*
Et motus acres, omnésque Heliconis *honores*
Prosopopœiæ inducendæ *Et Ciceronis opes, mollésque ostentet Athenas.*
Hic fictæ dabo verba rei patriámque loquentem,
Et mutas viuis impellam vocibus vrbes,
Sepulchra aperienda Hic *reserabo patrum tumulos, vmbrásque sepulchris*
Eliciam, & forti manes animabo loquela
Hic *laceras monstrabo togas, habitúsque foratos*
Cæsaris, & multo stillantes sanguine vestes
Thoraca hic clausum diloricabo, Reique
Pectus, & acceptas aduerso pectore plagas
Communis pro flore rei, patriaéque salute
Ostendam, atque actæ memorabo pericula vitæ.
Tragœdiæ excitandæ. *Hic pueros molles, teneráque ætate puellas,*
Progeniémque vocabo omnem, curabo tabellas,
Et gestae simulacra rei spirantia ferri,
Et quae prolixis ambagibus ante probaui,
Hic *repetam, breuibúsque sequar compendia verbis.*
Eloquētia explicanda fortiùs quā alibi *Scripta sit imprimis multa* Conclusio *curâ*
Nil etenim in valido sermone potentius, vno
Esse decet fine, ille graues in pectora motus
Iniicit, hic penitis in mentibus altius hæret.
Principio finis contentior, ocyus amnis

Irruit immensum cursu cùm penè peracto
Æquor adit, quàm cùm tenues ab origine fluxus Comparatione
Haurit, & exiles ducit per prata canales. ductù à
Pronus in occasum, radiis melioribus ardet. sole.
Phœbus & in placidos se fusiùs explicat ignes:
Et cùm semper olor lenes de gutture cantus
Fundat, & argutâ caua flumina voce frequentet,
Dulciùs extremâ tamen ora suauia vitâ
Pandit, & illectas mulcet modulatiùs vndas. Caput 9

Hæc vt habere queas, quantū Amplificatio *præstat* De amplificatione.
Scire decet, quantóque tumens splendore coruscat.
Sol illa est, Animúsque, omnis quâ dictio lucet,
Et vitam quâ sermo capit, quâ oratio turget,
Párque polo vehitur magnis elata quadrigis

Illam autem primùm congesta Gradatio *condit* Fit autē
Elatis cùm crescit ouans oratio rebus, vel per
A paruis ad magna; Scelus, Iudæa, malignum est gradationem.
Insontem vincire, Deum, quo grandis Olympus,
Quo propriis Elementa locis deuincta tenentur,
Vinxisti tamen; Infandum est mactare flagellis,
Mactasti, Iudæa flagris; Occidere iustum
Barbaria est extrema, necas; Quid caetera dicam?
Quid querar in diri tollas quòd brachia ligni?
Deficit hic verdum, vox vlsima languet in ore,
Et cunctas superant ingentia sensa loquelas. Vel per

Augetur quoque sermo, nihil cum stare videtur repetitionem.
Amplius; Vt quid agis Genitor? Pater impie caedis
Progeniem qui dicam vltrà? quid inania verba
Praeterea inquiram? prolem Pater impie caedis?

Crescit, & elatis oratio summa cothurnis
Euehitur, cùm nulla illam distinctio tardat,
Et semper Rhetor maiora prioribus addit:
In medio populi ore, graui spectante Senatu,
Augustis in templi adytis, Pietatis in vlnis,
Teste polo, incumbente sacra in mysteria vate Vel per
Barbarus insontem stricto transuerberat ense. congeriē

Hic cuncta incrementa tenent, nam nobile per se est rerum
Crimen, in alterius vitámque, capútque moueri; multarū.

Quid dicam insanis? mediis occidere in vmbris,
Et scelus id capitale foret; quid in ore Senatus?
Quid mediâ sub luce virûm? sed tempserit illa,
Num templum, & pietatem almam, cælumque vereri,
Spectantem num ex axe Deum, mentésque beatas
Debuit? & stantes ad sacra altaria mystas?

Ad quam contexẽdam.

Hunc verò genium nacta est Auxesis, *vt extet*
Plenior è magnis surgens Oratio rebus,
Quam voces & verba coment, quam grandia circum
Ornamenta tegant, pompáque & luce venustent:
Huic *autem*, Calliste, *omnis non apta* Figuræ *est*
Materies, Res vilis enim, quæ nulla coërcet
Ornamenta, pati tantum sermonis honorem
Non solet; esse potest equidem solertia mentis
Ingeniique vigor; cum Rhetor acutus in illis
Ludit, & in paruâ conatur magna palæstrâ.

Non res paruæ.

„ *Non quod subtile est, ideò est quoque grãde, quadrigas*
Solertémque manum, & tenues Myrmecidis *alas*
Et cultum miramur opus, non grande, nec altum,
Sed quoniam subtile fuit; simulacra tuemur
Phidiaca fabricata manu. quòd grandia fabri
Plenius augustâ ingenium fabricauerit arte

Sed illustres requirũtur

Res ergo illustres, quas rarior edidit vsus,
Atroces, tragicos apta vestire cothurnos,
Auxesim *tolerare queunt, quas amplior ornet*
Rhetor, & eximia quas compleat vbere pompa.

Cap. 10. Exẽplum materiæ aptæ ad amplificationẽ ex Pausania.

Messenos inter patriâ florebat in vrbe
Polycrates, huic fama micans, huic inclytus ardor
Huic fortes fauere tori, sed & Elide in altâ
Quartum Pisæâ decorat certamen oliuâ.
Illi amplos felix dederat Fortuna fauores,
Et largas mandarat opes, & Equilia bigas,
Innumerásque boues illi stabula alta tenebant
Armentis sed deerat ager, sed commoda deerant
Gramina, pascendis tot suffectura iuuencis.

Polycrates Messenus.

Forte Lacon Euaephnus erat, cui lata patebant
Pascua, cui mollis spatioso in gramine ripa
Eurotas herbam nutribat, & vbere pingui

Nobilia innumeris edebat germina tauris.
Illi nulla fides, sed opum scelerata Cupido,
Et suis ambitiosa fidem & promissa terebat
Fœdera, Polycrates illi florentia credit
Armenta, asciscitque noui in consortia fœtus,
Infandâ sed fraude Lacon armenta, bouésque
Non monito diuendit hero; quod vbi audiit ingens
Polycrates, equidem poterat punire latronem,
Et fœdum meritâ furtum compescere pœnâ
„Sed tamen, vt nil magnanimo clementius, hosti
Parcit, & vnigenam quò debita colligat ara
Tradidit Euaephno redituro in patria tecta.
Pollycrates quid stulte facis? Cui deuie prolem
Committis Pater? Ille boues infidus abegit,
„Et parcet soboli Quem fraus semel impia vertit,
„Cui mens venalis, qui nummo indulget auaro,
„Quæstus vbi, aut modici spirauerit aura lucelli,
„Omnia iura terit, fas comprimit omne, scelúsque
„Omne patrat, cupida quò vota capacia mentis
„Impleat, & vasto loculos inserciat auro.
Propensae in fatum mentes! Prudentia poscit,
Euæphno sobolem ne credat, at abdita contrà
Vis adigit. fidens igitur sua gaudia tradit,
Et natum dimittit; amor Patris intima mouit
Viscera, & ex oculis lacrymas excussit obortas,
At Puer audaci graditur per iugera passu.
Securus, nec vicina discrimina cladis
Præcipit heu! cùm Euaephnus atrox immanibus illum
Vulneribus fodit, & ferro transmittit acuto.
Concidit exanimis, viuáxque serena reliquit
Ora calor, pallórque genas obsedit inertes.
Hæc vbi resciuit Genitor, quos pectore luctus?
Quas dedit ore minas? quò mens tibi fugerat, inquit
Pollycrates? patrii blandus quò sensus amoris
Cesserat, vt tetro sobolem commiseris hosti?
Heu Pater infelix! At tu, Puer auree, morti
Quem Pietas, charique flagrans reuerentia Patris,
Obsequiúmque dedit, malesano ignosce Parenti.

Quem Euæphnns Laco

Turpiter fallit.


Et natũ proditoriè necat.

Luget Polycrates.

Mors tua non impunis erit, per cœlica iuro
Et vindictam quærit. *Numina, pérque tuos Puer ô Charissime, Manes*
Vltor ero, nec cade tuâ laetabitur hostis.
Sic ait, & lacrymis insueta rigantibus ora,
Spartam adiit, dictísque Ephoros, Regésque, Patrésque
Sollicitat, panditque nefas, iustique doloris
Signa aperit, causásque, illi est Euaephnus in ore,
Spartã petit, *Natus in ore illi est, & nil nisi natus in ore,*
Aut Euaephnus in ore sonat, quotiésque resultat
Trux Euaephnus in ore, grauis dolor, ira, furórque
Euaephni nomen sequitur, quotiésque paterno
Natus in ore sonat, toties per acerba vo luti
Imbres ora fluunt; Vos ô Lacademones, inquit,
Iustitiae queis cura, quibus scelus omne nocentum
Cogitur in pœnas, miseris qui offerre soletis
Auxilia, & pressas fulcire leuamine mentes,
Imploro Pater, heu quorsum me nuncupo Patrem?
Fuæphnum incusat, *Non sum, Ephori, Pater, antè fui, charissima Patris*
Nomina, & ambrosios patrio cum nomine amores
Abripuit fallax Euaephnus, & abstulit omnes
Illecebras, & viuit adhuc Euaephnus, & aurâ
Euaephnus fruitur, vitióque exultat aperto.
Non loquor admissas fraudes, periura relinquo
Crimina, furta libens taceo. queis praedo nefandus
Armenta, abreptásque boues, abstraxit ab aruis,
Addixitque lucro, flauens deglutiat aurum,
Possideat quas vulsit opes, mea commoda latro
Abripiat, non illa nego, sed sanguine nostro
Sed frustrà. *Sacrilegas temerasse manus. ferróque nefando*
In sobolem sæuisse meam, non sum Pater, omnem
Abieci pietatem, ingens nisi vindico crimen.
Redde atrox Euephne animam, mihi redde cruente
Progeniem, viuam sed redde, sed ore micantem,
Sed qualem cœpisti, illam mihi perfide redde.
At vos Spartanae Proceres & lumina gentis
Castigate nefas, tantámque euellite pestem,
Ne si priuato segnes ignoscitis hosti
Fiant priuatae contagia publica noxae.

Talia

Talia magniloqua sunt apta exempla figuræ.



LIBRI SEPTIMI

PROLVDIVM.


EXempla Præceptis eò ad imitandum potentiora censentur, quò auribus oculi sagaciores esse creduntur. Aures enim præceptis, oculi feriuntur exemplis: Multò magis Regem aut Imperatorem ad res bellicas egregié & ex laude tractandas iuuerit Xenophon Cyrum imitandum proponendo, quam Onozander institutiones congerendo, & ducis studium ad ambitionem gloriamque grassantis acriùs aut Cæsaris aut Alexandri facinora, quàm conglobatæ Vegetij monitiones accendent. Nec vnquam ita Vitruuius præceptionum suarum aceruis architectum insignem ad augustam templi nobilis aut palatij fabricam excitabit, atque artifices qui egregium suæ artis & monimentum & documentum in templo vel Hierosolymitano vel Bizanthino reliquerunt.

Institutiones enim plerumque atque præcepta non tam in consideratione, quàm imitatione versantur. Apelles omnia rectè pingendi Præcepta in Coæ Veneris tabulam, Heracleotes Zeuxis in Helenæ imaginem vultúmque coniecit, é quibus omnia, si quis pictorem informaturus esset, necessaria decerperet. Etenim, vt inquit Himerius, omnia ciuitatis laudanda facinora ciuibus probis legum instar esse censentur. Et verò nihil Cæsarem ad imperij moderationem suscipiẽdam adeò incitauit, vt Alexandri exemplum

insigne, aut Thucydidem ad historiam scribendam, atque Herodoti suauis & polita descriptio.

Dulcius lenes dedit ille voces,
Quàm Rosae mollem generant odorem
Quàm fauus gratas dat amœnitates,
Poma quàm mitem pariunt saporem,
Thura quàm blandos vomuere fumos.
Durius Siren Siculis in vndis,
Inque desertis Philomela syluis,
Inque facundis Heliconis antris
Cantat Apollo.

Ego itaque adolescentum rationibus conducibile existimaui, Causarum genera, & orationum exempla tractare, vt vno quasi intuitu omnia quæ in exemplis præcepta continentur, videre possint.



LIBER SEPTIMVS De Exemplis orationum ac primum in Genere demonstratiuo.



Artifices exempla magis; simulacràque rerum,
Ardua quàm praecepta iuuant, & doctiùs artes
Discimus, exempli facilis quas molliit vsus,
Quàm quibus antè manus Imitatio nulla praeiuit.
Pictor Apellaeae spectans exempla tabellae,
Propositio. *Egregium vel Zeuxis opus, vel signa Timanti,*
Picturae insignis nitidam descriptiùs artem

Nouerit, & teneros in imagine pulchrius artus
Exprimet, arcanà quam si latuisset in vmbrâ,
Explorans leges, praeceptáque longa capessens.
Ipse adeò exemplis omnes describere Causas
Et varium tractare genus, triplicémque figuram
Aggrediar, tamen antè meos si iuueris ausus, Inuocatio.
Quae Pindi iuga sacra colis, vatúmque medullas
Incendis diuina cohors, insperge fauorem,
Facundásque meis adhibe conatibus artes.
Causarum Princeps illa est, quâ gloria vitae Caput I. De genere demõstratiuo.
Quâ proprium decus, aut tituli celebrantur Auorum;
Vel contrà, quae probrum infert, & dedecus ingens
Inuehit, & tetros valido premit impete mores.
Quae verò in nobis, & quae nos ante fuerunt, Fontes laudis aut vituperationis.
Et quæ nos obitus post vltima fata sequuntur,
In laudem probrúmue fluunt; nos ante, Parentum
Stemmata, Maiorum ceræ, quas fumus, & ardens
Commendat fuligo, domus gentísque paternæ
Nobilitas, patriaéque decus spectabile terræ Ante vitam.
Nobiscum creuere, Ætas, dotésque superbæ
Corporis, vt pulchri clarissima gratia vultus,
Mobilitásque pedum, & validis insigne lacertis Dum viuimus.
Robur, & optatæ species ornata senectæ,
Hinc laudem Traianus ouans, hinc magnus adeptus
Theodosius, crebro cum splendida verba senatu Dotes corporis.
Pacatúsque fluens faceret, Pliniúsque disertus.
Nos etiam comitantur opes, & ditia magni Mentis
Ornamenta animi, mens alta, & nobile pondus
Iudicii, ingeniúmque sagax, cerebrique tenacis
Vis memor, & doctrina vigil, generosáque Virtus, Artes.
Aut prudens tenor, aut ducendi gloria belli,
Aut æqui syncerus amor, vel recta tuendæ
Norma pudicitiæ, vel Relligionis honestas, Virtutes
Aut morum nitor, aut sanctæ miracula vitæ
Fortunae quoque dona, auri, argentique talenta, Dona fortunæ.
Prætextaéque togæ, ditísque potentia census,
Et multae lictorum acies, rigidaéque secures,
Creber amicorum numerus, protentáque spicis

Iugera, & vberibus patrimonia commoda fundis.

Post vitam. *At solita extrema sequitur post funera mortis,*
Exequialis honor, lessúsque, & pompa sepulchri,
Et statuæ, erectique arcus, & publicus vrbis
Luctus, & à superis effusa oracula Diuis,
Et desolati communis opinio vulgi.

Hæc dicendi species. *Hæc laudum stant magna seges, sed ad illa figuras*
Addat, & ornatæ Rhetor ferat artis honores.
Nam genus hoc, cui sola animi est præscripta voluptas,
Cui solum illicium meta est, cui gratia finis,
Redũdet *Dicendi tenerósque sales, mollèsque requirit*
Blanditias, suauísque ambit suffragia Phœbi.
Huc igitur dulcésque tropos, tercté sque figuras
Figuris tropis Illecebris. *Aduehe; multiplici stringatur acumine sermo*
Stet vernans verborum ordo, stet florea passim
Dictio, diuitibus niteat clarissima gemmis,
Et sibi mellifluos Musarum asciscat honores.

Sit illâ Maius durior. *Vt maio dominante, Rosis, tenerísque Hyacinthis*
Exultans lasciuit humus, velut ampla coronat
Flauenti segete arua Ceres, cum mollia Titan
Decoxit frumenta, velut conchylia gazis
Plena tument, vbi sudus opes imbrésque serenos
Æther infudit, matrísque illapsus in vlnas
Gemma obscurior. *E tenero glaciat pulcherrimus vnio rore.*
Sic genus hoc philtrum omne petit, flórésque loquendi,
Et flauos auri crines, gemmásque disertas
Poscit, & egregiæ vernantia schemata formæ.

Non tamen eximios sic Exornatio *cultus*
Caput 2. De prudentiâ Encomiastæ. Non sit adulator *Ambit, vt à veris aliena encomia singat,*
Substituátque alta mendacia turpia laudi.
Nunquam igitur canis attexam crinibus aurum,
Non menti variabo pilos, nec labra Medusæ
Laedæ labra loquar, non ora senilia rugis
Deformata feram teneris cognata puellis.
Ignaui languentem animum Thersitis Achilli
Me pudeat dixisse parem, nec membra Philetæ
Herculeis æquabo toris, nec gesta Quirini
Tarquinio ascribam, nec si laudabo Carinum

Illum Pellaos dicam tetigisse triumphos.
,, Non idem alueolos turbo, non impetit amnes,
,, Oceanum qui fluctus agit, nec lumina solis
,, Conuenit ad tenuis deducere lampadis ignem
Non ementitis Rhetor res laudibus ornet.
Aut infans, non Rhetor erit, licet addere cultus,
Et licet ornato laudes vestire cothurno,
Mentiri tamen, & vanas affingere dotes
Non licet, aut titulos alienæ immittere laudis.

Contra apertam veritatẽ nil afferat.

Rhetor enim rudis ille foret, cui cùm ardua Regis
Gesta forent scribenda, illum vel ludere buxo,
Vel doctè tractare lyram, vel ducere sulcos,
Æquoreas vel nosse ratem torquere per vndas
Diceret, aut docti qui cùm præconia Mystæ
Instituat, sanctique decus graue Præsulis ornet,
Illum per medias Equitum, Peditúmque phalangas
Victorem volitare ferat, multósque cruentâ
Strage ferire viros, vel abactas vertere turmas.
,, Quæque suâ virtute micant, propriísque tumescunt
,, Laudibus, externos contrà tempscre paratus.

Ineptas aut alienas laudes non inuehat.

Ergo altum si extollo ducem, decora omnia cogam
Magnanimo opportuna duci, qui congrua castris
Describat loca, septa situ qui mœnia tentet,
Et capiat, tumidos fallat qui cautior hostes,
Insidiísque, astúque premat, quem prompta gubernent
Consilia, & sanâ vegetent stratagemata mente.
Militiæ qui iura sciat, qui territa pleno
Agmina Marte fuget, quem nil nisi bellicus horror
Tangat, & armorum solum delectet acumen

Sed tantùm debitas.

Dotes. Ducis.

Si Regem *laudabo decus spectabile Regum,*
Iustitiámque, altámque Themin laudabo, piúmque
In populos animum, & regni totius amorem
Quanta illi insideat Clementia, quantus in illo
Et Iuris legúmque tenor, qualísque per omnes
Imperii tractus sese Prudentia fundat.

Regis.

Si magni laudes sequar, atque encomia Mystæ,
Diuinæ pietatis opes, superísque sacratum
Pectus, & incensas flammis flagrantibus aras

Prælati.

Effusásque preces, & vota frequentia cœlo
Reddita, & accepti curam meditabor ouilis.
Si Logicus, Physicúsue mihi, aut Geometra profundus,
Si morum Præceptor adest dicendus, in omnes
Naturæ deuoluar opes, penitásque medullas,
Philoso-phi. *Thesauróſque animi scrutabor, & intima mentis.*
Illum nosse loquar celeris cunabula venti,
Vnde fluat; refluátque salum; cur turbidus Auster
Collectas immittat aquas? cur tempore brumæ
Concrescant in nube niues? cur cùm ardet Olympo
Sirius, in duros grando coalescat aceruos?
Vnde graues tonuere poli? cur Iris in æthrâ
Multicolor? variáque micans in veste patescat?
Quas causas Natura petat? quâ motus, & Instans,
Quâ Tempus ratione fluat? Partésne requirat
Continuum minimásue Atomos? vnde ortus? & vnde
Compositi fera damna ruant? quot in æthere flammae?
Quot cœli numerentur? honos quis mentis? & vnde
Defluat in corpus viua præstantia formæ?
Virtuti, vitióque modos qui scribat, & omnes
Affectus, motúsque regat, qui commoda vitæ
Præcepta, & iustos praefigat moribus orbes.
Qui terræ spatia ampla sciat, qui differat, & qui
Disputet, argutáque sagax definiat arte.
Historicum si laudo, mihi se crebra supellex
Materies se multa dabit, cùm dixero cunctos
Illi terrarum tractus, & Regna, Tribúsque,
Historici *Et Iura, & variae moderamina cognita Gentis.*
Illum cum nouisse feram, quis prima locarit
Imperia, & iustas primùm sanciuerit arces,
Assyriae quis sceptra plagae, quis Persica regna,
Aut quis Romuleæ clauum tractauerit vrbis.
Quas leges cultis Cecrops mandarit Athenis,
Quis Lacedæmoniæ tulerit decreta Iuuentæ.
Quid magnis fatum imperiis inuexerit, vnde
Regnorum, Regúmque vices, quae bella per omnes
Spumarint illata plagas, quos Africa ritus,
Quos Asia, atque Europa ferat cultissima mores

Si Medicum celebrabo, febres inimicáque membris
Vlcera, & affectos variis langoribus artus
Et Chiragram, Podagrámque truces, laesique dolores
Verticis, & laterum, & distenti tormina ventris, Medici.
Pestiferámque luem, tetróque fluentia tabo
Vulnera, & ardentes papulæ miserabilis æstus;
Et vulsum neruorum vsum, excisósque meatus
Venarum, & calidâ depastos tabe lacertos
In medium proferre licet; Tùm sedulus herbas,
Et diuersa feram fomenta, modósque medendi,
Hippocratisque libros, doctique inuenta Galeni,
Et Celsi praecepta, bonas & Auerrois artes,
Quas illum cognosse canam, vt languentia curet
Corpora, & ipsi etiam ponat medicamina morti.
Quod si laurigeros Phœbi modulabor ohores,
Delphósque, & Pataram, Cyrrhámque, Ascráq; potētē,
Fontémque, & biiugi florentia culmina montis Poëtæ
Ambrosiúmque Helicona feram, tum docta sororum
Agmina, Musarúmque choros, Charitúmque, fauósq;,
Nectareique canam currentia flumina mellis.
Si magnas laudabo nurus, regnabit in omni
Intactus sermone Pudor, viuénsque nitoris
Spiritus, & casto diffusa modestia vultu. Matronæ
Dicam illas seruasse domum, peperisse nepotes,
Subsidium quandoque suis, Regnóque futuros.
Argutas quoque fabor acus, fusósque, colúmque,
Et dicam textas solerti pollice telas.
Tandem omnes cumulabo suis virtutibus, extrà
Ire nefas, nostris praescripta haec orbita dictis.
Quò verò, Calliste, modum, & coniecta sub artem
Exornatiuæ videas praecepta figurae,
Deuincta astrictis Exempla leporibus addam,
Et genus hoc dicendi altae confine Poësi est.
Xauerius laudatur, Amor Pietatis, & à quo
Relligio, Christique fides latißima sumpsit
Incrementa, decúsque nouis in finibus hausit. Exordiũ
Ipsa sibi Virtus pretium facit. & sua longè à laude
Lumina, & aethereos ardens effundit honores, virtutis.

,, *Nonse limitibus patitur, non carcere claudi,*
,, *Angustis non stringi oris, sed cuncta vagatur*
,, *In regna, inque omnes excurrit libera tractus.*
,, *Nil clausum Virtuti, hospes nusquam inclyta Virtus*
Esse potest, sua sceptra vagum protendit in orbem,
Nascitur hic, vbi Phœbus equos, spumosáque fræna
Tingit, vbi primis inscendit curribus axem.
Non illam maria, & frendentibus alta procellis
Æquora, non vastis insana cacumina saxis,
Non asper syluarum horror, non antra periclis
Turgida, non calidis intensior æstus arenis,
Non illam remoratur hyemps, horrentia victrix
Saxa per, & fluctus, & atrocia funera transit.

Cuius alunnus Xauerius est.

Xauerius *cui sancta dedit flagrantia Virtus*
Oscula, quem teneris reptantem eduxit in vlnis,
Cui fortes animos, robustáque corda fauenti
Formauit generosa manu, & præcordia finxit,
Xauerius *mihi testis erit, quem viuida virtus*
Muniit, & grandes animi sepsere vigores.
Illum nobilium clarissimus ordo parentum,
Et multus præcessit Auus, quem splendida cinxit
Nobilitas, illi, primis dum floret in annis,

Nobilib[9] oriundus Atauis.

Aurea patricio pendet de pectore bulla.
Illum ambo insignem casti genuere parentes,
Fœcundæ quos prolis honos, & multa coronat
Progenies, firmóque domum munimine fulcit.
Sed quid ego externæ præconia congero laudis?
Ornari vult ille suis, aliena recusat,
Etsi aliena sua effecit, qui clara parentum
Stemmata, & acceptas patrio cum sanguine dotes

Quos assequitur.

In magnum decus, inque amplos extendit honores.
Sed quis erit dicendi ordo? quæ iusta labori
Præscribet se meta meo? quod littus in amplá
Æquoris eluuione legem? sto incertus, & anceps,

Virtute eximiâ.

Soluere & è tutá portus statione recuso.
Sed tamen audendum est, neque enim temeraria virtus
Credetur, quamquam alta tua nec lumina mentis
Nec tantae virtutis opes, Vir maxime, tangat.

Virtutem probat ille tuam defectus, & infrà
Ornatus hærere tuos quod cogar, ab illis
Prouenit, à nostri non prouenit indole nisus.
Dona tui maiora animi, quàm quæ omnia nostro Quæ æquari
Includi sermone queant, neque vanus habebor stylo nõ
Propterea Orator, tua si præconia sectans possit.
Multa tuæ mittam miracula grandia laudis.
Mollem ergo artificem sertorum imitabor in hortos
Ingressum, cùm terra tepet, suauique volatu
Ventus mulcet agros, & fertilis aura Fauoni
Induit irriguos in mille monilia campos Vnde nõ
Ille vbi fragrantes florum conspexit aceruos, omnes enarrãdæ,
Innumeras verisque comas, bullásque tepentes,
Et blandos glebarum oculos, non protinus omnem sed aliquæ tantùm.
Insilit in segetem, prædatricésue coronat
Non omni de flore manus, sed lilia libat,
Martagonis vel serta legit, molléue rosarum
Illecebras, teneraéue capit diademata caltha,
Furaci ne fortè omnes si pollice flores
Colligeret, fascémque auidus cumularet in vnum, Eorum
Non sertum iucundum oculis, non florea surgat more qui
Gratia, sed multi moles incondita fœni. serta cõtexunt.
Sic ego virtutum viridaria sancta tuarum
Ingressus Xaueri, *decoris quô nobile sertum,*
Et famæ monumenta legam, non ibo per omnes
Nec possem. Virtutis opes, non omnia laudis
Excerpam monumenta tuæ, fastigia tantùm
Summa sequar, ne cuncta meis si claudere verbis
Niterer, in iustos non exornatio gyros
Surgeret, aut solitis constans oratio metis,
Sed liber, aut magnâ congestum mole volumen.
Ibo inquam, si te ante, sacer Pietatis Alumne, Inuocatur eius auxiliũ.
Virtutum sublimis Apex, Sol orbis eoi,
Ætherei tuba sancta Dei, speciosa Iaponum
Gloria, sidereos inter clarissime Mystas
Patronum acciero tenuis de more Clientis,
Vt si fortè mei conamina grandia voti
In laudes propensa tuas sub fasce labascant

Ponderis, & grauiore ruant sub mole laborum
Praesto adsis, facilique manu iam iámque cadentem
Sustineas, addásque animos, & pectora firmes.
Cum primis etiamnum infans pubesceret annis
Narratio à tenerâ ætate. Xauerius, *non philtra illum leuiora mouebant,*
Non ludi puerilis amor, sed grandior illi
Mens erat, & vitae praenuncia signa futurae
In quâ nihil puerile. *In pueri gestu, inque habitu iam expressa patebant.*
Non secus ac deserta inter, nemorúmque recessus
Intrepidus solet ire leo, quamquam ardua nondum
Crispentur vel colla iubis, aut aspera curuo
Horreat vngue manus, vel dentibus ora rigescant;
More leonis. *Ille tamen tacitis naturae impulsibus actus,*
Securus syluas inter, lucósque pererrat,
Certáque venturi gerit argumenta vigoris.
Quippe illum, dum primus adhuc in pectore sanguis
Illi indoles magna. *Ardet, & incensae calido flagrat igne iuuentae,*
Ambitio, laudúmque sitis, famaéque cupido,
Excelsi cos magna animi, & virtutis origo,
Ingeniique comes, iustique ministra laboris
Percellit, multáque sinus prurigine tangit.
Dotes corporis. Eximiæ. *Illi etiam frontis species, & corporis apta*
Integritas, pulchrique decor iustissimus oris:
Quid celeres membrorum vsus? quid dura palaestrae
Praelia? quid transmissa leui distantia saltu
Interualla loquar? sed quid iuuenilia tracto
Munera? in augustas assurgat dictio dotes.
Vt & animi & ingenij. *Illi erat ingenium locuples, maturáque mentis*
Fertilitas, magnaéque capax industria famae;
Iámque illi secretae artes, atque alta patebat
Pallas, & ad claros studiis tendebat honores,
Sed Virtus inclusa sinu maioribus illum
Exacuit stimulis, & ad ardua munera pellit.
Non illum fucatus honor, non splendida vitae
Ambitio, non vota Patris, non philtra Parentis,
Conceptae non laudis amor, non cura suorum,
Non blandae tenuere preces, obstacula victor
Proterit, instantisque Dei mandata capessit.

Stabat in augustâ Francorum Ignatius *vrbe* Illũ Ignatius.
Legitimus virtutum haeres, quo nullus ad alta
Purius insontes tendebat sidera palmas.
Illius in gremio cœlo demissa supremo
Magna sibi Pietas solium, sedémque legebat.
Nec soli sibi sanctus erat, credebat inertem, Mirus artifex.
Quae tantùm sibi, non aliis doctrina vacaret.
Ergo aliis monstrabat iter, quo ad celsa polorum
Itur, & ad superos Cœlorum scanditur axes. Instillãdæ pietatis.
Quos inter monstrante viam duce, primus ad altos
Xauerius *virtutum apices, & culmina tendit.*
Non ita primaeuis Aquilæ generosus in alis
Pullus, vbi roseum Phœbus reserauit Olympum, Erudit sed tam alté.
Plumarum audaci sequitur conamine matrem
Vt magni diuina Patris vestigia tentat
Xauerius, *similique animum virtute colorat.*
Quid primum laudabo? pias laudabo medullas? Vt in illo certẽt virtutes omnes.
Et castas narrabo preces? Constantia laudem
Expetit, inque mea ingreditur praeconia vocis.
Constantis laudabo decus, sed carmina poscit
Integritas; niueósne sequar sermone Pudores!
Relligio celebranda venit; celebrabo serenos
Intacto cum cultu animos? astúmque? fidémque?
Apparet puro laudanda Modestia vultu?
Quid dicam incensos in fomite pectoris ignes? De principatu.
Quid lacrymas, fletúsque loquar? quid longa laborum
Pondera? quid praescripta sacris ieiunia membris?
Quid calidos animorum ausus? quid flammea cordis
Vota? quid ignita memorabo incendia mentis?
Non illi crebris diffusa Hispania *regnis*
Non fines Itali, latis non Gallia *claustris,* Eminuit tamen zelus &
Non in diuersos Germania *didita tractus*
Sufficiunt, illi non sufficit arduus orbis
Europæ, potiora cupit, maioribus ardet
In spatiis laxare sinus, & latiùs optat Ardor diuinæ charitatis.
Porrigere inclusos ardenti in pectore motus.
Ecce ergo immensi vastâ stat in æquoris actâ;
Iam discessuri tendunt vaga carbasa Nautæ,

Iam soluunt funes, iam chara Europa recedit,
Iam petitur fugiens operiosis India *remis.*
Quò Tu sancte Pater? nostræ confinia terræ
Quid fugis? in qualis veheris discrimina Ponti?
Non Te terruerint altae iuga vasta Pyrenes,
Non Te Alpes, *non tota suis Europa periclis,*
At iam Te grauiora manent, cerne inuia Ponti
Æquora, & effusos Pelagi speculare furores,
Omne Tibi est adeundum, omnis Tibi trames arandus.

Quã exhibet in contẽptu

Quas Tu illic Syrtes? Quæ Tu vada cæca subibis?
Quos scopulos? quæ saxa petes? quae littora tanges?
In quae deuenies discrimina? perfida febris
Membra premet, morbúsque tuos incurret in artus:
Sed sit iter facile, & molles tibi praebeat vndas
Æquor, & in tutos pellat tua carbasa portus;
Clementes famulentur aquæ, blandóque susurro
Respirent mites circùm tua vela Fauoni.

Tot difficultatũ quas deuorauit.

Quas Gentes, populósque petis? quos aspera morum
Barbaria, & rigidi premit inclementia cordis,
Quos alit impietas, scelus erudit, ira, feróxque
Sæuitia instituit, quibus est pro lege libido,
Vis pro iure, furor pro viribus, improba labes
Pro Virtute, quibus terræ collatus Alanæ
Incola, & Ostrogothus, *Geticísque habitator in agris*
Mitia corda gerat; Quid Tu cum talibus? à queis
Vt Te non dirimant mores, at sermo, tenórque
Separat, & variæ peregrina locutio linguae,
Ergo redi, sanctóque modum præscribe calori.

In traiectione tot marium,

In cõuictu populorum tam immanium

Quid me, inquit, remoraris? Amor non talia nouit
Nec tales diuina moras incendia poscunt.
,, Damna mihi funesta patent; per atrocia Virtus
,, Damna micat, velut alta suo sub pondere palma
,, Aut velut impacto melior fit campus aratro.
,, H*uc Virtus it tuta, tremunt vbi solis habenæ*
,, Et quò non Aquila ipsa volet, volat inclyta Virtus
Immensi patet vnda freti; non me vnda moratur,
Et meus æquoreis rector Deus insidet vndis.
Quid scopulos? syrtésque malas? Quid saxa minaris?

Difficilísque vias? Æquus mihi molliet omne
Christus iter, facilémque viam meus ardor habebit.
Sin autem aduerso contra steut flamine venti,
Impellántque meos in aperta pericula remos,
„ Tum stabit mihi dulce mori, nam dulce, decensque est,
„ Pro magno se offerre Deo, fatúmque, necémque
Quaerere, quam premius non distulit ipse subire.
Quidquid erit, placet ire, Deus vocat, India poscit,
Ardor me meus vrget, Amor premit, ambit eous
Orbis, & amoti cupiunt mea vota Iapones,
Iámque Europa vale, dixit, volat aequore magno
Interea, & plenis vehitur ratis incita velis.
O felix regio! felicia littora! felix
India? Xauerium *quae mollibus excipit vlnis.*
Appulit, extemplóque omnis per compita terrae
Fama, per & latas nomen dispergitur oras.
Non ita per teneras Arabum, Cilicúmue nouales,
Ver vbi Cinnameos excludi iussit odores,
Se fundit vel thuris odor, vel prima calenti
Balsama de radice fluunt, vt nobile nomen
Xauerij *eois passim se tractibus infert.*
Illum vrbes, & castra vocant, illum ampla tonantem
Pandentèmque sacrae mysteria cœlica legis
Regna vocant, aetas illum vocat omnis, & omnis
Conditio, magníque Duces, & curia Regum.
Quae narret, Dux magne, tuas Oratio curas?
Sudores quae lingua ferat? quis voce labores
Explicet? & sanctae numeret discrimina vitae?
Quis flexus, cursúsque tuos? quis longa viarum
Interualla canat? quis tristia taedia dicat
In vastis tolerata fretis, dubiásque procellas?
Per formidatas audaci puppe Charybdes
Prorumpis, mariúmque sinus; Tu naufraga saxa
Immitésque notos superas; Tu grandia scandis
Culmina, distentis Tu promontoria terris
Victor inis, vasti Tu barbara compita mundi,
Tu sancto amotos tot adis ardore recessus,
Vt Phœbi ignotae sint hae splendoribus orae,

Quę omnia nobiliter cõtemnit.

Vt Deo seruiat.

Et proximum lucretur.

Propter quem.

Quid tãdem non tolerat.

Quæ gressus fugere tuos; animique vigorem.
Miracula condit. *Te quoties dubiis ducens vestigia plantis,*
Ancipitémque trahens incerto poplite gressum
Accessit? rectúsque redit, non amplius vllo
Vsurus fulcro, aut gressus positurus inertes?
Et quoties atris Cocyti emissa cauernis
Eumenidum dirarum acies, artúsque virorum
Ingressa, & rabidis agitans præcordia pœnis
Te mandante nigras rediit fugitiua sub vmbras?
Et quotis tostis calidæ febris ignibus vstus,
Aut cui luxatis mœrentia membra lacertis,
In salutẽ hominũ cedentia *Contortiue tori, aut capitis dolor anxius, aut cui*
Ardens carnificina pedum, manuúmue dolores,
Affectúmue latus tormenta insana crearent
Ambitiosa tuæ sensit medicamina dextræ,
Cepit & affectis robur vitale lacertis?
Quinetiam cassos, vitáque, animáque carentes,
Quos iam Styx, Phlegetónque suis inuoluerat vmbris,
Ad clarum reuocare diem, & cœlestibus auris
Reddere, & è vanis licuit transferre sepulchris.
Sed de Te quid plura loquar sanctissime vates?
Quidue tuum celebrabo decus? noménque superbum
Extendam? generosa tua cùm gloria fama
Trans mare, transque omnes se diuidat inclyta terras
Et se intra magni pomœria condat Olympi.
Quibus omnibus meritus est. *Pastor enim Romanus, vbi tua gesta, tuique*
Accepit virtutem animi, & pietatis honorem
Corpus vbi viuo post vltima fata colore
Resciuit florere, tubis & sanguinis artus,
Et venas puri turgescere flumine succi.
Vidit vbi virtute tua tot condita dextrae
Prodigia, insumptósque amplá in regione labores,
In mortalitatẽ. *Te superis, altóque parem Te dixit Olympo,*
Scripsit & Indigetem, noménque insigne quotannis
Extremo cùm mense diem festiua secundam
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,
Quá Tu extrema die Sinensem inuectus in oram,
Cantonia in regione, nouis sudoribus aptus

Fata subis, animúmque alto committis Olympo,
Iussit honorari, cultáque nitescere pompâ. Apotheosim.
Ad Causæ quoque spectat idem genus aspera probrũ Caput 4.
Quae vitiis infert Oratio, & inde petuntur De vituperatione.
Obiurgatiuæ capita infamantia vocis In quâ eædem leges quæ in laude.
Vox trahit vnde suos Exornatiua lepores.
Hic ergo inspiciat patriam velut antè, genúsque,
Et Patres seriémque domus; si splendidus illi
Maiorum stetit ordo, nigras si iactet Auorum
Effigies, condátque suos de nomine fastos
Culpandus magis, illum etenim dementia vexat
Deterior, quod stemma domus, famámque parentum Patria
Polluit, & vitiis titulos infecit auitos.
Sic Cicero Pisonem agitat, cui Patria Virtus Genus
Nobilitásque antiqua decus commiserat ingens,
Ipse tamen langore animi, stupidóque veterno Parentes
Splendentes obscurat auos, & facta parentum
Deprimit, & tantis maculas virtutibus infert.
Sin autem vili de Patris origine surgat,
Et de plebeiâ ducat natalia gente
Ridendum est genus, & soboles cum Patre iuganda est.
Imprimis spectanda animi morúmque nocentum Animi
Improbitas, stimulis rabidæ si subditus iræ, probra
Luxuriam si effraenis amet, si consuat astus,
Inuidiâ si flagret, opes si claudat auaras,
Desidiam si segnis alat, si sordidus escas
Congerat in ventrem, & multâ se carne saginet;
Si Bacchi templa, & gurgustia fœda frequentet,
Infaméśque domos, vetitæ si fœdera turbæ Morum
Ambiat, & praui si gaudeat agmine cœtus. infamia.
Imperii pacem si turbet, & otia regni
Concutiat, fideique ratem ceu turbo malignus
Multiplici fraude, & scelerato errore fatiget.
Quin etiam in vitium membrorum & corpus ineptum Vitia
Verba licet torquere, humeri si colle tumescant, corporis
Si mutilum breuior gressum pes fraudet, & anceps
Incessu fallente gradus vestigia ducat
Si faciem infuscet color improbus, & mala vultum

In prauam à rectâ vertat distorsio formam.
,, Corpus enim simulacrum animi est, mentisque figura,
,, Internique sedent, vultus in imagine sensus.
Extremos tùm si qua dies infamia, si qua
inquirē- *Labes funereas exceperit atra cupressos,*
dum etiã *In probrum cadet, & sordens in dedecus ibit*
in sepul- Haec *autem patitur figmenta poëtica* Causa,
chra. *Illecebrásque petit, populo quò seruiat, & se*
Istud di- *Blandiùs insinuet, faciléque immittat in aures.*
cēdi ge- *Tullius ipse etiam, quo castigatior alter*
nus. *Nusquam Rhetoricae sciis inseruiit artis*
Patitur *Induit in Nymphas virtutem, & crimina tristes*
poeticũ *Vertit in Eumenidas, saeuúmque in vostra theatrum*
ingeniũ *Inuehit, inque amplo reserat Phlegetonta Senatu.*
Ergo agitet Caluinum Actor, tetrósque furores.
Et labem haereticam, funestáque crimina mactet,
Caput 5. *In tales poterunt erumpere pulpita voces.*
Caluinus *Me quamuis facilis natura, & mite gubernet*
vitupe- *Ingenium, mollisque meos affectio mores*
ratus *Leniat, & teneri flectant mea pectora sensus;*
Exordiũ *Quamuis me placidum ridenti lumine cælum*
ducitur. *Gratiùs afficiat, quàm quod praegnantibus horret*
Nubibus, & trepidi quod fulminis igne coruscat:
A perso- *Et quamuis stet pura mihi iucundior vnda,*
nâ ipsius *Quam ducit tenuis strepero sine murmure riuus,*
oratoris. *Quae neque naufragiis, nec atroci obnoxia vento est,*
Quàm quae de summae descendens culmine rupis
Qui vt *Saxa rotat, magnúmque rates importat in aequor,*
mitissi- *(O Proceres, nostrisque fauens ô Concio dictis)*
mus sit *Sic tamen inque Deum, inque homines petulãtia prauae*
Haereseos furit, & laxum sic saeuit in orbem,
Cogitur *Cogar vt ingenium, & naturae mitis amorem*
tamē ob *Excutere, & iustas accendere pectus in iras;*
scelera *Cogar vt authorem scelerati dogmatis aestu*
immania *Commotus, meritaéque sacris ardoribus irae*
naturam *Impetere, & tetris* Caluinum *incessere probris.*
exuere. *Vellem equidem, vobis superi sic nota voluntas,*
Illius à meritis animam subducere pœnis,

Et precibus placare Deum, atque vltricia tela
Frangere, & accensas votis extinguere flammas.
Sed quoniam noxaéque graues, & crimen acerbum
Haereseos, prauaéque ferox audacia vitae
Illum Erebi mersere rogis, cùm nostra sepultae
Vox nequeat seruire vmbrae, viuentibus adsit Quo prosit iis quos Caluinus auertit.
Mentibus, auertatque malae contagia fraudis.
Multa autem, vestras vitiis ne enormibus aures
Funestem, transibo libens, & multa silebo
Inuitus, quia cuncta suis comprehendere verbis
Lingua nequit, tantósue viri vulgare furores.
Non mihi si faciles fierent membra omnia linguae, Multa autem eius crimina omittet.
Multiplicésque darem centeno gutture voces
Omnia Caluini *scelera, aut malefacta referrem.*
Non tot Lernaei famoso in gurgite coeni
Prodigiosa feris ceruicibus horruit hydra,
Non tot acuminibus, non tot rubus asper echinis
Induitur, non tot crispatur fluctibus aequor,
Non tot habet Panthera notas, sed vt impia monstri Neque enim omnia dici possent.
Crimina, & insani contagia saeua furoris
Lustretis, vel ab ipso etiam referabimus ortu
Portentum infœlix, nataliáque ipsa canemus.
At vos, ô Proceres, solitum spondete fauorem.
Vrbs est Picardae culti in finibus orae, Narratio Caluini parentes quales
Nouiodunaeo quam Gallia nomine dicit;
Ex illo infœlix, Puerum quod prima recepit
Nascentem, rabidóque dedit cunabula monstro.
Hic vitam tenui in censu, sub paupere tecto
Degebant duo, ne nomen, ne quaerite mores,
Illud enim dignum, quod nigra silentia claudant,
Immanes hos esse decet, cùm horrentibus astris,
Cocyto plaudente, stygis gaudentibus vmbris,
Caluinum *aethereas tulerint in luminis auras.*
Ille recèns tetrâ saliit cùm matris ab aluo Natiuitas infelicissima
In gremium furiale cadit, reptauit in vlnis
Eumenidum, nec lac solito de more, nec vber
Suxit, at anguineum suxit pro lacte venenum.
Illae artus finxere, illae in praecordia virus

Cui Eumenides interfuerunt.

Spirauere, illa scelus exitiale medullis
Fudere & venis rabidos sparsere furores.
Ad cunas vitiorum agmen, Pestésque nocentes
Funesto venere gradu, atque horrentia lauâ
Membra manu finxere; oculos inimica pudoris

Et vitia omnia membra cōposuerunt.

Luxuria, *& calidos reserat lasciuia renes;*
Triste supercilium prærupta Superbia, *frontem*
Occupat illa lues, cui sancta Modestia *pugnat*
Assiduè; Rabies sensus discendit in imos,
Visceráque, & penitas horrens subit ira medullas,
Barbaries manibus præcordia sæua cruentis
Format, & ignitum iecur ambitiosa Cupido,
Et cerebrum Leuitas, *bifidámque* Astutia *linguam,*
Et tecta exesos vestit Simulatio *vultus,*
Inque ferâ mentis consedit Hypocrisis *arce.*
Factio sacrilega parat internodia dextræ,
Inque manus chalybem dedit, & furialia tela,
Et multo rabidas perfudit sanguine cunas,
Auspicimm scelerum, & fundendi enorme cruoris
Omen, & infandi signum miserabile casus.

Mundus præsagus inhorruit.

Illo igitur nascente, mali præsaga futuri
Gallia succusso fundamine nutat, & omnis
Infremit Europa, *& vulsâ radice mouetur.*
Sed prima hæc sceleris labes, vbi creuerit, vltra
Hos fines se damna ferent, sed & ipsa polorum
Sidera funereo circum obuoluentur amictu.

Præcipué Gallia.

Iam crescit, iámqae arma parat, iam infausta vocatur
Ad studia, & miseras librorum adrepit ad artes.

Tùm enim vera fides totâ Europâ

Interea toto florens regnabat in orbe
Relligio, calidísque polus gaudebat acerris,
Nulláque communes dirimebant iurgia nexus.
Templa pius seruabat honos, altaria cultus,
Ordo sacerdotes, tuti custodia claustri
Castum animum, sanctásque fides intacta medullas.
Non in diuersos ibant suffragia sensus,
Nec varios ritus, Canonésue Europa *colebat,*
Sed leges quas Roma *Deo dictante tulisset,*
Has Saxo, *extentóque potens* Germania *tractu,*

Sarmatáq; & Russi, & *florentibus* Hungarus *armis*,
Et Belgæ, & *medio diuisa* Britannia *ponto*,
Franciáque, & *concors seruabat* Iberia *leges*.
Pontifices is habebat amor, cura illa tenebat
Maiorum decreta patrum, atque antiqua tueri
Concilia, & sacli mores reuocare prioris.
Infremuit Phlegeton, sauisque erroribus almam
Molitur turbare fidem, subitóque latebras
Hæreseos malesanus adit, quam protinus omnem
Vertit in Europam, *diróque horrore fatigat.*
Funestum erigitur monstrum, tractúque soluto
Hæreseos sese hydra vehit, quocunque penetrat,
Aspera mors sequitur, mortisue simillimus horror.
Illa autem per inane ruens, fera baiula luctus
Teutonicos attingit agros, hic stulta Lutheri
Pectora, & immanes sæuâ ambitione medullas
Horrendis agitat sermonibus; Ille venenis
Germanos afflat malus, & replet omne tumultu
Imperium, & purum fidei proturbat honorem.
Hinc ruit in Gallas *inimico Numine terras*
Et Nouioduni *sedem sibi figit in arce.*
Hic *erat Eumenidum soboles, &* Ditis *alumnus*
Penè Puer Caluinus, *atrox cui crimen ab ipsis*
Vnguiculis prædulce fuit, ruit improbus omne
In vitium, vitámque probris, & crimine fœdat.
Vt primùm à doctis in tecta paterna lycæis
Regreditur; neque enim pueriles carmine curas
Attingam, aut studium, aut solertis pensa laboris:
Ingenii faciles, neque vera negauero, venas
Nactus erat, teneris & dona fauentia Musis
Sed gazas Naturæ omnes corrupit adulter,
In pœnas vertitque suas pretiosa Deorum
Munera, & insignes infecit crimine dotes.
In patriam vt redit ergo domũ, sacra protinus audet
Tractare officia, atque piis se iungere Mystis
Quò strictos reditus, tenuisque incommoda census
Suppleat; heu cui præda lupo daris optima mater?
Cuiue tua traduntur oues! sacra ergo prophanus

Vnde Inferi ęgrè ferentes.

Hæresim in orbem Immittunt.

Quæ primùm Germaniam. Infecit Luthero polluto.

Et Caluinum iã moribus inquinatum euertit.

Siquidẽ sacris addictus.

Tractat, & horrendas vates accedit ad aras.
Sed vitis natura tenax, furiosa nocentum
In scelerum portenta rapit, patrat illa sacerdos
Quæ prohibet refferre pudor; non sanctior illum
Ordo, nec albenti vestita modestia peplo,
Nec grauitas insueta mali, nec criminis horror,
Suppliciique metus, nec inusta infamia labis
Abstrahit à Venere, auersaéque libidinis æstu.
Iudicis ad rectum reus, & probrosa tribunal
Defertur Venus, vrbe reus migrare iubetur,
Exulis in morem, inque alios discedere tractus.
Ille Tomitanos *ó si depulsus in agros!*
Inque sinus Geticos *! dignas vbi crimine pœnas*
Exiliúmque ferox pateretur! at impius erro
Ecculisma *tuas furtim secessit in arces*
Ho*spitium tantum insanis erroribus optans.*
Infœlix illi Vvolmarius assecla, morum
Et mentis laudator erat, quem talibus amens
Antiqua in cladem fidei, funúsque ferebat;
Chare mihi Caluine, *tuæ speciosa Iuuentæ*
Tempora, & egregios sensus illustris honores
Segniter effluere, & turpi patiere veterno
Corda premi? nec Te ingenii, nec mentis acutæ,
Aut artis pudet? intereant si tanta probroso
Ornamenta situ, & misero squallore labascant?
Quin potius fruere ingenio, & quæ munera fusâ
Larga tibi Natura manu dispersit, ad altos
Splendores, cultúsque refer; sempérue supremam
Subiicies mentem? Romanorúmne pudenda
Pontificum decreta coles? An sola per orbem
Roma *sapit? Non in reliquos quoque depluit æther?*
Iam tandem ergo attolle oculos, & Te quoque dignum
Respice, cui ritus liceat, cui condere leges.
Maturæ Tibi mentis opes, Tibi dona sagacis
Ingenii, viuacis adest solertia sensus,
Tantum aude, cultúsque nouos, canonésque recentes
Institue, antiquúmque Patrum peruerte tenorem.
Dixit, & horrendo funestae faucis hiatu

Ea committit.

Quibus in exiliũ agitur.

Vbi vanitate, & animi impotẽtiâ impulsus.

Cudit infamem hęresim.


Conii it obfirmatam animam, stat pectore toto
Haeresis, & vetitae concepta superbia fraudis,
Nascitur, & diro velut excetra voluitur ortu.
Ast vbi maiores audacia perfida vires Quam e-
Sumpsit, & ex multa tumor assuetudine creuit uulgat.
Victor vbi infami Geneuæ *subsedit in arce*
In moremque lupi miseram bacchatus in vrbem est,
Hos vbi composito patriis de mœnibus astu
Expulit, hos ardens diros vbi iecit in ignes,
Aut dedit in neruum; plebis vel subiicit iræ
Per medios etiam populos, mediasque per vrbes
Audet acerbam inferre luem, hæreticumque venenum Causam
Coniicere; ah quantis mactabere Gallia *Mater* mille
Cladibus! ah quantis torqueberis excita pœnis? malorũ.
Heu quantos natorum obitus! heu quanta videbis
Funera! & in quanti versaberis aequore luctus!
Quae fueras olim, non illa vocaberis; olim
In te iustitia, & clementia culta vigebat,
Te florens afflabat honor; nunc lugubris horres
In Scythiam *mutata, feros imitaris* Alanos,
Cyclopásque *truces*, Maſſylorúmque *furores*?
Progenies ante ora Patris caedetur, & ante
Progeniem funesta Pater tormenta subibit, Cædium
Filia flebilibus ferrum genitricis in vlnis
Excipiet, natam ante Parens ad fata trahetur.
Non aetas extrema senes, non prima puellos, Sacrile-
Non castas sacra fama nurus, non Infula Mystas, giorum.
Non aras cultus, Pietásque tuebitur ædes.
Delubris aufertur honos, altaribus ignes
Templa Deo, velum monialibus, hostia templis, Pugnarũ
Sparsis mœrentes albescent ossibus agri,
Et sanguis riuorum instar per spumea curret
Flumina, & in vastas se deferet aequoris vndas.
O quoties lugens in Iarnacensibus *agris* Tumul-
In Druydum *campis, in* Coltracensibus *aruis* tuum.
Suspirabit agri cultor, cùm dente sub vnco
Vomeris, aut Gallas fossâ tellure sagittas,
Aut fraenos, galeásque truces, aut scuta videbit!

Tractat, & horrendas vates accedit ad aras:
Sed vitiis natura tenax, furiosa nocentum
In scelerum portenta rapit, patrat illa sacerdos
Ea committit. *Quæ prohibet refferre pudor; non sanctior illum*
Ordo, nec albenti vestita modestia peplo,
Nec grauitas insueta mali, nec criminis horror,
Suppliciique metus, nec inusta infamia labis
Abstrahit à Venere, auersaéque libidinis æstu.
Quibus in exiliũ agitur. *Iudicis ad rectum reus, & probrosa tribunal*
Defertur Venus, vrbe reus migrare iubetur,
Exulis in morem, inque alios discedere tractus.
Ille Tomitanos *ó si depulsus in agros!*
Inque sinus Geticos *! dignas vbi crimine pœnas*
Exiliúmque ferox pateretur! at impius erro
Ecculisma *tuas furtim secessit in arces*
H*ospitium tantum insanis erroribus optans.*
Infœlix illi Vuolmarius assecla, morum
Vbi vanitate, & animi impotẽtiâ impulsus. *Et mentis laudator erat, quem talibus amens*
Antiqua in cladem fidei, funúsque ferebat;
Chare mihi Caluine, *tua speciosa Iuuentæ*
Tempora, & egregios sensus illustris honores
Segniter effluere, & turpi patiere veterno
Corda premi? nec Te ingenii, nec mentis acutæ,
Aut artis pudet? intereant si tanta probroso
Ornamenta situ, & misero squallore labascant?
Quin potius fruere ingenio, & quæ munera fusâ
Larga tibi Natura manu dispersit, ad altos
Splendores, cultúsque refer; sempérue supremam
Cudit in famem heresim. *Subiicies mentem? Romanorúmne pudenda*
Pontificum decreta coles? An sola per orbem
Roma *sapit? Non in reliquos quoque depluit æther?*
Iam tandem ergo attolle oculos, & Te quoque dignum
Respice, cui ritus liceat, cui condere leges.
Maturæ Tibi mentis opes, Tibi dona sagacis
Ingenii, viuacis adest solertia sensus,
Tantum aude, cultúsque nouos, canonésque recentes
Institue, antiquúmque Patrum peruerte tenorem.
Dixit, & horrendo funestae faucis hiatu

Conii it obfirmatam animam, stat pectore toto
Haresis, & vetita concepta superbia fraudis,
Nascitur, & diro velut excetra voluitur ortu.
Ast vbi maiores audacia perfida vires Quam e-
Sumpsit, & ex multâ tumor assuetudine creuit uulgat.
Victor vbi infami Geneuæ *subsedit in arce*
In morémque lupi miseram bacchatus in vrbem est,
Hos vbi composito patriis de mœnibus astu
Expulit, hos ardens diros vbi iecit in ignes,
Aut dedit in neruum; plebis vel subiicit iræ
Per medios etiam populos, mediásque per vrbes
Audet acerbam inferre luem, hæreticumque venenum Causam
Coniicere; ah quantis mactabere Gallia *Mater* mille
Cladibus! ah quantis torqueberis excita pœnis? malorũ.
Heu quantos natorum obitus! heu quanta videbis
Funera! & in quanti versaberis aequore luctus!
Quae fueras olim, non illa vocaberis; olim
In te iustitia, & clementia culta vigebat,
Te florens afflabat honor; nunc lugubris horres
In Scythiam *mutata, feros imitaris* Alanos,
Cyclopásque *truces*, Massylorúmque *furores?*
Progenies ante ora Patris caedetur, & ante
Progeniem funesta Pater tormenta subibit, Cædium
Filia flebilibus ferrum genitricis in vlnis
Excipiet, natam ante Parens ad fata trahetur.
Non aetas extrema senes, non prima puellos, Sacrile-
Non castas sacra fama nurus, non Infula Mystas, giorum.
Non aras cultus, Pietásque tuebitur ædes.
Delubris aufertur honos, altaribus ignes
Templa Deo, velum monialibus, hostia templis Pugnarũ
Sparsis mœrentes albescent ossibus agri,
Et sanguis riuorum instar per spumea curret
Flumina, & in vastas se deferet aequoris vndas.
O quoties lugens in Iarnacensibus *agris* Tumul-
In Druydum *campis, in* Coltracensibus *aruis* tuum.
Suspirabit agri cultor, cùm dente sub vnco
Vomeris, aut Gallas fossâ tellure sagittas,
Aut fraenos, galeásque truces, aut scuta videbit!

O quoties Dordona *tuos , aut* Insula *fluctus.*
Et Charenta *tuos transmittens nauta canales,*
Spectabit rubeâ cùm mille cadauera in vndâ
Quæ solitnm impedient obstructo flumine cursum
Seditionum. *Te ,* Caluine *, premet diris ! & nomen Auerno*
Tradet , & in sontes votis Te deferet vmbras?
Catera quid referã? neque enim omnia crimina possũ,
Epilogus *Aut refferre velim , sed & omnia crimina dixi,*
Cùm caput Hæreseos , vexilliferúmque prophani
Dogmatis , & tetræ dixi feritatis alumnum.
Huic tamen , ô Immane nefas! Pietate remotâ,
Adhortatio. *Contemptâ virtute , Deo obnitente . relictis*
Cælitibus Galli Pars magna hærere potestis ?
Sed cui ? fortè illi, quem sustulit ardua Virtus?
Grandia qui valido fecit miracula iussu?
Quâ monentur Galli. recedere. *Quem timuit fera Parca ? tremens cui paruit Orcus?*
Qui manes imis potuit reuocare sepulchris?
Qui vitia excidit , portentorúmque cohortes
Expulit ? & iustis sanciuit legibus orbem?
Ab hæresi quã inuexit homo. *Non illi potius qui fœdera sancta reuulsit?*
Qui leges & iura scidit ? qui sidera Cæli
Tempsit ? & æthereo demens pugnauit Olympo?
Maiorum ritus , & templa , sacrósque penates
Tam nequam. *Triuit ? & incensas superis extinxit accerras?*
Non illi potius stygios qui pandit hiatus?
Induxit Furiarum agmen ? qui crimen in orbem
Intulit ? & tetro lacerauit regna tumultu?
Vultis ab hoc , Franci , cælestia sumere iura?
Et leges æquas , sacrósque reposcere ritus
Qui leges , ritúsque sacros infregit , & omnes
Cælituum simul atque hominum turbauit honores?
Cui nulla lex fuit. *Vultis ab hoc iustæ rationem exposcere vitæ,*
Qui nullum est vnquam vitæ genus ipse secutus?
Qui vitam probris infecit , & impius omne,
Et redire Ad eam fidem. *Quod triuit , maculauit iter. Remigrate Rebelles,*
Ad veram remigrace fidem ; Quid statis ab illã
Semoti ? Vos illa vocat , vos rursus in vlnas
Admittit ; quid seorsum estis ? quid abitis inanes?

Illam millenis cingunt miracula signis
Concilia, Antiquique Patres; & congruus ordo Quã mu-
Pontificum, & crebri maiestas ardua saecli, niunt.
Et canus commendat honor, numerosáque turba
Doctorum grandésque Tribus, quae sanguine fuso.
Quam colimus, sanxere fidem; sed omitto verendae Miracu-
Tot testes fidei, nostri tot pignora cultus, la..
Ipsi vos lapides, Galli, vos ipsa docebunt
Saxa, fidem lapides ipsi, saxa ipsa loquuntur. Cõcilia.
Respicite excelsas, si quas tamen impius error
Haereticúsque furor, rabiésque insana tumultus Põtifices
Erectas permisit adhuc perstare, sed aedes
Respicite, & nostris quae sit reuerentia templis. Antiqui-
Quis tantas moles? quis tanta altaria Diuis tas.
Extruxit? tantásque polis quis tradidit arces? Doctores
Caluinine *Patres? Cur ergo antiqua suorum.*
Euertit monumenta Patrum? cur diruit aedes
Antiquae Pietatis opus? non ergo dicauit Marty-
Haeresis has aedes, non haec altaria fecit. res.
Sed nostri struxere Patres, & cultus auorum. Templa.
Cur nos è patriâ depellere niteris aede Altaria.
Inuasor Caluine *? Tuae quae pagina legis*
Testis? vbi authores? fidei quae signa recentis
In medium prodire iubes? Tu solus inani Quibus
Futilium rationum vmbrâ stipatus, honorem quid si-
Solis, & ardentes fidei furaberis ignes? mile in
Vos ergo Haeretici quos hactenus imbuit error, haeresi?
Ad Christum posito iam tandem errore redite.



LIBRI OCTAVI

PROLVDIVM.

ETsi omnia dicendi genera, & omnes Eloquentiæ partes multum in se cùm suauitatis, tùm commendationis obtineant, ea tamen certé quæ in suasione & dissuasione posita est, omne ad se compendium & vtilitatem deriuare videtur. Illud enim genus est, quo oratores quidem omnes, sed ij potissimum qui ciuitatum procurationem, & rerump. administrationem instituunt, indigere creduntur, sine quo nec consilia expedire poterunt, nec rationes explorare, nec eas populo persuadere. Nimirum ea est Eloquentia, quæ suasionē mentibus ad virtutes amplectendas. & dissuasionem à vitijs instillat.

Quis est præterea qui nesciat ab initio cùm genus hominum in montibus & syluis dissipatum vagaretur, destitutamque omni societate vitam duceret, adeò Eloquentiam istam suauitate potuisse, vt eos vnum in locum cógregaret, atque ex feritate illâ agresti ac prope barbarâ ad honestam vrbanitatem docilitatémque traducens domicilijs & vrbibus excitatis cingeret atque sepiret?

Suada magnas prima compegit domos,
Et ciuitates condidit
Cicurauit homines, éque syluarum cauis
Antris in vrbes compulit
Et iure socio vinxit, & leges ferens
Confusionem sustulit.


Tangens

Tangens canoram lenis Amphion lyram
Struxisse muros fingitur;
Vulsisse quercus, & feras cantu Tygres
Mulsisse fertur Orpheus
Quid ille, & ille Musicus tandem fuit?
Duo fuere Rhetores,
Qui ciuitatum congreges cœtus pio
Legum polibant fœdere.

Quare generis illius tam vtilis & penè necessarii Præcepta & Exempla in librum sequentem iniiciam.



LIBER OCTAVVS
De Exemplis Generis Deliberatiui.



Ierides *Phœboea cohors, non antè sequentis* Inuocatio.
Aggrediar conatum operis, vel dura subibo
Pondera, vel magni molem tentabo laboris,
Quàm vestra tutamen opis, certúmque feratis Caput I.
Auxilium, iustóque meos molimine nisus De Genere deliberatiuo.
Et tenues sancto firmetis Numine vires.
Altera Causarum *deliberat; Illa Minerua*
Ampla ædes, Suadaéque domus, fons mentis, & altum
Consilii & Rationis opus, quá mollis Honestas, Cui finis est.
Vtilitásque simul spectatur, & ardua Virtus
Iucundo connexa bono; sed Rhetora primùm Bonum
Quos moueat spectare decet, neque enim omnibus idem Honestũ
Sermo, *nec attexta è paribus facundia verbis* Vtile
Conuenit; H*æc Regi nutu qui cuncta supremo* Iucũdum

Temperat, & laxas ditionem immittit in oras
Expedient, quae fortè suis Respublica rebus
Censeat exitiosa; Aliud qui mercibus instat,
Optabit, petet ille aliud, cui nobilis ordo
Contigit, & magnâ decorant quem stemmata Gentis.
Lucra illos, quæstúsque mouent, hos laudis honesta
Ambitio, pulcraéque agitant insignia famæ.

Qui motus sint apti huic generi

Huic Generi *quoq; motus inest spes dulcis, Amórq;*
Et desyderium, & tristis Timor; Inde serenus
Deriuatur Amor, si commoda certa Suasor
Afferat, oblatósque boni spectabilis vsus
Hinc *desiderium, hinc illi Spes proxima manat,*
Si facilis ratio voti monstretur habendi.
Quod si difficili stet circumclusa labore,
Ancipitésque vias, & crebra pericula pandat,
Hinc Metus exoritur, vel Desperatio surgit.

Qui idonei sint ad suadendum.

Potentiores.

Commodius suadere queunt, quos alta potestas,
Quos ornat diadema micans, quos infula cingit,
Quos virtus augusta polit, quos splendidus ambit
Ardor opum, celebres quos experientia reddit.
Propterea ignauos etiam, insuetósque laborum
Martis, ad arma trahet, mediaeque pericula pugnæ
Magnanimâ Virtute Heros, *qui sæpe triumphos*

Iustiores

Rettulerit, validâque potens certarit arenâ.
Nauta truces doctâ qui reppulit arte procellas,

Intelligentiores.

Et fragili æquoreos irrisit in arbore fluctus,
Vel timidos imponet aquis, nec respuet æquor
Insuetus maris, experiens quem mouerit autor.
Ergo Author bonus adsit, amor cui candidus afflet
Illecebram, & placidi suffragia blanda fauoris

Gratiores.

Concilient populo, viresque & robora præstent.
Defecit Romana phalanx, & debita tempsit
Cæsaris imperia, & iustis se subtrahit armis.
Debuit immeritos Cæsar compescere motus,
Vt patuit, quia gratus erat, qua voce, sodales,
Vtar, ait Sociósne *vocem? appellémne* Quirites?
Continuo posuere minæ, & vesania cessit
Et chari vox vna ducis grauiore vibrata est

Pondere, quàm longis producta oratio verbis.
Multum etiam aut ætas grauis, aut veneratio prodest, Seniores
Aut sanctæ Pietatis odor; sic maximus ólim
Vrbanus triplici circum sacra tempora vittâ
Cinctus, & humani splendore micantior oris,
Cum Francos Proceres Aruernia læta videret Caput 2.
Clarum in Concilium, & comitia sancta coactos Exẽplum
Principis in penetrali vrbis, repetenda Sionis in Vrba-
Mœnia, & eoas deiectis turribus arces uo 2.
Suasurus, sic verba graui de gutture fudit. Suadẽte
Si pauidâ cum gente, animis vel inertibus, aut si expedi-
De belli ratione, meos quod abiret in vsus tionem
Seclusâ Pietate, ferox vel cæderet hostes, sacram
Quos sacer in puris Christi cruor abluit vndis, Exordiũ
Verba mihi facienda forent, & concio habenda, ducitur à
O Franci Proceres, ô Gallia nobilis armis, propria
Ancipiti nutarem animo suspensus, & anceps personâ
Ambigerem, quae verba darem, quæ dicta referrem
Quæ legerem momenta meis accommoda rebus, A gene-
Argumentosae optarem quae pondera mentis rositate
Sed quoniam iam sermo mihi est cum Gentibus illis Frãcorũ.
Quae totum illustrant factis insignibus orbem,
Quæ generosa suae passim vestigia laudis
Impressere, quibus celsis neque rupibus Alpes
Nec maria, indomitæ nec atrocia saxa Pyrene
Nec formidatis hostilia castra maniplis,
Nec Rheni *glacialis hyemps, nec turbidus Istri*
Impetus, abruptis neque cinctae mœnibuus arces
Obstruxere viam, quas inclyta gloria nutrit, Ab vtili-
Quas laus vna fouet, quas Martius incitat ardor. tate pu-
Et quoniam de bello agitur, quod publica poscit blicâ
Causa, quod ætherei Pietas pulcherrima Regis,
Quod proprio Deus ore iubet, quod sancta requirunt A pieta-
Astra, quod immensus votis communibus orbis te.
Postulat, afflictaéque petit quod imago Sionis Ab ho-
Heu non iam Regina Sion, *sed imago* Sionis, stiũ im-
Quod saui demens suadet violentia Turcae. manita-
Non suadet priuatum odium, non vana parandae te.

Ambitio mihi laudis, atrox non suggerit æstus
Vindictæ, non ardor opum, non cæca cupido,
Sed Christi solius honor, sed cultus Olympi,
Non fusos verborum orbes, non ampla loquendi
Rhetorico de more legam fastigia, sed quæ
Expedient Causae nudâ tractabo loquelâ;

1. Ratio quod Christus his terras incoluerit.

Nostis ô Heroes, neque enim reuocare necesse est,
Vnum Naturâ, æqualem Virtute, suique
Splendorem vultus, maiestatisque figuram
Vt Natum Pater in miseræ sola deuia terræ
Intulerit, commissa suâ qui crimina morte
Elueret, primúmque hominis repararet honorem.
Ille Palæstinas *in sedem deligit oras,*
Conspectu quas ipse suo dignatur, & ore,
Quas plantis, pedibúsque sacris, quas creber obiuit
Greßibus, & proprio (quid enim maiora requiram?)
Sanguine, *& effusi quas imbuit amne cruoris.*

Indignũ vt eas Christi hostis possideat

Hinc omnes Pietatis opes, hinc omnis origo
Relligionis adest, terras hinc ducta per omnes
Dispersit se casta fides, & gloria Diuûm:
Attamen hæ, proh turpe nefas! quæ sancta priores
Imbiberant documenta plagæ, queis fauerat Æther,
Sidereóque fluens affulserat ardor Olympo;
Ipsæ etiam Solymææ *arces, & culta* Sionis
Iugera, Iordanis *liquidis imbuta fluentis*
Coguntur furiis, Mauri *seruire Tyranni*
Prolrosósque pati turpis Mahometis *honores?*
Vsque adeóne pati hæc pulchrum est? Nos alta tenebit
Segnities? Animósque graui torpore iacentes
Impediet, dum nostra suá de sede fugatur
Relligio, dum luget humus, quam sanguine tinxit
Christus, & Eoo regnat Mahometus *in orbe?*

Trãsferẽda esse bella Christianorum in Idumæã.

Quò lateri succincti enses? quò fortia dextris
Spicula? quò tantæ ducuntur ad arma cohortes?
Nos consanguineis socios vexabimus armis?
Fraternásque manus acies fraterna reuellet?
Inque Patris fines natus ferus irruet? & se
Sentiet imbutam cognato sanguine tellus?

Lætior at Maurus *florentia tempora ducit*
Interea, & propriâ Christi in ditione triumphat?
Indecores nos illa pati? nos mollibus vltrà
Haec segnes tolerare animis? quin arma, minásque
Prehendimus? & iustos in Turcica castra furores
Induimus? priscaéque decus Virtutis inimus?
At res difficilis, multísqua incincta periclis, Ratio 2. A facilitate.
Arduáque, & grauium susceptio plena laborum,
Tot terras, tot obire plagas, tot flumina tortis
Vorticibus tranare, altis tot turribus arces
Vincere, & incensa superare tot agmina pubis;
Nunquid & hos decuit numerosos ferre labores?
Num maria? immanésque vias (nam Caspius *illos*
Fudit ager) superare? truces num vincere turmas?
Frangere vallatis num propugnacula muris?
Et tamen id potuere? armis amentibus illi
Quod poture, piis nos non audebimus armis?
Sed fac multiplici bella intricanda labore,
Difficilésque moras, & acerbi praelia Martis
„ *Præcipe, difficili sub pondere palma virescit,*
„ *Arduáque è dubiis adolescit adorea rebus.*
Sed nihil hic, Proceres, magno molimine dignum est,
„ *Nil valido contortum animo est, nil* Francia *nouit*
Difficile, & vestris tellus erit aqua sagittis.
Quid timidi dubitatis? idem vos pectus, idémque Ratio 3. Ab exẽplo maiorum.
Robur aget, quo vestri olim tumuere parentes.
Quis Mauros *numerare queat, quos ense potenti*
Attriuit Martellus *ouans? Quot millia vidit*
Gallia *cæsa manu? sed quid vel praelia dicam*
Vel clades numerem? quoties nam fortibus armis
Grandia cum tumidis gesserunt prælia Mauris
De Mauris *toties celebres duxere triumphos.*
Vos nec degeneres, vobis nec patria virtus
Deficit, imbelles igitur, velut ante Parentes,
Sternetis Mauro, Turcásque *premetis inertes.* Ratio 4. Ab hostium inertiâ
Praeterea eois non hic in Gentibus ardor,
Non Virtus, non Martis amor, non ille vigoris
Æstus inest, non illa animos audacia munit,

Quae solet occiduas Virtus munire cohortes.
Illis membra fluunt, nimióque madentia luxu
Ferre laboriferos validi certaminis aestus
Aut nequeunt, renuuntue, illos vel sola fatigant
Pugnarum simulacra, aliud nihil adde, vel ipse
Puluis, & ignito missus premit ardor ab axe.
Ecquis enim occiduis Dux Europaeus ab oris
Vexit in eoas vel tenuia castra cateruas,
Et palmas non mille tulit? non mille triumphos
Legit? & innumeras victor non venit ad vrbes?

Ratio 5. Ab ope diuinâ.

Magnanimos sed finge globos, da robora dextris,
Da fortes in bella manus, animósque valentes,
Finge Giganteas robusto in corpore vires;
Quid robur? fortésque tori? quid missa lacertis
Spicula? quid validae prosint in Numina vires?
Per puerum insani Deus ardua membra Gigantis
Sternit, & eductas in sidera diruit arces,
Vel nutus solius ope, & formidine iactâ
Vertit in ingentem victricia castra ruinam
Causa Dei est; quae vestra, suo vos ille iuuabit
Auxilio; Dux vester erit, per & hostica ducet
Agmina; quin vestra arma reget, quin oppida vobis
Pandet, & edomitas victoribus offeret vrbes.
Ille iuga, & celsos praerupto culmine montes
Ille vias aequabit, aquas & hiantia Ponti
Marmora, tranquillis in fluctibus ire iubebit
Et ventos faciles in vela volantia mittet

Ratio 6. A magnanimitate Frãcorum

Vos Deus ô validae soboles dignißima Gentis
Ad tantum delegit opus; neque enim arma Pelasga,
Germaná*ue acies, non Itala tela poposcit*
Pannoniæ *non robur, opem non quaerit* Iberam
Vos solos haec bella petunt, haec praelia vestrâ
Expedienda manu, Solymæ *vos mœnia poscunt,*
Vos & Idumææ *poscunt fera funera terrae*
Hoc proprium vobis, Franci, *concessit Olympus,*

Et pietate.

Vt quoties augenda fides, aut impia Diuum
Relligio pellenda procul. vel tetra premenda est
Haresis, in vestrum toties securus asylum

Confugiat Petrus, *vestrásque recurrat in vlnas;*
Nam quoties Romana Patres qui sacra gubernant
Sauorum premerent quos dira pericula Regum
In vestros fugere sinus, vos tuta dedistis
Auxilia, & gladiis pacem peperistis abactis.

Martelli *quoties generosa propago* Pipinus, Ratio 7. Ab vtilitate quæ sequetur ex victoriâ:
Et qui Romuleas ad Francica sceptra secures
Addidit, egregiis Carolus *præstabilis armis*
Pontificum cepere preces? Ego vocibus iisdem
Ad maius vos pello bonum; Illi Insubria *regna.*
Et partem exigua poterant proponere terræ,
Ipse amplas propono plagas, Asiámque *micantem*
Atque omnes Orientis opes; hic lata patescunt
Imperia, hic regna, hic plenis patrimonia fundis,
Hic *gazæ, hic rutilo diademata ditia cultu.*

Hic pro semiruto petitis certamina muro,
Pro tenui saepe vrbe, neces & funus aditis
Pro vili glebâ, aut modico pugnatis agello,
Ludicra vos hic bella tenent; at dignior illic
Stat vestrâ virtute locus; vos munera, Franci
Præmia vos meliora manent, vos sceptra, nitensque
Regia, vos domino murex expectat amictu.

At patriâ cedendum orâ, & longinqua petendá est Ratio 8. Ab exēplo diuino.
Terra, per & multas maria exsuperanda procellas:
Hinc *magis audendum est; extranea cuncta decore*
Et formâ meliore micant, Deus ipse patentis
Deseruit cœli laquear, patrióque recessit
Æthere, nos propriis exire timebimus oris?

Vos ille hac ad bella vocat, florentia vobis
Regna aperit, celebres vobis parat ille triumphos.
Illa Deus vult arma, rogat legatus, & omnis Nona denique per modū perorationis A conglobatis.
Vos, Franci, Iudæa *petit, vos vincta precatur*
Relligio, vobis pandunt sua vota coloni,
Expectántque manus, simul ac vexilla patebunt
Francica, se vestris tellus submittet habenis,
Excutiétque iugum, libertatémque requirens
Iunget Idumæas *ad* lilia Gallica *palmas*

Ite ergo audaces animi, victricia corda,

Ite, truces superate hostes, infesta fugate
Vota Pōtificis *Agmina, & aeterni cultum protendite Christi,*
Ite iterum generosae acies, fortésque caterua
Hebraeas & adite plagas, & capta tenete
Imperia, & vestris victoria rideat armis.
Interea dum fausta manu vos tela geretis,
Cadetísque globos, fractósque fugabitis hostes,
In sacros Europa *hymnos, & in ardua vota*
Ibit, & excelsum precibus pulsabit Olympum
Pontificis sacra verba fluunt & fusa sub imos
Descendere sinus, tum concio tota mouetur,
Succesfus felix. *Creber & adiunctis exercitus additur armis*
Cogitur è Francâ *pubes lectissima terrâ*
Eoos aditura locos, & in impia castra
Caput 3. *Inque* Saracenos *cladem vectura maniplos*
De dissuasione. Huc *etiam ingreditur* Dissuasio, *cuius inanis*
Est opifex, nisi gratus erit, quippe optima quamuis
Orator, sit gratus concioni *Consilia exploret, populóque salubria pandat*
Dicta, tamen nisi cuncta fluant coniuncta fauori
Vanescent, auré sque graui sine pondere tangent.
Censeatur candidus. *Credatur sine fraude loqui, nec mente profundâ*
Insidiatrices abscondere proditor artes,
Aut vanus conatus erit; quis enim aure fauenti
Non fallax *Orantem in Patrum orchastrâ, populique coronâ*
Sustineat? quem verba dolis accommoda credat
Fundere? &, instructas furtim componere fraudes?
„ *Reiicimus quaecumque malo confinia fuco*
„ *Credimus, & vetito Natura recedit ab astu*
„ *Sponte ipsâ, laqueósque sagax fugit, ergo probetur*
Commodior, patriaéque bonum propensus in vrbis
Non vitiosus. *Praeterea probitatis amans habeatur, & almae*
Virtutis, laudúmque tenax, sin secius, aret
Actio, frustratisque cadit Dissuasio *votis.*
Cogitur excultis coetus delectus Athenis,
Augustis vbi concilium de rebus habetur.
Hic *ciuis, quem crimen atrox, & multa premebat*
Nequitia, & prauae foedabat opinio vitae,
In medium ruit, & populum sermone salubri

Detinet, & monitis aures felicibus implet.
Continuò tamen omne forum, atque auersa reclamant
Rostra, nec effusas admisit concio voces,
Quippe Actor *vitiosus erat; Rationibus vrbis*
Apta tamen quia visa fuit sententia, iussit
Concio propterea, alterius, quem sancta polibat Sed virtutis & Iustitiæ studios⁹.
Iustitia, & castos Virtus æquissima mores
Ornabat, dicendam ore, vt melioribus illam
Curia iudiciis, & plebs inducta probaret.
Non secùs ac fontana tubis quæ mollibus vnda
Exit, & è tenerâ qui manat origine fluxus Comparatione ductâ à fonte.
Dulcescit, vitreóque salit per prata canali;
Quamuis Oceani salsis è fluctibus ortum
Ducat, & aequoreæ de sordibus effluat vndae,
Tot tamen occultae per cæca foramina terrae,
Pérque latebrosos deducitur ille meatus,
Vt limum sordésque abigat, salsique saporem
Æquoris, & suaues pastoribus offerat haustus.
Causam etiam de quâ sententia quaeritur, antè Cōmoda causæ vel incōmoda.
Dissuasor spectare velit, quam dicet ineptam,
Difficilem, plenámque operae, grauidámque laborum
Ponderibus; sin fortè nequit, vilem asseret, & quae
Contemptum, non gratum animi mereatur amorem,
Ancipites fortunæ æstus, dubiúmque reuoluet
Euentum, sortémque rei; si vota secundos Intimé examinanda.
In casus Fortuna vehat, facilísque patescat
Aura, secuturi minuet compendia fructus,
Sin contrà auerso restauerit aura susurro,
Irritáque elusis ruerint conamina votis
Augebit diri ventura incommoda casus
Insanas violenta faces, rabidósque tumultus
In Regem Rupella *mouet, iam tela vibrantur,*
Iam raucæ clanxere tubae, iam tympana pulsu
Perturbata sonant, iámque ardua signa patescunt,
Iámque Anglas obsessa rates Rhea *cernit, & omnis*
Nobilitas in bella ruit, iam Regia circum
Vrbem castra sedent, & iam tentoria figunt,
Ciuis adest ætate grauis, quem plurima rerum

Cognitio, & longæ polit experientia vitæ,
Caput 4 *Quem funesta grauant tanti præsagia belli,*
Exēplum *Auguriúmque ferox, atque omina tristia turbant:*
dissua- *Ille rebellantes ad debita munia ciues*
sionis *Impellat, tentétque truces extinguere flammas,*
Ciuis Ru- *Et bellum premere, & nascens compescere virus,*
pellensis *Tales composito mittet de pectore voces*
bellum *Testis es ô* Rupella *mihi, vos tecta, larésque,*
dissuadēt. *Vos turres, atque alta vrbis vos mœnia testes,*
Exordiū *Vos testes, huc quotquot agit pia cura salutis*
ducitur. *O Ciues, animæ pars optatissima nostræ,*
Ab amo- *Quo patriam dilexi animo, queis viribus olim*
re in pa- *Dum licuit, validæ per tempora viua iuuentæ*
triā suo *Res vestras promoui, idem me iam ardor, idémque*
Me votum extrema sub cana crepuscula vitae
Sollicitum tenet, vt patriae cùm fortibus armis
Non possim prodesse, illam quod denique restat,
Consilio linguáque iuuem, sensúque fideli
Quod vitae reliquum est, & quod non abstulit ætas,
Cuius *Impendam dilectæ tuæ* Rupella *saluti.*
deflet *Certè ego labentem patriam, ruituráque bello*
exitium *Mœnia, quæ nobis illaesa dedere Parentes,*
quod *Venturi quae non poterunt habitare Nepotes,*
præsagit *Defleo, cùm mœstos cineres, miseráſque fauillas*
Cùmque ruinosas fore cerno cadauera turres.
Verba igitur si fortè graui mittentur ab ore
Asperiora, graui Rupella *ignosce dolori*
Me clades ventura mouet, me squallidus vrbis
Interitus, me vestra mouent incommoda Ciues,
Natorum me saeua fames, me fletus anilis,
Me luctus vxorum angunt, me totius angit
Santoniæ *laceratus honor, me publica tangunt*
Exitia, & si ritè licet ventura tueri,
Quæ tamen in melius Deus omina turbida vertat,
Perdita Relligio, & concessi amissio cultus.
Non quò de vobis dubitem, de flore Iuuentæ
Ne tamē *De vestri virtute animi, quam multa probarunt*
offendat. *Praelia, quam variis numerosa pericula pugnis*

Auxerunt, quam saepe truces sensere cateruae
Sed quoniam communis ea est affectio causae
Et nostrae status ille rei est, hac regia contrà
Prosperitas, tantúsque fauor victricibus armis
Iungitur, vt nostrae qui nouerit omnia Causae
Momenta, optatas lauro praeponet oliuas,
Blandáque compositis sectabitur otia bellis.

Vtitur excusatione.

Tranquillam nostris pacem si quaerimus armis,
Arma fremant, laxisque furat Gradiuus habenis.
Pax etenim speranda venit; sin aspera bella
Conserta assiduè nostris oriantur ab armis.
Speretur nec amica quies; quid in ardua belli
Æquora? quid saeuos ferimur Mauortis in astus.
Ergo perpetuò ferrum tractabimus? & nos
Improba funereae diuimet discordia rixae,
Nec pax mollis erit? siquidem vel ab hoste premimur,
Aut illum certè fundemus, & omine fausto
Spectabit nostras victoria laeta cateruas.

1. Ratio petitur.

Si cadimus; fractique aduerso Marte labamus
Inque suas Rupella *domos victricia cernat*
Arma admissa, trucique hostes in caede natantes
Tum pacis dabitur spes nulla, sed impius horror
Sed clades, sed mors, & si quid atrocius ipsâ
Esse potest morte, illud erit; si vincimus hostes,
Et domita exutis infringimus agmina castris
Non tamen eximus bello, neque ponimus arma
Propterea, sed bellum alimus, sed funera tantùm
Protrahimus, neque enim nobis congressus in hostem est,
Sternatur qui clade vnâ, quem laeua fatiget
Pugna, vel vna terant rigidi certamina Martis,
Quem licet in multi Mauors certaminis aestu
Luserit, & duro Fortuna ceciderit ictu,
Agmina plura tamen leget, & potiora parabit
Arma, quibus nostras maiori percitus irâ
Sternet opes, viresque sibi de cladibus addet.

A Regis potentiâ

Qui etsi vincatur vnâ aut alterâ pugnà.

Ac veluti generosa feris incendia flammis,
Impositus quae lucus alit, fœcundáque pascit
Materies, si fortè super pluat aethere ab alto,

Semper tamen reparabit acie

Aut addas inimicum imbrem, violentior ignis
Nascitur, & vires flammis leuis vnda ministrat.
Sic Rex è casu robur desumet, & auctas
Ex ipsâ sibi clade manus, virésque parabit;
„ *Caetera cui desint, vel nominis ipsius vmbra*
„ *Munit, & ipsa etiam Regalia signa tuentur.*

Ratio 2. Ab vrbis suæ calamitate & tenuitate.

At nos exhaustis propè viribus, & quibus omnes
Bellorum assiduè quae tot iam ducimus annis
Tempestas immanis opes absorbuit, & quos
Attriuit Fortuna nocens; Quid enim obuia cunctis
Dissimulare licet? primâ si Martis arenâ
Obterimur, paribus rursum non possumus armis
Pugnare, & similes reuocare in praelia turmas.
Et nostram cades vel militis vnius vrbem.
Afficiet magis, effuso quàm incommodet hosti
Clades centuriae, aut magnae iactura phalangis.
Vnde etenim delectus erit? quae fortia fractis
Supplementa globis? vbi sumptibus aqua facultas?
Aut vbi collectis stent donatiua maniplis
Soli ergo molem bellorum, atróxque feremus
Pondus, & ingentis conamina grandia Regni.

Ratio 3. A difficultate comparãdi sibi auxilia.

At nobis multá generosa Britannia *classe,*
Teuto *minax, &* Belga *potens, & Gallicus omnis*
Angulus; Ecquis enim nostris non iungitur armis
Angulus? addet opem, & molimina nostra iuuabit.
O vani spes falsa animi! ô ludibria mentis!
O voti conatus iners! nos ergo iuuabit
Belga *potens,* Anglúsque *maris dominator, & omnis*
Gallia, *quam nostri deuinxit opinio cultus?*

Non ex Germania.

Non equidem Germana *phalanx, non Belgica nobis*
Auxilia expectanda, illos Augustus in armis
Distinet, & multo miseros certamine caedit.
Hos Hispanæ *acies, & propria bella morantur,*

Non ex Belgio.

Insidiaéque, metúsque frequens; Quid fœdera dicam?
Quid pactãm cum Rege fidem? sed forte fauebunt
Francorum delectae acies, atque agmine facto
Vnanimes venient in nostra pericula fratres,
O vtinam auxilium hoc nobis sperare liceret!

Non sumus hi, qui quondam, ingens cùm educere căpis Non ex ipsâ Galliâ.
Agmen & effusas licuit conscribere turmas,
Cum septas superare vrbes, inimicáque castra
Fundere, victricique hostes pessundare pugnâ
Quinquaginta vnis licuit cùm millia castris
Iungere, & extemo terrorem immittere Regno,
Tùm nobis validique duces, celebrésque Tribuni, Non est enim iă Gallia vt olim
Tùm miles generosus erat, tùm multa fauebat
Nobilitas, iam extincta ferè iacet omnis, & omnes
Interiere Duces, superat vix vnus, & alter
Audax Subisius, *fratérque* Rhoanius, *Heros*
Hic *generosus, & ille quidem, sed vterque, (Polorum*
Hæc in nos grauitas, fatorum hæc aspera vis est)
Hactenus infelix & iniquo inuisus Olympo, Hæreticis plena militibus
Nec fatis, armísque pares, quorum omnia casso
Euentu, vanísque cadunt conamina votis.
Ecquid enim nostros euoluam in publica casus?
Quid crudescentes renouabo carmine plagas? Aut ducibus.
Quid captas memorabo vrbes? quid versa ruinis
Tecta? quid æquatas imis conuallibus arces?
Quid dicam aduerso concisas Marte cohortes?
Quid fusas in pugnâ acies? sed lacryma vocem
Impedit, & iusti stringunt mea verba dolores.
Etsi igitur prodesse velint, causámque tueri
(Quod reor, Heroúmque mihi est perspecta voluntas,
Est animus, nostrísque fauens propensio rebus)
Non poterunt tamen; alter enim extra regna vagatur,
Fausta sortis egens, alter constringitur intra
Infortunatæ prærupta angusta Scbennæ Aut si sint, longé ab sŭt
Vnde ad nos tam longa via est, tot flumina cæcis
Traiicienda, vadi vt si vel nullus adesset
Hostis, iter, strictósque aditus qui clauderet, antè
Possimus tamen aduersis cecidisse sub armis
Quam pugnanti hosti, nobísque Rhoanius *adsit*
Nunc Anglus *super vnus adest, omnem vnde salutem* Non ex Angliâ.
Expectare decet, multâ qui vasta carinâ
Æquora, & armatâ maria instruat omnia cymbâ
Ne vanas sperate rates; Rex quippe Britannus

Aut addas inimicum imbrem, violentior ignis
Nascitur, & vires flammis leuis vnda ministrat.
Sic Rex è casu robur desumet, & auctas
Ex ipsâ sibi clade manus, viresque parabit;
,, Caetera cui desint, vel nominis ipsius vmbra
,, Munit, & ipsa etiam Regalia signa tuentur.

Ratio 2. Ab vrbis suæ calamitate & tenuitate.

At nos exhaustis propè viribus, & quibus omnes
Bellorum assiduè quae tot iam ducimus annis
Tempestas immanis opes absorbuit, & quos
Attriuit Fortuna nocens; Quid enim obuia cunctis
Dissimulare licet? primâ si Martis arenâ
Obterimur, paribus rursum non possumus armis
Pugnare, & similes reuocare in praelia turmas,
Et nostram cades vel militis vnius vrbem.
Afficiet magis, effuso quàm incommodet hosti
Clades centuriae, aut magnae iactura phalangis.
Vnde etenim delectus erit? quae fortia fractis
Supplementa globis? vbi sumptibus aqua facultas?
Aut vbi collectis stent donatiua maniplis
Soli ergo molem bellorum, atróxque feremus
Pondus, & ingentis conamina grandia Regni.

Ratio 3. A difficultate comparãdi sibi auxilia.

At nobis multâ generosa Britannia *classe,*
Teuto *minax, &* Belga *potens, & Gallicus omnis*
Angulus; Ecquis enim nostris non iungitur armis
Angulus? addet opem, & molimina nostra iuuabit.
O vani spes falsa animi! ô ludibria mentis!
O voti conatus iners! nos ergo iuuabit
Belga *potens,* Anglúsque *maris dominator, & omnis*
Gallia*, quam nostri deuinxit opinio cultus?*

Non ex Germania.

Non equidem Germana *phalanx, non Belgica nobis*
Auxilia expectanda, illos Augustus in armis
Distinet, & multo miseros certamine caedit.
Hos Hispanæ *acies, & propria bella morantur,*

Non ex Belgio.

Insidiaéque, metúsque frequens; Quid fœdera dicam?
Quid pactam cum Rege fidem? sed forte fauebunt
Francorum delectae acies, atque agmine facto
Vnanimes venient in nostra pericula fratres,
O vtinam auxilium hoc nobis sperare liceret!

Non sumus hi, qui quondam, ingens cùm educere cāpis Non ex ipsâ Galliâ.
Agmen & effusas licuit conscribere turmas,
Cum septas superare vrbes, inimicáque castra
Fundere, victricique hostes pessundare pugnâ
Quinquaginta vnis licuit cùm millia castris
Iungere, & extento terrorem immittere Regno,
Tùm nobis validique duces, celebrésque Tribuni, Non est enim iā Gallia vt olim
Tùm miles generosus erat, tùm multa fauebat
Nobilitas, iam extincta ferè iacet omnis, & omnes
Interiere Duces, superat vix vnus, & alter
Audax Subisius, *fratérque* Rhoanius, *Heros*
Hic *generosus, & ille quidem, sed vterque, (Polorum*
Hæc in nos grauitas, fatorum hæc aspera vis est)
Hactenus infelix & iniquo inuisus Olympo, Hæreticis plena militibus
Nec fatis, armísque pares, quorum omnia casso
Euentu, vanísque cadunt conamina votis.
Ecquid enim nostros euoluam in publica casus? Aut ducibus.
Quid crudescentes renouabo carmine plagas?
Quid captas memorabo vrbes? quid versa ruinis
Tecta? quid æquatas imis conuallibus arces?
Quid dicam aduerso concisas Marte cohortes?
Quid fusas in pugnâ acies? sed lacryma vocem
Impedit, & iusti stringunt mea verba dolores.
Etsi igitur prodesse velint, causámque tueri
(Quod reor, Heroúmque mihi est perspecta voluntas,
Est animus, nostrisque fauens propensio rebus)
Non poterunt tamen; alter enim extra regna vagatur,
Fausta sortis egens, alter constringitur intra
Infortunata prærupta angusta Sebennæ Aut si sint, longé ab sūt
Vnde ad nos tam longa via est, tot flumina cæcis
Traiicienda, vadi vt si vel nullus adesset
Hostis, iter, strictósque aditus qui clauderet, antè
Possimus tamen aduersis cecidisse sub armis
Quam pugnanti hosti, nobisque Rhoanius *adsit*
Nunc Anglus *super vnus adest, omnem vnde salutem* Non ex Angliâ.
Expectare decet, multâ qui vasta carinâ
Æquora, & armatâ maria instruat omnia cymbâ
Ne vanas sperate rates; Rex quippe Britannus

Auxilia, aut validam nobis submittere classem,
Nec valeat, si fortè volet, si fortè valebit
Nec volet; an subitas nasci sic posse carinas
Creditis? & cinctos Pelago prodire maniplos?
Anglus *enim sylvámque ratum; puppésque superbas*
Propter *Quas in Aquitani superandas littoris oras*
periculũ *Appulerat, miseris fusus modò perdidit armis?*
Vnde repentinas fabricabitur ille carinas?
Etsi etiam fabricare velit, sed fortè paratas
Iam tenet, & multis structas in portubus abdit.
At nolet tamen, etsi acies & vela parare
Possit, & aequoreo classem committere ponto,
Rursus in ambigui descendere praelia Martis.
Nunquid enim florentem aciem, qualémque Britãnus
Nunquam è magnanimis excedere viderat oris
Seminecem, & multá concisam clade recepit?
Rursum ergo tentare volet discrimen, & ille
A paucis qui castra globis & robora vinci
Sensit, & à pedite infringi sua vela cohorte,
Quem parua inclusi pepulit vis militis, & quem
Exiles domitum pelago strauere cohortes,
Fortè volet Regémque ipsum, robúrque potentis
Non vo- *Imperii, florémque ducum, portúsque paratos,*
let iterũ *Littoráque, & lecto munitum milite regnum*
experiri *Impetere? & dubiae tentare pericula pugnae?*
fortunã. *Sed velit, & crebrâ Neptunum classe coronet,*
Et capita Anglorum, atque sui spectabile regni
Robur, & egregias imponat in aequora turmas.
Intret Aquitanas *numerosis puppibus vndas.*
Francorum pugnandum illi cum Rege, grauisque
Alea, & incertae casus subeundus arenae.
Fortè etiam infesti fundetur in aequoris aestu,
Sentiet & laetos palmis victricibus hostes.
Insuper incerto quae stat fiducia Ponto?
„ *Quae ventis adhibenda fides? spes debilis illa est.*
„ *Et firmis indigna animis, quam mobilis aër*
Sustinet, & dubiâ fragilis quae pendet ab aurâ
Sed tamen appulsus faciles, Boreámque ferentem

Sentiat, & blandi teneat suffragia cœli.
Quin etiam aduersas aues, inimicáque castra
Caedat, & accisos terroribus impleat hostes,
An secura ideò nostrae tutela salutis?
Et quod securâ potius reor esse salute,
Libertatis erit? dominos quin ferre Britannos,
Externúmque iugum, atque Anglós admittere fasces
Cogemur, iussúsque pati, & qui Francica ferre
Nolumus imperia, & natiuum agnoscere Regem
Insuetos capiemus heros, ignota feremus
Arbitria, & duri sceptro parebimus Angli.
Non etenim leget ille globos, nec tanta parabit
Agmina, ni mercedem amplam, nisi digna laboris
Praemia, pro missis referat nisi dona carinis.
Admitti nostras victor volet ergo sub arces.
Admitti patiemur? herum patiemur, & illud,
Horremus *quod turpe iugum, patiemur ab Anglo.*
Talis enim Rupella, *Angli sic commoda rebus,*
Consiliisque fauens, vt quam vel amicus obiret,
Illam exin regeret quocunque seuerior hoste
Sin illum ingressu, & clausá prohibemus ab vrbe,
H*ostis erit, qui tutor erat, succensus & irâ*
Conferet in nostram victricia castra ruinam.
S*ic in nos gemini reparamus atrocia Regis*
Praelia; non erimus Regum nos præda duorum?
At bellum nostris soli foueamus in armis,
Externam neque opem, neque castra aliena petamus,
Insuperabilibus claudamur mœnibus vrbis;
Vana erit obsidio, frustra Rex Francus *ad arces*
Castra feret, cassóque altos petet ariete muros,
Námque quis has turres? quis propugnacula miles
Audeat impetere? inque altas assurgere moles?
Lata quis effusi premet æquoris ostia? vel quæ
Appulsum impedient nostris obstacula cymbis?
H*inc defecturas tutò reparabimus escas,*
Nec fas formidare famen; sese agmina soluent
Interea, longos indignatura labores.
Quisquis es hac qui verba seris, quid Regia possint

Per permissionē veniat Anglus.

Si victor

Vo'et ille præmiū victoriæ.

Quod vero tādem. Profecto vrbem nostram.

Ratio 4. A tenuitate Rupellæ.

Sceptra, quid augustæ valeat vis summa coronæ
Comparatum cum Rege. *Ignoras, quantúmque suo moderamine præstet.*
,, Cuncta illi famulantur, opes illi vbere pleno
,, Largitur Natura suas, illi optima Mater
,, Terra fauet, cœlúmque, illi feritate relictâ
,, Obseruant Elementa fidem, & quamquã atrã, rigorẽ
,, Ponit hyemps tamen, & crudelia tempora parent.
Fortunatissimo. *Ne muris confide, mari ne crede propinquo,*
Ipsa etiam lapidum asperitas, & saxea ponit
Durities, ventisque suus, cum Regia pugnat
Classis, abest furor, & Neptunia prælia ponunt.
Quis tot in exigua vertigine temporis vrbes,
Quas validi natura situs, quas fortibus arces
Aggeribus, firmo quas propugnacula vallo,
Præsidii quas multa cohors, quas arma tegebant
Commoda, & in multos congesta cibaria menses,
Cepisset, nisi fausta duci Fortuna faueret?
Et virtus aleret Galli conamina Regis?
Ratio 5. Ab horrore obsidionis. *Res, Ciues, horrenda, globos, instructáque telis*
Agmina, & armatas in mœnia cernere turmas,
Clangentes audire tubas, & turbida pulsu
Tympana, & ignito roboantia murmura nitro
Sollicitis suspendi animis, fraudésque vereri,
Cognatas spectare neces, & sæua suorum
Funera, & horrentes vxorum audire querelas;
Quid dicam captas victor si miles in arces
Irruat? & domitæ vim mœnibus inferat vrbis?
Sed voces compesce dolor, neque præcipe casus;
Nec tamen insolitos casus, aut funera dicam;
Nam crebrò violata fuit Rupella, *trucisque*
Ratio 6. A remotione periculi *Et Franci modò præda fuit, modò praeda Britanni.*
Sed quid? in externos igitur descendere ritus,
Inque prophanatas procumbere Numinis aras
Cogemur? sanctósque Patrum deponere cultus?
Non ita; nec Rex illa petit, nec habere reposcit
In nostras ius vllum Animas, nec pectora tentat
Cogere, nec nostris leges imponere sacris
Vim sociis vbi fecit? vbi sacra nostra coëgit?

Aut

Aut quando vetitas iusſit nos ire ſub ædes?
Solum ille obſequium petit, hoc impendite, Ciues,
Ventura cupitis ſi dona perennia famæ,
Blandáque præſentis ſi quæritis otia vitæ.
Feciſſent ea verba fidem, motóſque tumultus
Et coniuratæ frendentia pectora plebis
Flexiſſent, ſed crine ferox, & cinctus Echidnis
Fronte minax, ferale vomens ex ore venenum,
Tartareas ſedes, nigrúmque Acheronta relinquens
Venit, & excitam mouit Furor *impius vrbem.*
Barbarus extemplò totâ fremit vrbe tumultus
Conflantur tormenta, duces aciéſque leguntur,
Pérque cateruatas it perfida teſſera turmas.
At Rex ſacrilegæ demens vbi percipit vrbis
Conſilium, dirúmque nefas, mouet arma, globóſque
Scribit, & è toto legit agmina fortia regno.
Ergo omnes aditus munitam occludit ad vrbem,
Continuaéque illam circum implicat aggere foſſa,
Ne qua obſeſſa malæ penetrent in mœnia rupis
Auxilia, & feſſos recreet nouus incola ciues.
Sed nondum ſatis, æquor adeſt, trucibúſque carinis;
Et Ponto Rupella *patet; támque Anglica claſſis*
Securâ volitabit aquâ, tutiſque ſubibit
Portubus, incluſos propugnatura Rebelles.
Claude ergo, Lodoice, *vias, & ſtringe fluentem.*
Neptunum, & tumidis obices oppone carinis;
Inque alto fabricare mari, moliſque ſuperbæ
Admiranda para medio fundamina ponto,
Et quæ longæuus nondum miracula mundus
Vidit. vt Oceanus ſtrueretur, & humida molis
Vnda foret fultura, tuo hæc miracula cernat
Imperio, vinctóſque maris, Te principe, fluctus.
Sed fabricam quæ dextra reget? quâ ſaxa parabit
Arte faber? tumidos iunget quo fœdere montes?
Quis rupes, cautéſque trahet? Quis in æquora ſyluas
Voluet? & inſanas humeris quis ſubuehet arces?
Perge tamen, Lodoice, *tuis famulantia cedent*
Imperiis elementa; nouum mirantibus vndis

Ne Rex religionem immutet.

Vallo cingitur Rupella.


Et mole arduâ

O

Incœpit Rex magnus opus, dignúmque laborem.
Interea inclusos grauior premit hostis, & intus
Membra fames exesa vorat, iamque arida pellis
Languit, inualidi iam defecere lacerti,
Exangues fugere oculi, miser occupat ora
Pallor, & exsuccas macies edit effera venas,
Fame compulsa ad dedionem. *Non corpus, sed solùm illis tenuissima restat*
Corporis effigies, vanis addicta sepulchris.
Quid faciant? spes vna animos alit, inclyta Regis
Natura, & magno clementia proxima cælo.
Ergo humiles, demissi oculis, lacrymísque madentes
Suppliciter victorem adeunt, veniamque precantur.
Prostratis ignosce reis, Rex magne, Deósque
Ipse Deus continge, tuis aduoluimur aris,
Inque tuos demissa pedes Rupella *fatetur*
Infandum patrasse scelus; sed Regia vincit
,, *Grande scelus natura, suas clementia vires*
,, *Explicat in magno scelere, & graue crimen, atróxque*
,, *Flagitium, augusti clementia cælica Regis,*
,, *Et pietas superare potest, stat certa salutis,*
,, *Res quoniam cum Rege illi est, qui parcere nouit,*
,, *Et proprium putat esse, graues dimittere noxas,*
Prostrata ad genua Regis. *Quæcunque est* Rupella, *tua est, ne Maxime saeui,*
Inque tuam ne aduerte vrbem, spirantia serua
Inuicta monumenta manus, quot enim optime parces
Ciuibus, augusti tot erunt simulacra triumphi.
Sat grandes scelerum dedit vrbs temeraria pœnas
Si qua pœna potest tantos æquare furores,
Iratum quod Te, Rex, sensit, & ignea vidit
Lumina, & elata experta est rubra fulmina dextræ.
Veniam orat. *Iam satis est pœnarum; Eheu si vltricia Princeps,*
Tela lacessita vis vltra extendere dextra,
In quos ira cadet? tua quos vindicta sequetur?
Quos premet? exangues tenuis nisi corporis vmbras?
Relliquiásque famis, cognatáque corpora morti?
Illa etenim quondam florens Rupella, *sepulchrum*
Nil aliud nisi triste sui est, parce, optime Princeps,
Queis famis asperitas, quibus & mors ipsa pepercit

Quod si adeò est enorme scelus, si deuia nostri
Criminis impietas tanta est, vt barbara nobis
Spem claudat, veniaéque locum; Tibi, Maxime Victor,
Colla, tibi nostras sicco cum sanguine venas
Afferimus; Tu membra iube, Tu colla secari,
Funera erunt iucunda, tuo si funera iussu,
Imperiis si fata tuis, mortémque subimus.
His lacrymis flexi clementia pectora Regis
Indulget sceleri, captam tunc intrat in vrbem,
Exultátque nouo pubes generosa triumpho,
Et recipit longos aequantia dona labores

Et exorat à Rege clementissimo.



LIBRI NONI


PROLVDIVM.

IN manibus sæpenumero crescit opus, & frequenter quæ inchoantur, non tam breui, quàm sperabatur, fine clauduntur. Architectus trullam cepit, calcem subegit. lapides domuit, vt parietem tantùm vel domunculam excitaret; at postea ridente opere, fauente materiâ, exuberante Peruuiá in palatium artem suam extendit. Pictores scimus in manus sumpsisse penicillum vt lineam tantùm ducerent. vbi autem arrisit artificiũ, & operi lenocinium linea illa fecit, in tabellam integram manum eruditam effundunt. Qui olitor breuẽ tantũ areolam digerere destinauerat, & paucos flores sparsim pãgere, vt videt operi suo fauere solũ, & amœnitatẽ votis etiam ipsis esse maiorem, florum prouinuinciam ingentem dimetitur, & hortum patentem viridariumque describens


In campos Zephyrum vocat, & turgentia format
Gramina, & ornatos murice pingit agros.

Hic aperit rosei suggestum nobile floris,
Hic miscet rubeis lilia pulchra rosis
Illic Paeoniae diffusas explicat alas
Hic crocea è viridi caudice serta trahit.
Illic Martagonas iubet altum euoluere crinem,
Hic Tulipas pulchrâ luxuriare comâ
Excerpit de fonte tulos, cœlique salinam
Spargit in ambrosii iugera culta soli.
Hinc sit, vt in molles tellus pulcherrima gemmas
Turgeat, & crebro flore triumphet humus.

Vt illi igitur opus suum destinatione breue, latiùs tamen aurigante voluptate protēdunt, sic nos libelli vnius angustiis hæc omnia quæ ad Causarum genera spectant, cōplecti credebamus, sed quia nos materies facilior secuta est, ideò in tria carmina, eáque non angusta diuisimus. Quod tamen opus nobis quidem prolixum non erit, modò vobis Adolescentes ingeniosi, fructuosum.



LIBER NONVS
De Exemplis Generis Iudicialis.



ET mihi adhuc vnum, Charites, quibus ima tueri
Rhetoricæ secreta datum est, quibus intimus ordo,
Et quibus apta patet series, conserte fauorem,
Inuocatio. *Et sat erit, meus iste labor maiore cothurno*
Surget, & in iustas ibit contentio laudes,
Si vestram praestatis opem, si vota iuuatis,

Arduáque optatas datis in conami'a vires.
Extremum restat Causæ *genus, vltio sontis*
Et vindex censura Rei, *quo noxa, nefásque*
Comprimitur, quo pœna malis imponitur ausis.
Noxius insontes ferro traiecerit artus
Sanguineásque neces, & fata cruenta pararit
Furaces aliena manus in tecta, domósque
Intulerit, charúmque dolis fraudarit amicum
Proditor, aut vetitas in apertum effuderit artes
Compesci domitâ vesania deuia fraude
Debet, & exactâ procul impietate fugari.
Aut in semotis syluarum degere lustris
Tutiùs, inque truces habitacula ferre cauernas.
Ecquis enim humanae tanta inter crimina fraudis
Securos sperare dies auderet, & inter
Nequitias spondere piae sibi iura quietis,
Si scelus omne impune foret, nec iusta malignum
Comprimeret vindicta nefas, pœnisque ligaret?
Propterea qui crimen atrox; culpásque nocentes
Compescat, validóque malum scelus opprimat ore
Actor *erit, castae decoret quem dictio linguae,*
Non saeua, aut incomposita, aut venalis, atróxue,
Non famula irarum, dirie ministra furoris,
Non odiis, non felle tumens, non aspera, nec quam
Noxa, vel illaesae temerata calumnia famae
Imbuat, intactámue premens, iniuria vitam.
Sed cui adsit probieatis amor, cui cura pudoris,
Insontis cui chara salus, cui gratia morum
Rideat, & pulchri placeant cui fœdera iuris.
Virtutum sciat omne decus, morúmque nitorem,
Et varios populorum animos exploret, & omnes
Iudicii trutinâ vitiorum examinet ausus.
His *armis instructus erit, qui probra nocentum*
Insequitur, vitamque petit, qui iudicis iram
Excitat, ardentíque reos terrore fatigat.
Non etenim ille mihi credatur Idoneus Actor,
Qui scelus, aut vetitas fraudes, aut probra reorum
Impetat, aut busta incendat, furcásue pudendas

Caput I. De Genere Iudiciali.

Necessariam esse Iustitiã.

Et pœnã à nocẽte repetẽdã

Caput 2. De Actore.

Qualis esse debeat non vitiosus.

Sed æquitatis amans.

Et officiorum.

Erigat, aut miseros fidibus distorqueat artus,
Quem iustæ latuere artes, quem debita fugit
Cognitio, aut æqui probitas innoxia iuris.

Caput 3. Exemplū orationis in genere iudiciali.

Ampla Sigismundus Burgundio sceptra regebat,
Aurelianæis obnoxia sceptra coronis.
Ille nouercali parens stultissimus irae
Sugerium primae thalamo de coniugis ortum
Enecat exuto patriae pietatis amore.
Illum Actor, tantae indignans contagia cædis

Sigismūdus accusatus

Aurelianæi iustum Ducis ante tribunal
Incuset, pandátque scelus, totúmque maligni
Expediat contextum operis, sic ora resoluet,
Factáque sanguineis sectabitur impia verbis.

Exordiū.

Quamuis audaci, Princeps iustissime, nisu
Insolitum tentemus opus, qui Regis in ore,
Inque tuae conspectu aulae, Procerúmque tuorum

A persona accusati Qui Rex est.

Audemus tumidum dictis incessere Regem.
Et quamuis titulus vel Regius ipse querelas
Impositas abolere queat, magnúmque putetur
Crimen, & insanae vecordia proxima menti
Vel sontem incusare Ducem; tamen illa per omnes
Iustitiaéque tuae, & virtutis opinio Gentes
Floret, vt & gemitus miserorum, ægrásquae querelas
Excipere, & mæstos populi lenire dolores
Magnanimus credaris; Ego huc lacrymabile Regni
Exitium, & populi gemitum, & lamenta grauémque
Interitum, quem instare sibi Burgundia *sentit,*
Ad Te, Rex Auguste, tuli; Tu hoc lumine nostros
Inspicies casus, lamentáque publica cernes,

Et à persona iudicis. Qui æquissim⁹ est.

Quo miseros spectare soles, nec Regia magni
Attendes ad sceptra ducis, nec ad alta coronae
Lumina, sed crudele scelus, sed triste videbis
Crimen, inauditáque nefas feritate patratum,
Quale nec in Geticis *truculentior incola lustris,*
Aut in Massylis Afer *commiserit aruis.*
Progeniem extinxit Genitor, simul omnia Regni
Gaudia, & ingentis populi spes vulsit inanes,
Non igitur diadema peto, non impeto vittas.

Non sceptri iubar, aut radiantem incuso coronam, Qui secernet.
Omne quod est, secerno decus, scelus ipse malignum crimen à
Insequor, & tetri grauitatem accuso furoris, dignitate.
Nec Regem premo, pello hostem, nec patria pulso
Pectora, sanguinei sed barbara corda Tyranni.
Tu seriem, Rex magne, rei, Tu criminis omnes
Articulos expende, truces vbi ceperis ausus,
Iustitiâ plaudente premes scelus, & graue coges
Flagitium, & meritâ stringes mala crimina pœnâ.
Clara Sigismundo*, Rex Augustissime, proles.* Narratio.
Spes regni, & primi pignus spectabile lecti
Sugerius dilectus erat, quem læta videbat Sugerii, qui cæsus à Patre fuit.
Phœbæi in morem iubaris Burgundia*, cùm se*
Tollit ab Eoi florentiùs æquore fluctus.
Illum præcipuo Genitor stringebat amore,
Et verò par illud erat; Quis enim illius ora?
Quis frontem? & membrorũ habitum? florẽque iuuentæ?
Quis mores? dignásque elato principe dotes Laudes & encomia.
Intuitus, charo non illum ambiisset amore?
Hic Proceres inter mediâ generosus in aulâ
Florebat. si fortis equi tractaret habenas,
Castor erat, rigidas dextrâ si mitteret hastas,
Si clauso medii pugnaret in æquore campi
Mars erat, & pulchrae si candida marmora frontis
Si castigatâ molles lanugine malas,
Panderet, & tenerum vultus aperiret honorem,
Si manuum reseraret ebur, modò cæca tulisset
Lumina, pulcher Amor Veneri potuisset haberi.
Illi igitur cur fata Pater, quem blandus amabat Cur talẽ Pater cecidit?
Intulit? & sæuum sicarius induit ensem?
O animum instabilem! ô hominum mutabile pectus!
Quem, proprii dum iuris erat dilexerat, illum
Perdit, & infando neglectum funere cædit,
Vxoris dum iura nouae, thalamósque secundos
Ingreditur, ptimique faces extinguit amoris.
Nam simul haec fabricare dolos, artésque malignas Propter nouercæ calũnias.
Incipit, & patrios sensim restinguere sensus,
Et dulces abolere sinus, multa insuper addit,

Et ſuit attextas mille ad mendacia fraudes.
Quippe aſtuta malae eſt inuentrix Fœmina fraudis,
Quid ſi iras? quid ſi addam odia ingenerata Nouercis?
Inſidias fingebat, opus iam iámque paratum,
Et regno impendere luem, iam optare ſecures
Sugerium, populique animos, captáſque medullas
Deuincire ſibi, illum omnes ambire, ſodales
Colligere, & tanti comites aſciſcere motus.
Sterteret vſque adeò, ſomnóque iaceret inerti?
Vt ſacras impunè ſuo de vertice vittas
Quibus Iuuenem onerauit *Deponi patiatur? vbi, non iam illa poteſtas,*
Quam patrius depoſcit amor? neque enim amplius illa
Sufficit in tanto ſcelere, atque horrore furoris,
Sed rigidum qua Regem armat, qua cæde nocentes
Afficit, extremóque Reos terrrore coërcet.
Tandem igitur iuſtáſque iras, & acumina ferri
Exerat, & meritis, ratio cum nulla ſuperſit
Commodior, Natum quamuis, fera ſenſa fouentem,
Et formidato turbantem cuncta tumultu,
Suppliciis & cæde premat, reſtare tuendæ
Hanc animæ, regnique viam, nullius egere
Conſilii rem obiectam oculis, manibúſque coactam
Inque morá diſcrimen; ibi Rex impius omnes
Naturæ nexus, legúmque repagula frangens,
Tygride barbarior, rabidóque ferocior vrſo,
Inſontem in ſobolem, ſanctique in viſcera nati
Irruit, & ſæuo terebrat praecordia ferro.
Quæ Patrem ad tantum ſcelus induxerunt. *Námque duos, noctis cúm vergeret vmbra, latrones*
Saeuitiae immanis ſamulos, iraeque miniſtros
Mittit in abductam generoſi Principis aulam.
Hi crimen furiale patrant, & cuſpide crebrâ
Tranſadigunt regale latus, de vulnere ſanguis
Ceu largo de fonte fluit, cadit illa genarum
Purpura, & egregii nitidâ de fronte colores
Vitali cum flatu abeunt, velut æthere in alto
Hibernis ſol tectus aquis, & nube profundâ
Deficit, & lucem nimbis obſtantibus abdit.
Atrox ingemuit Burgundia *perdita funus*

Et

Et quas de tanto spes Principe læta fouebat,
Præcisas arere dolet, iam coniicit omnes
In Te vnum spes tota suas, Rex Maxime, Téque
Expetit vltorémque mali, authorémque salutis,
Nec deeris, nec deesse potes, nam crimen acerbum
Vrget, & insoluti vis immansueta furoris
Vel tenuis de plebe viri, quamquam improbus extra
Exierit leges, & iura reuulserit amens,
Indictum damnare scelus, res plena furoris,
Inuidiáque tumens, sæuaéque simillima cædi est;
Quid si insons? si non vili de sorte creatus?
Sed Proceres agnoscat Auos? si è Principe surgat
Sanguine? Regaléque satus & semina iactet?
Quid si Progenies? proprióque è sanguine crescat?
Quantum crimen erit? quæ tanta piacula pœna
Eluat? & quæ digna satis vindicta sequatur?
Illa Sigismundus patrat omnia; namque cecidit
Indictâ insontem causâ; gradus ille furoris,
Sæuitiaéque fuit; non hic stat crimen, at audet
Vnum è Principibus diro configere ferro.
Perge furor, gradus ille iterũ est, & quidquid acerbi est,
Exere. Progeniem Genitor necat, & sua tollit
Gaudia, quámque dedit vitam, interfector ademit.
Tu scelus hoc tentare ausus? Túne omnia iura?
Tu sacros nexus, Tu vincla verenda prophanus
Rumpere? Tu castas Naturæ abscindere leges
Ausus es? ipsarúmque iras superare ferarum?
Non Te ventura popularis opinio famæ,
Non Te posteritas, non nominis vlla futuri
Mouerit ambitio, aut odium exitiale tuorum,
Non Te terruerit, quem Te terrere decebat
Pœnarum metus, aut sacri reuerentia iuris,
Aut iusti vindicta Dei, conscripta medullis
Debebat Natura, solet quæ blanda leones,
Et tygres mollire, tuos inhibere furores.
Nunquid enim secretâ illam Tibi voce loquentem
Percipere? & tacitas poteras audire querelas
Quid Pater infelix tentas? Tu pignus Amoris,

Atrocitas cædis per amplificationem.

Quia insontem occidit.

Quia Principẽ

Quia filium.

Stupiditas Sigismundi.

Quod famam.

neglexerit.

Quod ius.

Quod naturam

Scintillámque tuæ poteris restinguere vitæ?
Tu faciem, quam splendor habet, quam forma coronat,
Quam niueus commendat amor? Tu flaua comarum
Ramenta, & pulchros frontis violabilis honores?
Tu pectus, generosa fouet quod flamma, quod ardor
Martius, insanâ, non iam Pater amplius, hastâ,
Nec dici posthac poteris Pater, impius hostis,
Tortórque, & si quod tortore scelestius, illud,
Si quod erit, Tibi nomen erit, Tu nobile pectus
Crudeli effodies iaculo? sceptrísque propinquum
Hæredémque tuæ poteris mactare coronæ?

Quæ tãto sceleri publicè obnitebatur.

Quo posthac vultu populos? quo lumine ciues
Inspicies? illóne tui quo lumina Nati
Auertes? Quo iusta tuis edicta colonis
Ore feres? illóne, piæ quo funera proli
Inferri? miseraéque dari quo fata iubebis?
Quâ dextrâ tua sceptra geres? illáne tenebis,
Quâ pectus iuuenile teres? quâ spicula sumes
Interiora tuæ fodies quâ viscera prolis!
Infelix Puer! & crudelibus edite fatis!
Cui non hostili concepta pectore fraudes,
Insidiatorum non tela latentia furum,
Non acies inimica necem inferet, at Pater, ah non
Iam Pater! & vitam scelerato funere tollet.
Ergo atrox miseresce Pater. sed mollis inanes
Effudit natura sonos, Pater impius illum
Confodit, & sanâ pectus transuerberat hastâ,

Et oratione per prosopopœiam obsistit.

Sugerius vetitos sed forté ambiuit honores,
Extremam Patris ante necem diadema petiuit,
Tranquillúmque graui regnum turbare tumultu,
Et ferus optatam studuit conuellere pacem.
Quin ipsi quoque fata Patri, mortémque minatus
Iniicere immissas in viscera degener hastas
Ambiit, & patrio maculare cruore secures.
Si Princeps tam grande nefas tentauit, & omnem
Visceribus Phlegetonta bibit, si turpe medullis
Concepit scelus, & tumidis agitata chelydris
Pectora tam diros respirauere furores;

Detexũtur calũniæ

Nil habeo, quod iure querar; neque enim improba pestis
Aut Acherontæo suggestum virus ab Orco,
Molliri, admittíue potest; sed si omne malignâ
Compositum est è fraude scelus, nullúmque patrauit
Sugerius, nisi quod versuta calumnia crimen
Imponit, quæ iusta Patri excusatio restat?
Illum ergo primùm series pulcherrima rerum
Vindicet à tanto scelere, immanémque repellat — I. Quia nil præcessit alienum.
Nequitiam; Quid ais? Pacem fœdare tumultu
Nititur, insidiísque patris violare salutem
Quis gradus ad tantum scelerum caput? vltima natum
In vitia impegisse refers, nec praua monstras
Crimina, nec tantæ præbes exordia noxæ.
,, *Nemo ruit grauiora repens in crimina, dantur*
,, *Ad scelerum prærupta gradus; Quæ tollere Patris*
Progenies meditata sacrum est caput, antè paternos
Respuere & iussus, charósque extinguere amores
Debuit, & testes sceleris præmittere voces
Debuit infando vesana tumescere fastu,
Conciliare sibi Proceres, seducere turmas, — Non excitati tumultus
Et fidos vincire duces, & stringere cœtus.
Nil horum Iuueni obiicitur, stetit impiger omnes
Ad nutus & iussa Patris, non arma coëgit,
Non vox audita est tantæ prænuncia culpæ,
Non testes, non scripta manus, non signa patescunt.
Et crimen tamen esse probes? At vana cupido
Sugerio nocet, & nimiæ deterrima laudis
Ambitio, altorúmque ardor vesanus honorum.
Accelerásne ideò Pater impie funera proli, — Iuuenum indoles ad laudē inclinans
Accensæ augusto quia laudis honore tumebat?
Virtutis decorísque satus elidis, & omnes
Naturæ audacis violentior opprimis æstus
,, *Nam Iuuenes impellat honos, atque ardua tangat*
,, *Gloria, & egregiæ prurigo tenerrima famæ,*
,, *Laus illos alat vna, illos pulcherrima pascat*
,, *Ambitio, & clari sublimis opinio vulgi.*
,, *Aut quid erunt nisi truncus iners? ignobile pondus*
,, *Materiæ? vel inane vllo sine nomine corpus?*

Sed quamuis cunctorum animos ille indolis ardor,
Hæc laudum sitis, ille omnes stimulare medullas
Debeat ambitionis amor, tamen aptior ille est,
Et radio meliore micat, cùm Regia pulsat
Præcipuè principum — Pectora, & in penitos cùm Principis inditur artus.
„ Marcet enim virtutis amor, segnisque moratur
„ Actio, quam clari non incitat ardor honoris
Non secus ac lento remoratur in æquore puppis,
Et segni luctatur aquâ, cum flamina ponunt,
Cùm regnat toto amne quies, cùm clauditur antro
Æolus, & pressis libertas tollitur Euris.

2. Et si peccasset, tamē à Patre veniam impetraret. Quia puer erat —
Sed volo, Sugerius peccauerit; An tuus ille est
O Minos austere rigor? sic ne omnia punis
Crimina? sicne omnes castigas funere noxas?
Peccauit Iuuenis; mirum est peccauerit ille
„ Penè Puer? Iuuenis nullum est in crimine crimen.
Peccauit Natus, certè tuus, ille parenti
Peccauit, veniâ dignum non dixero crimen?
„ Castiget vitium Iudex, examinet omnes
„ Errores, at prima Patris clementia dos est.
„ Hic non est Pater, erranti qui parcere Nato
„ Nescit, & ad sobolis refugit descendere lapsus.
Cunctorum leuiora pari si crimina pœnâ
Afficis, & nullos pateris sine cæde nocentes,
In regno quis tutus erit? sin multa remittis
Flagitia, & faciles flectit clementia sensus,
Quid mactas violente tuos, qui cætera donas
Crimina? & externos veniâ dignaris abusus?
„ Omnia nec Medicus diro secat vlcera ferro,
„ Sed mollíue manu cicurat, vel lenit oliuo.
„ Extremis fomenta malis extrema feruntur,
„ Nec semper decet in Natos aduertere Patrem;
„ Quos tempus plerumque domat, quos grandior ætas
„ Temperat, & iuuenes industria corrigit annos.

3. remouet à Sugerio. —
Sed nihil est sceleris; neque, Rex ô Maxime, labes
Sugerium premit vlla, etenim si sontibus illum
Noxisque, & tanto coopertum crimine norat
Iustitiæque, æquique tenax Pater, omnia vindex

Qui vitia, & rigido culpas examine librat, Suſpicionem criminis.
Cur illum ferro clam tranſodit? & duo mittit
Latrones? aptas ſceleri cur occupat vmbras?
Cur non illum in Regni oculis, & in ore Senatus
Luce palam, cadiſque reum, ſontémque probatum
Arguit? in medio cur non ſcelus omne reponit? Quod ex lege non fuerit dānatus.
Cur non concilii cenſuram elegit? & omnes
Expoſuit ſceleriſque notas? teſtéſque retexit?
Et coniurata nudauit crimina prolis?
Tunc etenim veris ſi coniuratio ſignis,
Si ſcelus hoc emiſſum alto patuiſſet Auerno
Sugerii penetraſſe ſinus, iratus, in illum
Iudéxque, & populus ſuffragia nigra tuliſſet.
Tunc omnis deuota ſuo Burgundia *Regi,*
Infandam ſobolem blando quæ perfida vellet
Inſidias ſtruxiſſe Patri damnaſſet, & illam
Senſiſſet labem, coniuratóſque furores
Non alio dignos proprio niſi ſanguine tolli.
Cur iuſtos ergo ante Patres? cur ante ſenatum Sed per ſicarios occultè interfectus.
Progeniem non duxit? vbi furiale probaret
Crimen? vbi quereretur? vbi fraudéſque, dolóſque,
Inſidiáſque aperiret? erat ſine labe, nec illam
Impia ſuſpicio, nec crimina dira premebant.
Et tamen ô infauſtè Puer! genitore iubente
Transfoderii! quamquam alma tua in præcordia virtus
Inque tuos Pietas deſcenderit aurea mores. Peroratio.
Ille cruentatos funeſto horrore latrones
Vt vidit, ſæuóque manus mucrone rigentes,
Non vultum auertit, trepido non ora colore
Induit, aut pauidas emiſit voce querelas, Per hypotypoſim.
Imbelles quo more ſolent, interritus hæſit,
Conſtantíque oculo mortem ſpectauit, & enſem
Intrepido excepit iugulo, non exiit ictum, Et ſubiectionem.
Non collum inflexit. nec vulnera dira refugit,
Sed miles cape telum, inquit, præcordia ferro Conſtātiæ intrepidæ.
Tranſadige, inuiſámque animam de corpore trude.
Mors mihi non ingrata venit, modò tuta Parentis
Vita ſit, & noſtrâ pariat ſibi morte ſalutem.

Inque altos penetrare datum est ô Numina sensus,
Stabitis intacta testes. ô Numina, vitæ,
Insontísque animi. non est Pater optime, non est
Sugerii Principis *Perniciem molita tuam mea dextera, non mens.*
Obstupuit geminus syncerâ voce satelles,
Obstupuit, sed nil aliud, nam in viscera ferrum
Condit, & egregios in sanguine polluit artus.
Nunc ad Te, Rex magne, suos Burgundia *questus*
Et vindictæ petitionem. *Detulit, & supplex genua ad Regalia perstat.*
Inque tuos cadit acta pedes; Tu vota, precésque
Respice, nec iustas miserorum elude querelas
Vindictam sceleris grauitas petit, impia pœnam
Culpa vocat, succurre vltor, nec crimine ab illo
Exemplum permitte trahi, sed corrige noxam,
Indomitúmque Patris vindex compesce furorem.
Exarsit Clodemiro animus, cædísque patratæ
Vindictam parat, ergo manus sub signa coactas
Quam Clodomirus repetit cæso Sigismũdo *Ducit in infausti lugentia regna parentis,*
Depugnant vtrinque acies Burgundica *pubes*
Vincitur, & Francis *risit fortuna maniplis.*
Ipse etiam Rex vincla subit, vesanáque cædis
Author in vltrices venit Regina catenas.
Ambo necem miseri subeunt, merguntur hiatu,
Supplicii crudele genus, noxáque paternâ
Dirius, & morbo medicina nocentior ipso.
Cap. 4. De Patrono. Patronum *diuersa regit natura, mouétque*
Spiritus, & varia diuersis moribus artes.
Actorem mouet ardor, amor, Pietásque patronum
Leniat, & blando fragrans oratio melle.
Et flores effundat, olens imitetur amomum,
Quẽ decet esse blãdum, comem, affabilẽ. *Gratáque Iudæi respiret aromata campi.*
Non austera illum grauitas, non horrida vultus
Asperitas, morúmue rigor premat, apta clientes
Quin contrà natura vocet, cultúque polito
Conetur rigidum Themidos lenire tribunal,
Illius & tenerâ sedeat clementia linguâ.
Præterea syncera fides, & nobilis illum
Fidelem *Integritas commendet, ea est quæ cuncta gubernat*

„ *Illæsâ stant cuncta fide, res ilicet omnis*
„ *Soluitur. vt primùm fidei fultura labascit.*
Nil igitur iustum magis optem ambire Patronum
Quàm castam seruare fidem, nunquam ille Clientem
Fallat, & admissæ faciat mendacia causæ.
Illum ego Caußidicos inter, celebrésque Patronos
Retulerim, quem cæca malo periuria sensu,
Quem fictis fucata dolis fallacia nutrit?
Cui potior fraus praua fide est? Quem gratia, vel quem
Deiicit à rectâ numerata pecunia mente?

Clienti semper fauentẽ.

Affectus penetrare sciat, tractare medullas
Nouerit, hoc artis caput est, hic primus in illo
Patroni *vigilet labor, & cura excubet omnis.*
Sæpe illi validâ calcanda calumnia pugnâ
Sæpe illi Iudex, sæpe illi opponitur Actor.
Improbus, Insontis sæpe illi vita, salúsque
Creditur, intactum cuius caput impius Actor
Et Iudex odere, Pio quæ hic cura Patrono?
Quæ ratio est adhibenda? acres accersere Motus
Debeat & variis, cùm cætera nulla supersunt,
Pectoris arcanas impellere motibus arces.
Hic aries extremus adest, hæc machina mentis
Fortior, hæc vim animis etiam obnitentibus infert.

Affectuũ ciendorũ maximè gnarum

Digna Stuartæo *deducta è sanguine proles,*
Cui geminæ quondam steterant in fronte coronæ
Reginam quam Scotus *agit, quam* Gallica *tellus*
Nouerat indigno, nostri ò ludibria fastus?
Carcere, & angustâ captiua tenetur in arce:
Iámque ad ter senos in carcere luxerat annos,
Et vitam (si vita tamen deforme vocandum est
Seruitium) misero languens squallore trahebat
Nec satis est sorti infaustæ, nisi cæde sororem,
Dii demens arcete nefas, mactare Britanna
Destinet, & turpem ceruici imponere plagam.
Audiit hoc Europa *pauens, rabidúmque furorem*
Horruit, attonitique immani crimine Reges
Legatos misere suos, quò funus acerbum
Impediant, tantæque vetent opprobria cædis.

Caput 5. Exẽplum huius generis

Maria Regina Scotiæ defensa.

A legato Regis Franciæ.

Quos inter Gallus magno est sic ore locutus.

Exord'ū ducitur ab amicitiá Helizabethæ cum Henrico 3.

Si peterem, Regina, meo compendia Regi
Damno etiam coniuncta tuo, Tuus attamen ille est
In Regem propensus amor, mentisque voluntas,
Vt nostras, quacunque forent. Regina, puteris
Admissura preces, facelémque datura fauorem.
Nunc autem spes quanta mihi est? & opinio habendi
Quod posco, quàm certa subest! cùm vota requiro,
Non Regi modò grata meo, sed commoda toti
Europæ, *sed honesta tibi, sed & expeto rebus*
Opportuna tuis, Anglóque *salubria Regno.*

Cui Regina negare nollet. Petitionem tam iustam.

Rex Francus petit illa, petit non vnus, & vnus
Si peteret, Regina, dares, sua Regia vota
Coniungunt reliqui Franco *cum Principe Reges,*
Hæc à Te Rex ergo petit, quæ tradere pulchrum est,
Párque Deo censetur opus, petit ille salutem
Reginæ, & tutos cognata exoptat honores.
Quid superis tandem esse queat vicinius astris?
Quid magis alto affine Deo? quàm emittere vinclis,
Quàm sauâ de morte homines seruare? sed illos

Liberationem tantæ Reginæ.

Non qui plebeiæ de Gentis origine creti
Obscurum traxere genus, sed qui alta gubernant
Imperia, & magnos tractant moderamine fasces.
Hæc quoniam diuina Tibi est concessa facultas,
Reginámque potes rigidis educere vinclis,

Quod est opus diuinum.

Virtutes ostende tuas, & magna potenti
Æqualem Te redde Deo, qui Regia sceptra
Commodat, imponítque sacras in tempora vittas
Sed nolim tamen illam arcto de carcere mittas,
Restituásque in sceptra manus, primúmque reponas

Præsertim cum iustitia illud postulet.

In solium, insontem quin antè probauero vitam.
Tunc vbi synceram cognatâ in Principe mentem,
Videris, & puros animi, fidéique nitores
Iustitiæ, neque enim veniam Clementia sola
Postulat, aut turpem fugat à ceruice securim,
Iustitiæ reliqua illa tuæ tùm cura, catenis
Soluere, & incolumem patriis imponere regnis.

Ratio est

Insanum meditata scelus captiua, nocensque

Concepisse nefas, animóque hausisse furorem
Dicitur, inque tui coniurauisse ruinam
Imperii, atque tuæ interitum molita salutis.
Hæc indigna quidem, si vera, sed illa nefandis
Perfidiæ vestita dolis maledicta probantur.
Si vitæ insidiata tuæ est, si nobile regni
Tentauit fœdare decus, vel carcere clausa,
Tam demens suscepit opus, vel crimen acerbum
Ausa, priùs, quàm vincta tuâ premeretur in arce.
Si Regnum turbare tuum, dum sceptra teneret
Scotica, & æquali tecum consideret arce
Tentauit, non propterea rea crimen obiuit,
Nec capitis discrimen adit. sua quippe, suíque
Iuris erat, nullíque, nisi huic, qui præsidet astris,
Cuius adorandos norunt diademata nutus
Debebat rerum rationem afferre suarum.
,, In reliquos suprema Deus nam Regibus altis
,, Iura dedit, soli ipse sibi seruauit in ipsos
,, Imperium Reges, quos nulla humana potestas
,, Iudicat, inque ipsas retinent moderamina leges.
Non igitur Regina rea est, neque triste subire
Iudicium, examénue potest quamquam in tua quõdam
Dum regeret, sceptrísque micans poteretur auitis
Imperia, inque tuos consenserit æmula fasces.
At nec tunc poterat; poterat tùm fortè coronam
Et Regnum tentare tuum, cùm lapsa fluebant
Propria sceptra manu? cui nec secura licebat
Tempora, nec tuta spiramina ducere vitæ?
Illa rebellantes contra pugnare tumultus,
Indomitas sedare manus, & subdita regna
Debuit, & pacem propriis immittere terris
Intestina illam ciuilis factio belli,
Et formidati discordia perfida ciuis
Occupat; Ergo soli dum viscera chara paterni
Peruadit scelerata lues, & in intima Regni
Grassatur bellorum horror, tua sceptra, tuúmque
Ausa decus petere, atque tuæ vim inferre saluti?
Præterea, si Te tentauit, & hostica fraudes

Quia Maria est innocens. Non est nocens dum in scotiâ fuit.

Quia sua erat.

Tũ quia bello intestino detinebatur.

Fallaci meditata animo est, cur in tua venit
Deinde si aliquid in Angliã molita fuisset.
Vltrò regna fugax? Cur se Tibi credidit? & cur
Spontè tuos tractus in tutum elegit asylum?
Nunquid enim fugientem illam vel Francicus orbis,
Regales vbi quondam habitus, vbi sceptra tulisset?
Aut Hispanus ager? vel Belgica rura? quid vltrà
Exultans Europa sinu cepisset aperto?
Illam omnis regio, illam omnis complexa vocasset
Cur se recepisset in Angliã?
Natio, tantâ omnis risisset in hospite tellus.
Cognatam illa tamen Te Gentibus omnibus vnam
Præposuit; si fortè animos sensisset atroci
Proditione reos, Tibi se secura dedisset?
Non ergo interitum sceptris molita Britannis
Dum rexit; iam restat, vtrum Tibi fata parare,
Non est etiam nocens dum in Angliâ fuit.
Insidiásque tuæ tentarit ponere vitæ,
Ex quo Anglas ingressa plagas, finésque Britannos,
Attigit, & propriâ extorris de sede fugata est.
Si fecit, rationis egens, & cæca feratur
Námque illam ratione priùs, priùs exue mente,
Quàm credas fecisse; dolos struit illa, Tibique
Insidias locat è solio trusura paterno?
Miles vbi conscriptus? vbi agmina lecta phalangum?
Nam quo subsidio fulta?
Et florens vbi turba ducum? sola illa, sine vllo
Præsidio, sine flore virûm, sine viribus vllis
Exul, & obscurâ degens in carceris vmbrâ,
Scotica Te tantam solii de culmine Princeps
Tentet decutere? & manibus conuellere sceptrum?
At furtim conata tuos subducere ciues,
Mercarique fidem Anglorum; sed cernis vt illa
Spontè ruant, nullóque queant fundamine niti
Anglorum mercata fidem est; quo scilicet auro?
Diuitiis quæ nuda; spei quo munere? Regni
Ex opibus decussa sui; quæ nomine tantùm
Regina est; quo prætextu? quæ extranea, Téque
Spoliata coronâ opibus militibus.
Imprimis charam populis cognosceret Angl[i]s.
Ergo auro Regina carens, spoliata coronâ,
E patriis excussa plagis, nudata maniplis,
Externique colona soli Te inuadet, in altâ

Exultans quæ sede micas, quæ crebra tueris
Agmina securum circum stipantia corpus,
Quæ terris populisque praces, quos vnica Regni
Vota tenent, quibus vna tuæ stat cura salutis.
Ipsa igitur generosa duces impellet? & in Te
Ipsa globos animabit? atrox ipsa arma parabit?
Ipsa hastas dabit? ipsa feret fera tela? sed vnde?
Eheu de tetro famosi carceris antro,
Vincta manus, & vincta pedes! en nobile Regnum
Scotica *quod* Pictis *Regina ambiuit in oris!*
Infœlix Regina, tuas non iam alta coronant Medio ē carcere.
Sceptra manus, sed vincla premũnt, non crinibus aurũ,
Non pretiosa tuâ ceruice monilia ludunt.
Aes arctat sed. crura, humeros pressere catenæ.
Non Te iam multo numerosus in agmine Princeps, Onusta catenis,
Non stipat Te crebra nurus, pro Principe multo
Pro crebro nuruúmque choro, turbáque frequenti
Lictor adest, & dirus adest horrore satelles. Cum lictorum acie.
Illa igitur sic vincta, tuos labefecit honores?
Et conata Angli leges conuellere Regni?
Nonne illi fuit audaci pro milite lictor?
Num pro magnanimo rigidus ductore satelles?
Num pro sanguineis stringentia vincla sagittis,
Num formidatæ tenebrosi carceris vmbræ Tantam Principē ausa est conuellere.
In valli cessere locum? num his scilicet armis
Ausa tuum violare decus, sceptrúmque Britannum
Concipere, & summas Regni sperare secures?
Quàm non credibile est, quàm vano affine sopori!
Nec multa ratione opus est, quò ficta labascat
,, *Improbitas per seipsa ruunt mendacia nullo* Quā non probabile
Impellente, velut tenuis radicibus arbor,
Quæ tamen extentas euexit in æthera frondes,
Quamuis immiti non sæuiat impete ventus, Quod siquid scriptum est ad principes
Nec pluuia furat axis aquâ, nec mugiat æther.
Expressæ sed signa manus, notúsque character
Sensa animi interiora notant, & perfida monstrat
Consilia ad varios quam scribit Epistola Reges.
Impia quos ad bella vocat, quos apparat armis

Fallaci meditata animo est, cur in tua venit

Deinde si aliquid in Angliã molita fuisset.

Vltrò regna fugax? Cur se Tibi credidit? & cur
Spontè tuos tractus in tutum elegit asylum?
Nunquid enim fugientem illam vel Francicus orbis,
Regales vbi quondam habitus, vbi sceptra tulisset?
Aut Hispanus ager? vel Belgica rura? quid vltrà
Exultans Europa sinu cepisset aperto?
Illam omnis regio, illam omnis complexa vocasset

Cur se recepisset in Angliã?

Natio, tantâ omnis risisset in hospite tellus.
Cognatam illa tamen Te Gentibus omnibus vnam
Præposuit; si fortè animos sensisset atroci
Proditione reos, Tibi se secura dedisset?
Non ergo interitum sceptris molita Britannis
Dum rexit; iam restat, vtrum Tibi fata parare,

Non est etiam nocens dum in Angliâ fuit.

Insidiásque tuæ tentarit ponere vitæ,
Ex quo Anglas ingressa plagas, finésque Britannos,
Attigit, & propriâ extorris de sede fugata est.
Si fecit, rationis egens, & cæca feratur
Námque illam ratione priùs, priùs exue mente,
Quàm credas fecisse; dolos struit illa, Tibique
Insidias locat è solio trusura paterno?
Miles vbi conscriptus? vbi agmina lecta phalangum?

Nam quo subsidio fulta?

Et florens vbi turba ducum? sola illa, sine vllo
Præsidio, sine flore virûm, sine viribus vllis
Exul, & obscurâ degens in carceris vmbrâ,
Scotica Te tantam solii de culmine Princeps
Tentet decutere? & manibus conuellere sceptrum?
At furtim conata tuos subducere ciues,
Mercarique fidem Anglorum; sed cernis vt illa
Spontè ruant, nullóque queant fundamine niti
Anglorum mercata fidem est; quo scilicet auro?
Diuitiis quæ nuda; spei quo munere? Regni
Ex opibus decussa sui; quæ nomine tantùm
Regina est; quo prætextu? quæ extranea, Téque

Spoliata coronâ opibus militib9.


Imprimis charam populis cognosceret Angl s.
Ergo auro Regina carens, spoliata coronâ,
E patriis excussa plagis, nudata maniplis,
Externique colona soli Te inuadet, in altâ

Exultans quæ sede micas, quæ crebra tueris
Agmina securum circum stipantia corpus,
Quæ terris populisque praces, quos vnica Regni
Vota tenent, quibus vna tua stat cura salutis.
Ipsa igitur generosa duces impellet? & in Te
Ipsa globos animabit? atrox ipsa arma parabit?
Ipsa hastas dabit? ipsa feret fera tela? sed vnde?
Eheu de tetro famosi carceris antro,
Vincta manus, & vincta pedes! en nobile Regnum
Scotica *quod* Pictis *Regina ambiuit in oris!* Medio è carcere.
Infælix Regina, tuas non iam alta coronant
Sceptra manus, sed vincla premunt, non crinibus aurũ,
Non pretiosa tuâ ceruice monilia ludunt.
Aes arctat sed. crura, humeros pressere catenæ. Onusta catenis,
Non Te iam multo numerosus in agmine Princeps,
Non stipat Te crebra nurus, pro Principe multo
Pro crebro nuruúmque choro, turbáque frequenti
Lictor adest, & dirus adest horrore satelles. Cum lictorum acie.
Illa igitur sic vincta, tuos labefecit honores?
Et conata Angli leges conuellere Regni?
Nonne illi fuit audaci pro milite lictor?
Num pro magnanimo rigidus ductore satelles?
Num pro sanguineis stringentia vincla sagittis, Tantam Principẽ ausa est conuellere.
Num formidatæ tenebrosi carceris vmbra
In valli cessere locum? num his scilicet armis
Ausa tuum violare decus, sceptrúmque Britannum
Concipere, & summas Regni sperare secures?
Quàm non credibile est, quàm vano affine sopori!
Nec multa ratione opus est, quò ficta labascat
,, *Improbitas per seipsa ruunt mendacia nullo* Quã non probabile
Impellente, velut tenuis radicibus arbor,
Quæ tamen extentas euexit in æthera frondes,
Quamuis immiti non sæuiat impete ventus,
Nec pluuia furat axis aquâ, nec mugiat æther.
Expressa sed signa manus, notúsque character Quod siquid scriptum est ad principes
Sensa animi interiora notant, & perfida monstrat
Consilia ad varios quam scribit Epistola Reges.
Impia quos ad bella vocat, quos apparat armis

Quos in Te mouet, atque animis crudelibus vrget,
Quorsum magnanimos scriptis ad prælia Reges
Impulit, & validum belli dedit æmula signum?
Multa dolor, Regina, iubet, multa imperat almæ
Libertatis amor; Quid enim sic pectora tangit,
Non humana loquar, sed bruta, sed insuper ipsa
Quæ sensu vel mente carent? vnde impetus ille
Exoritur? quo terra mouet? quo montibus altis
Declines æquantur agri? quo vallibus imis
Æquantur iuga celsa, nisi auræ optantis apertum
E desiderio, vel libertatis amore?
Cuncta igitur, viles animas, quid Regia dicam
Id factũ ex libertatis amore. *Pectora? quid natas dicam ad sublimia mentes*
Libertas mouet; Illam igitur quam nobilis ardor
Muricis, & fulgens nascentem exceperat ostrum,
Quæ dignas ad sceptra manus admouerat & cui
Seruierant crebræ numeroso examine Gentes,
Libnrtas eadem, atque idem mouet ardor, agítque
Impetus, vt stricto se se cum carcere clausam
Viderit, & charæ spem libertatis ademptam
Mitteret ad magnos diplomata fortia Réges.
Non quò collectis quaterent tua regna cateruis,
Quod ius naturæ est. *Inferréntue suas in sceptra* Britannica *dextras,*
Sed quò illam septa de carcere turris ademptam
Eruerent, facilésque in pristina iura referrent,
Et dignum Tu morte putes, quod condita legum
Non prohibent decreta, iubet natura, fauénsque
Quod ratio permittit opus; quippe illa medullis
Inscripsit præcepta Deus, si forté periclo
Libertatis honos, mollis vel vita, salúsque
Subiaceant, vt quâ poterunt ratione, sed æquâ,
Effugiant, propriaéque animæ dispendia vitent
Peroratio. A clementiâ Elizabethæ. Scota *igitur Princeps insons; nihil ergo timendum*
Iudice Te, cui iusta placent, quæ sancta tueris
Iustitiæ decreta, Themis cui Regia cordi est.
Et si sons foret, illa tuos Clementia sensus
Emollit tamen, atque tuæ vim detrahit iræ
Vt veniæ captare locum mœstissima posset

Captiua, & faciles à Te sperare fauores.
Illa, vt Tu, Regina fuit, latissima vidit
Imperia, & magna moderamina didita terræ A digni-tate Ma-riæ.
In nutus transire suos; Quis crederet? illa
Quæ leges & iura dabat, quam Scotus *& omnis*
Francia *submisso venerata est proplite, quámque*
Præcinctam duplici diademate terra colebat,
Iam venit infamis misera in discrimina lethi,
Probrosúmque timet rigidi lictoris acumen.
Tu verò, Regina, veta, neque triste patrari Ab exē-plo.
Supplicium permitte, illa est Regina, quod illi
Continget, Tibi idem poterit contingere, quippe
„ *Stat cunctis Fortuna anceps, quosque aurea fouit*
Illecebris, affligit humi, Tu sanguine sacro
Parce pias fœdare manus, imitare Deorum A fortu-næ mu-tabilita-te.
Numina, & in tantâ clementia Principe regnet.
Stat rigido Regina animo, sæuumque furorem
Legati post verba tenet; non Regius illam
Cognata commouit apex, non sanguinis ordo,
Non Regum vicere preces; Causa ergo Britannis
Ius contra, legésque sacras, quos duceret hostes, Tameu dānatur.
Iudicibus dirimenda datur; venale tribunal
Censuit infamis cadendam cuspide ferri,
Carnificísque necandam ictu; ô neglecta Deorum
Fœdera! ô in diras pessumdata pectora fraudes?
Terror habet populos, & tantæ Principis omnis
Deflet turba necem, lacrymosáque funera damnat.
Illos egregium formæ decus, hos mouet altæ Eius cō-stantia & virtus
Maiestatis apex, hos aurea gratia turbat,
Hos miseræ mouere vices, sed perculit omnes
Vis animi, firmaéque audax constantia mentis.
Confudit non sensa pauor, non pallor in ore
Regnauit, sed maior honos, & gratia vultum
Induit, inque genis formosior insidet ardor. Compa-rata cum sole oc-cidente.
Qualiter extremi quando ad confinia cursus
Phœbæi flectuntur equi, & iam nocte propinquâ
Fessus in occiduas Titan demergitur vndas
Penè fatigati languens tùm forma diei

Gratior esse solet, qualis lucentiùs ardet
Cereus extremo cùm iam propè fine laborat,
Talis erat Regina, decor quam pulchrior ambit
Et casti decorat species augustior oris.
Funereum illa gradu petit incessúque theatrum,
Quo solium regale aliàs, quod vbi attigit, omnes
Præmittens in cœlum animos, & libera curæ
Talia verba dedit, Non te mors abnuo, non Te
Auerte nostræ solium spectabile famæ
Læta sequor, quocunque vocas; non vlla morantur
Mortalis me philtra boni, non vlla propinquæ
Me mortis tormenta tenent, prohibentue volentem,
Quin Te Christe sequar, sacros mihi pande Penates
Blandus, & æthereis ciuem me sedibus infer.
Dixit; at insanam librans hastámque, manúmque,
Tortor ab ambrosiâ corpus ceruice diremit.



LIBRI DECIMI

PROLVDIVM.

PIctor aliquis interrogatus in quâ operis parte maximè laboraret, cum ad vngues, inquit, finemque perueni. Idem profectò responderet Orator, se nimirum multò maiore contentione sudare in vltimâ Rhetoricæ parte quàm in cæteris. Plus enim exigunt laboris & curæ Elocutionis præcepta, quā partium reliquarum, quia illa est, quæ Oratorem aut constituit, aut perficit.

Quid autē est Elocutio? Non dicam eam esse affectatū quemdā dicendi leporē, & celerem verborū volubilitatem quæ locutuleia in foro volitet, hæreat garrula in iudiciis, litigiosa in concionibus insistat, in comitiis verbosa per-

maneat, tribunalia iudicũm obſideat, roſtra præoccupet, prætoria obſeruet, ſubſellia cõtundat, oblatret veritati. Non dicam eſſe quã apud Iſidorum aliquis imperitus definiebat, quæ mentes captet, animis inſidietur, fallat voluntates, veritatem torqueat, fucato dicẽdi lenocinio æquitatẽ obſcuret, ius inflectat, iudicia perfringat, inſontibus accuſationes apponat.

An verò potius eam cum Balſamone torrentem nuncupabo, qui per os tanquam per alueum in auditorum aures & mentes influens in iis tam admirabilia diuinâ propè fœcunditate producat? An mel ſuauiſſimum cum palladio cuius ſuauitas atque dulcedo non Palato, ſed auribus, non gutture, ſed iudicio examinetur, nõ ſtomacho, ſed mente percipiatur. Tantus enim Elocutionis ſenſus eſt & tanta ſuauitas vt

Flores durius excitent odores,
Fontes durius inferant liquores,
Gemmæ durius euibrent nitores,
Nectar durius ingerat ſapores,
Iris durius exerat colores,
Siren durius explicet tenorem.
Rores durius influant in agros,
Apes durius in fauis quieſcant.
Maïus durius ambulet per hortos
Chloris durius habitum ſerenet.
Phœbus durius in lyram feratur.
Imbres durius oſtreis reſidant.
Bombyx durius incubet labori.
Somnum durius induant ocelli
Et Sol durius aërem venuſtet.
Et ver durius apta prata pingat
Et mel durius hæreat palato,
Et lac durius exeat papillis.

Cùm ergo tam suauis sit stylus & elocutio, ad eam præcepta trademus, sed ante eius vitia virtutésque describemus; illa quidem, vt vitentur, istas verò, vt amentur.



LIBER DECIMVS

De Styli varietate.



Actenus in riuis, & amœna in margine ripa
Hasimus, & magnos nondum tentauimus amnes.
Nondum altos Pelagi fluctus, nondum æquoris vndas
Vidimus, in tenui stetit hactenus anchora portu;
Nunc tandem soluenda ratis, nunc æquore vasto
Aeriis credenda Notis, iuuat ire per altum,
Et penitus intrare sinus, & tenderere vela,
Et nauem Eloquii tumido committere Ponto.

Inuocatio.

Interea Tu Phœbe *Pater plectróque, lyráque*
Depositis, succinge manus, clauúmque potenti
Arte rege, & magnum Neptuni *attolle Tridentem*

Caput I. De Eulogiæ insula.

Eulogiæ *in regione, mari quæ cincta profundo*
Stat domus, elatis centum subnixa columnis,
Marmoreo fulgore nitens, laquearibus aureis
Splendida, millenis circum reserata fenestris,
Aulæísque micans, Arabes, molléſque Sabæi
Huc vexere suas cymbis felicibus auras,
Rhetoricæ domus illa, illá Stylus arce moratur,
Quam Tu equidem per teipse breui Calliste *videbis*
Miraturus opes, augustúmque Ædis honorem.
Propterea ornatus varios, turréſque superbas
Mitto libens, artis mitto locupletis amores,
Et nemora & lucos, seuit quos ipsa venustas,

Et

Et fortunatas palmâ, lauróque noualos.
Hic tantos inter tecti regalis honores
Est carcer splendoris egens squallore, sitúque In quâ carcer est includẽdis vitiosis chara-cteribus.
Horrescens, vbi multa feris astricta catenis
Monstra iacent, victos olim quos contudit hostes,
Inclusitque nigrâ Pitho *generosa cauernâ.*
Hos ego, qui teneræ decus ornamentáque linguæ,
Corrumpunt hostes, oculos Calliste *sub ipsos,*
Donec eò appelles cymbâ subnectus ouanti,
Confero, Tu vitium, deformatámque notabis,
Vitabísque luem, quâ vix capitalior vlla
Noscitur, augustæ totâ in ditione Suadæ.
Ac primum inflatis resonantia guttura verbis
,, Te iubeo vitare; Tumor ridetur, & omnis
,, Displicet Ambitio, esse altum decet, esse superbum Caput 2. De stylo inflato.
,, Non probet, amenti nisi quem furor egerit œstro.
Non secus ac tumidis malesanus in artubus Hydrops,
Sollicitat quem sæua sitis, quóque amplius haurit,
Hoc plures bibere ardet aquas, sempérque bibendo,
Quo premitur, magis æstum auget, quamquam omne
Corpus, & extentos humor laxetur in artus, (tumescat
Non tamen incrementum almum est, signúmue salutis, Cum hydropico.
Aut adipis nota vera, nocens tumor, improba pestis
Indiciúmque breuis, prudens nisi cauerit, aui est.
Sic quamquam inflatâ pandantur guttura voce,
Verbáque de tumidis erumpant grandia buccis,
Splendorem ne crede, nihil conamine tanto
Dignum illic, hic fucus adest, fundamine fixo
Cuncta carent, ideóque ruent, seséque prementur
Est autem inflatus venâ turgente character,
Cùm iusti mensuram oris, meritúmque tenorem
Excedit, gyrósque vltrà metásque vagatur.
Fit verò, cùm vasta nouis oratio verbis, Quis sit.
Queis nondum speciem, virésque induxerit vsus,
Horrescit; vel cùm voces, quas longa vetustas
Triuerit, & numerosa dies amouerit vsu,
Admittit, vel cùm ascitis aliundè figuris
Vtitur, & grauiore tropo, verbísque tumescit

Ille Gigantæis æqualia membra lacertis,
Et formam molémque refert, sed inane sine vllo est
Robore, sed virtutis egens, & inutile corpus.
Sic excæcatus medio Polyphemus *in antro*
Lugeat, & dirum verbis incusit Vlyssem,
Talia de tumidis emittet faucibus iras.

Méne igitur semper premet ærumnabilis angor?
Ergo in Hypobrychium non respirabile mergar?
Ipse ergo illunatus ero? mihi vulserit hostis
Lumen, & in media terebrarit lampada fronte.
Sed quis is. An Mauors rixas & prælia frendens,
Incursáxne Hydrocidæ ardor, Phœbúsne sagittæ
Prodigus, an versans irarum dolia Bacchus,
Non; sed iners, timidus, subuerbustúsque, malúsque
Stigmatia, & prædo, fuga quem detondet honoris,
Detruncátque labor, desioccat inertia, fluxus
Dedecorat, quem ne vna quidem vel stilla fluentis
Irrorat sudoris, hebes sed robur, & ardor
Viperat, & rabidus quem mentis amaror acerbat,
Desflorat labes, cruciaria corda venenant.

Quis, quem vel primâ verborum afflauerit aurâ
Rhetorica, hæc portenta feret, quid inanius illo,
Quid tumidum sermone magis, per deuia præceps
Eius cēsura. *Fertur, & authorum vestigia trita relinquit.*
Insolitas tentare vias, currúsque paternos
Ausus, & ignoto sese committere cœlo
Incautus flagrat igne Puer; Puer Icarus *alis*
Vectus in æquoreas mergi temerarius vndas
Debuit, in superas quia tendit inanior auras.
,, Comprimitur tandem tumor omnis, & inuia pœnas
,, Ambitio dedit, à iustâ qua lege recedunt
Noxia sunt, cultas nec vox abruptior aures,
Nec sensa ambrosias mulsere tumentia mentes.

Caput 3 De Cacozelo. *Illa* Cacozelus *sequitur, quo grandia falsè*
Imprudens optas imitari, at nisibus ipsis
Deficiunt vires, & robora iusta laborant,
Cúmque altos ausus authorum, & sensa, grauémque
Heroum veterum pompam tibi sumere tentas,

Deficis, aut superare volens præscripta, recusas
Præcepta, & rectæ spernis documenta loquelæ.
Non aliter mediâ Princeps cùm Persicus *aulâ*
Ardentes cœlorum orbes, variósque planetas
Et crebros motus, & multa volumina fingit
Quamuis innumeræ numerosa per organa flammæ
Effecto passim pendentes axe paterent
Iámque diem Sol, *Luna nigras induceret vmbras*
Astrorúmque choros secum deferret in axem,
Iam quamquam & nebulis, niuibúsque horresceret aër,
Et modò terricrepo concussa fragore sonaret
Machina, fulmineóque micans splendesceret æstu,
Æthereos imitata sonos; Tamen alta Tonantis
Fulguráque, & magno contortas impete flammas
Et pluuias, gelidásque niues, solémque micantem,
Astrorúmque vices varias, lunaéque meatus,
Et sese immenso circumflectentia gyro
Corpora, succensósque ignes vel fingere velle,
Ascribenda mera est humanæ insania mentis.
Sic imitatores aliis è fontibus hausta
Cùm cupiunt superare, terunt, grauibúsque tumorem
Inducunt, veterúmque altas cùm gutture voces
Se credunt spirare, fremunt ringuntque, rudúntque.
Tectus Achillæis quamuis horresceret armis
Patroclus, *& cristas, & tela sonantia ferret*
Pelidem *non esse tamen* Priameius *Heros*
Monstrat, & vt Patroclum *mediâ resupinat arenâ.*
Sic quia tres, quatuórue phrases Ciceronis *in am plũ*
Sermonem includis, si Tullius *esse putabis,*
Falleris, hunc Ciceronem *habeo, qui grandia dicta*
Qui sensus Ciceronis *habet, calamique leporem*
Cui par est stylus, & similis facundia linguæ.
Æthnæam molem, & Siculi fera pondera montis
Improbet Enceladus, *tumidâ temeraria linguâ*
Verba Cacozeli *surdas effundet in auras.*
Ipse ergo Enceladus nigra in ferrumina duri
Carceris inclaustratus ero, nec lumen Olympi
Crystallis oculorum aureis spectare licebit?

Comparato cum Chosrhoe.

Imitante tonitrua.

Cum patroclo.

Elus exemplum.

Ipse Gigantæis concorpor fratribus, ipse
Qui potui montes eradicare superbos,
Saxorum qui plaustra, trucis qui robore dextræ
In solidamentum cælorum immittere rupes
Qui potui superos perterrificare colonos
Immani nunc mole premar? nec dura valebo
Brachia? nec validas in cælum euoluere vires?
Puluerulentatæ vegrandia fragmina cautis
His potui digitis, potui hac virtute friare;
Æternabilibus nunc me violenta catenis
Instrinxit manus, & monti me infixit acuto?
Sed quid ego ingenii sicam distringo? quid vltra
Eloquor? & linguæ clatratus acumina vibro?
Quin potius rigidas vno diffufflo catenas
Spiritu? & Ætnæas vel flatu deiugo cautes?
Ecce Cacozelum, *quod quid iactantius? & quid*
Debilius? tamen ille suos miratur honores,
Indulgétque sibi, & proprio assentatus amori
Proclamare audet, vinco grauitate priores.
Eius cẽsura. *Maiorem se Rana bouem indignata, figuram,*
Enormémque bouis cupiit stultissima molem,
Ergo omnes pulmonum auras collegit, & omnes
Comparati cum ranâ. *Contulit huc, vt se multi spiramine flatus*
Redderet æqualem tauro, sed inania sensit
Flamina; quippe crepat, nisúque occumbit in ipso
Cælestes imitari ignes, Vulcaniáque arma
Ausus, & iniustos superûm sibi poscere cultus
Cum Salmoneo *Sulphureásque Iouis.* Salmoneus *edere flammas*
Ambustos æstus iaculorum, atque ignea sensit
Fulmina, & irati patitur rubra tela Tonantis.
Sic stylus hic casum timeat, tristémque ruinam
Expectet, qui quos imitari exoptat inanis
Deserit, orandíque genus turgentius ambit.
Caput 4. De puerili. *Hic equidem minùs indigno sermone character*
Afficitur, tamen afficitur Puerilis, *inanem*
Dicendi qui florem ambit, lusúsque minutos,
Et vanas vocum illecebras, tenuésque troporum
Blanditias, stultósque sales, cassásque figuras,

Vndantésque sinus, & luxuriantia rerum
Syrmata, vbi deserta patet solertis egestas
Iudicii, & vana constant vestigia mentis.
Ac veluti Sodomæus *ager damnatáque pigri* Cum pomis Sodomicis.
Ripa lacus, quæ poma parit, speciosa videntur,
Et pulchra ambitione togæ, rubeóque colore
Demulcent spectantum oculos; ast intus, vbi illa
Triueris, aut tactu, vel flatu sparseris ipso,
Continuò in cineres abeunt, fiúntque fauillæ,
Quæ priùs aurato steterant in tegmine poma.
Aut vt pubentes iuuenilis Adonidis *horti,*
In quibus exultat niuei lascivia floris, Aut Adonidis hortis comparato.
Cùm primùm leuis aura Noti, aut serotinus aër
Herbis incubuit, floréSque aspexit apertos;
Protinus intereunt crines, quæque antè micabant
Areolæ, florum nunc vasta sepulchra patescunt.
Sic Stylus hic, vbi nulla subest prudentia mentis,
Nullus vbi succus, species sed inepta loquendi,
Sed vocum infœlix leuitas sed sensus inanis
Sponte suâ marcens vana in ludibria transit,
Musarum, Charitúmque domos irrumpere furtim Eius exemplum.
Audet Amor, tentátque suis præcordia telis
Tangere, & illæsas iactu penetrare medullas,
Sed frustrà, quin ipse sacris noua præda puellis
Venit, & implicitis accepit vincla lacertis.
Ille igitur sua fata gemat, sortémque sinistram
Sic fleat; ô Tu nostra voluntas, nostra voluptas,
Heu iam vincta iaces! Ego qui paulò antè venustus
Pusio, vel potiùs qui lusio, vellere Floræ,
Flore Napæarum, *& grati diademate veris*
Incinctus, stillas inter rorísque, rosaéque
Stellas ludebam, & flatus, animámque Fauonî
Et vittas Zephyri, *atque horti Maiíque capillos*
Non leuis, at lenis; placidus non flaccidus inter
Purpurei capitis crines, aurúmque ferebam,
Mutatâ nunc sorte, graui quæ pectora morte
Asperiùs ferit, & ludor, lædórque, premórque.
Vinnulus in lætis, & latis hinnulus aruis

Fallaci meditata animo est, cur in tua venit
Deinde si aliquid in Angliã molita fuisset. *Vltrò regna fugax? Cur se Tibi credidit? & cur*
Spontè tuos tractus in tutum elegit asylum?
Nunquid enim fugientem illam vel Francicus *orbis,*
Regales vbi quondam habitus, vbi sceptra tulisset?
Aut Hispanus *ager? vel* Belgica *rura? quid vltrà*
Exultans Europa *sinu cepisset aperto?*
Illam omnis regio, illam omnis complexa vocasset
Cur se recepisset in Angliã? *Natio, tantâ omnis risisset in hospite tellus.*
Cognatam illa tamen Te Gentibus omnibus vnam
Præposuit; si fortè animos sensisset atroci
Proditione reos, Tibi se secura dedisset?
Non ergo interitum sceptris molita Britannis
Dum rexit; iam restat, vtrum Tibi fata parare,
Non est etiam nocens dum in Angliâ fuit. *Insidiásque tuæ tentarit ponere vitæ.*
Ex quo Anglas *ingressa plagas, finésque Britannos,*
Attigit, & propriâ extorris de sede fugata est.
Si fecit, rationis egens, & cæca feratur
Námque illam ratione priùs, priùs exue mente,
Quàm credas fecisse; dolos struit illa, Tibique
Insidias locat è solio trusura paterno?
Miles vbi conscriptus? vbi agmina lecta phalangum?
Nam quo subsidio fulta? *Et florens vbi turba ducum? sola illa, sine vllo*
Præsidio, sine flore virûm, sine viribus vllis
Exul, & obscurâ degens in carceris vmbrâ,
Scotica *Te tantam solii de culmine Princeps*
Tentet decutere? & manibus conuellere sceptrum?
At furtim conata tuos subducere ciues,
Mercarique fidem Anglorum; *sed cernis vt illa*
Spontè ruant, nullóque queant fundamine niti
Anglorum *mercata fidem est; quo scilicet auro?*
Diuitiis quæ nuda; spei quo munere? Regni
Ex opibus decussa sui; quæ nomine tantùm
Regina est; quo prætextu? quæ extranea, Téque
Spoliata coronâ opibus militib⁹. *Imprimis charam populis cognosceret* Angl.s.
Ergo auro Regina carens, spoliata coronâ,
E patriis excussa plagis, nudata maniplis,
Externique colona soli Te inuadet, in altâ

Exultans quæ sede micas, quæ crebra tueris
Agmina securum circumstipantia corpus,
Quæ terris populisque praces, quos vnica Regni
Vota tenent, quibus vna tuæ stat cura salutis.
Ipsa igitur generosa duces impellet? & in Te
Ipsa globos animabit? atrox ipsa arma parabit?
Ipsa hastas dabit? ipsa feret fera tela? sed vnde?
Eheu de tetro famosi carceris antro,
Vincta manus, & vincta pedes! en nobile Regnum
Scotica *quod* Pictis *Regina ambiuit in oris!*
Infælix Regina, tuas non iam alta coronant
Sceptra manus, sed vincla premũnt, non crinibus aurũ,

Medio è carcere.

Non pretiosa tuâ ceruice monilia ludunt,
Aes arctat sed. crura, humeros pressere catenæ.
Non Te iam multo numerosus in agmine Princeps,
Non stipat Te crebra nurus, pro Principe multo

Onusta catenis,

Pro crebro nuruúmque choro, turbáque frequenti
Lictor adest, & dirus adest horrore satelles.
Illa igitur sic vincta, tuos labefecit honores?
Et conata Angli leges conuellere Regni?

Cum lictorum acie.

Nonne illi fuit audaci pro milite lictor?
Num pro magnanimo rigidus ductore satelles?
Num pro sanguineis stringentia vincla sagittis,
Num formidatæ tenebrosi carceris vmbra
In valli cessere locum? num his scilicet armis
Ausa tuum violare decus, sceptrúmque Britannum
Concipere, & summas Regni sperare secures?

Tantam Principẽ ausa est conuellere.

Quàm non credibile est, quàm vano affine sopori!
Nec multa ratione opus est, quò ficta labascat
„ *Improbitas per seipsa ruunt mendacia nullo*
Impellente, velut tenuis radicibus arbor,
Quæ tamen extentas euexit in æthera frondes,
Quamuis immiti non sæuiat impete ventus,
Nec pluuia furat axis aquâ, nec mugiat æther.
Expressa sed signa manus, notúsque character
Sensa animi interiora notant, & perfida monstrat
Consilia ad varios quam scribit Epistola Reges.
Impia quos ad bella vocat, quos apparat armis


Quã non probabile

Quod siquid scriptum est ad principes

Quos in Te mouet, atque animis crudelibus vrget.
Quorsum magnanimos scriptis ad prælia Reges
Impulit, & validum belli dedit æmula signum?
Multa dolor, Regina, iubet, multa imperat almæ
Libertatis amor; Quid enim sic pectora tangit,
Non humana loquar, sed bruta, sed insuper ipsa
Quæ sensu vel mente carent? vnde impetus ille
Exoritur? quo terra mouet? quo montibus altis
Decliues æquantur agri? quo vallibus imis
Æquantur iuga celsa, nisi aura optantis apertum
E desiderio, vel libertatis amore?
Cuncta igitur, viles animas, quid Regia dicam
Id factũ ex libertatis amore. *Pectora? quid natas dicam ad sublimia mentes*
Libertas mouet; Illam igitur quam nobilis ardor
Muricis, & fulgens nascentem exceperat ostrum,
Quæ dignas ad sceptra manus admouerat & cui
Seruierant crebræ numeroso examine Gentes,
Libnrtas eadem, atque idem mouet ardor, agítque
Impetus, vt stricto se se cum carcere clausam
Viderit, & charæ spem libertatis ademptam
Mitteret ad magnos diplomata fortia Reges.
Non quò collectis quaterent tua regna cateruis,
Quod ius naturæ est. *Inferréntue suas in sceptra* Britannica *dextras,*
Sed quò illam septa de carcere turris ademptam
Eruerent, faciléque in pristina iura referrent,
Et dignum Tu morte putes, quod condita legum
Non prohibent decreta, iubet natura, fauénsque
Quod ratio permittit opus; quippe illa medullis
Inscripsit præcepta Deus, si forte periclo
Libertatis honos, mollis vel vita, salúsque
Subiaceant, vt quâ poterunt ratione, sed æquâ,
Effugiant, propriaéque animæ dispendia vitent
Peroratio. A clementiâ Elizabethæ. Scota *igitur Princeps insons; nihil ergo timendum*
Iudice Te, cui iusta placent, quæ sancta tueris
Iustitiæ decreta, Themis cui Regia cordi est.
Et si sons foret, illa tuos Clementia sensus
Emollit tamen, atque tuæ vim detrahit iræ
Vt veniæ captare locum mæstissima posset

Captiua, & faciles à Te ſperare fauores.
Illa, vt Tu, Regina fuit, latiſsima vidit
Imperia, & magnæ moderamina didita terræ — A dignitate Mariæ.
In nutus tranſire ſuos; Quis crederet? illa
Quæ leges & iura dabat, quam Scotus *& omnis*
Francia *ſubmiſſo venerata eſt poplite, quámque*
Præcinctam duplici diademate terra colebat,
Iam venit infamis miſera in diſcrimina lethi,
Probroſúmque timet rigidi lictoris acumen.
Tu verò, Regina, veta, neque triſte patrari — Ab exēplo.
Supplicium permitte, illa eſt Regina, quod illi
Continget, Tibi idem poterit contingere, quippe
„ *Stat cunctis Fortuna anceps, quoſque aurea fouit*
Illecebris, affligit humi, Tu ſanguine ſacro — A fortunæ mutabilitate.
Parce pias fœdare manus, imitare Deorum
Numina, & in tantâ clementia Principe regnet.
Stat rigido Regina animo, ſæuumque furorem
Legati poſt verba tenet; non Regius illam
Cognata commouit apex, non ſanguinis ordo,
Non Regum vicere preces; Cauſa ergo Britannis
Ius contra, legéſque ſacras, quos duceret hoſtes, — Tamen dānatur.
Iudicibus dirimenda datur; venale tribunal
Cenſuit infamis cædendam cuſpide ferri,
Carnificíſque necandam ictu; ô neglecta Deorum
Fœdera! ô in diras peſſumdata pectora fraudes?
Terror habet populos, & tantæ Principis omnis
Deflet turba necem, lacrymoſáque funera damnat.
Illos egregium formæ decus, hos mouet altæ — Eius cōſtantia & virtus
Maieſtatis apex, hos aurea gratia turbat,
Hos miſeræ mouere vices, ſed perculit omnes
Vis animi, firmæque audax conſtantia mentis.
Confudit non ſenſa pauor, non pallor in ore
Regnauit, ſed maior honos, & gratia vultum
Induit, inque genis formoſior inſidet ardor. — Comparata cum ſole occidente.
Qualiter extremi quando ad confinia curſus
Phœbæi flectuntur equi, & iam nocte propinquâ
Feſſus in occiduas Titan demergitur vndas
Penè fatigati languens tùm forma diei

Gratior esse solet, qualis lucentiùs ardet
Cereus extremo cùm iam propè fine laborat,
Talis erat Regina, decor quam pulchrior ambit
Et casti decorat species augustior oris.
Funereum illa gradu petit incessúque theatrum,
Quo solium regale aliàs, quod vbi attigit, omnes
Præmittens in cælum animos, & libera curæ
Talia verba dedit, Non te mors abnuo, non Te
Auerte nostræ solium spectabile famæ
Læta sequor, quocunque vocas; non vlla morantur
Mortalis me philtra boni, non vlla propinquæ
Me mortis tormenta tenent, prohibentue volentem,
Quin Te Christe sequar, sacros mihi pande Penates
Blandus, & æthereis ciuem me sedibus infer.
Dixit; at insanam librans hastámque, manúmque,
Tortor ab ambrosiâ corpus ceruice diremit.



LIBRI DECIMI

PROLVDIVM.

Pictor aliquis interrogatus in quâ oper's parte maximè laboraret, cum ad vngues, inquit, finemque perueni. Idem profectò responderet Orator, se nimirum multò maiore contentione sudare in vltimâ Rhetoricæ parte quàm in cæteris. Plus enim exigunt laboris & curæ Elocutionis præcepta, quã partium reliquarum, quia illa est, quæ Oratorem aut constituit, aut perficit.

Quid autẽ est Elocutio? Non dicam eam esse affectatũ quemdã dicendi leporẽ, & celerem verborũ volubilitatem quæ locutuleia in foro volitet, hæreat garrula in iudiciis, litigiosa in concionibus insistat, in comitiis verbosa per-

maneat, tribunalia iudicũm obſideat, roſtra præoccupet, prætoria obſeruet, ſubſellia cõtundat, oblatret veritati. Non dicam eſſe quã apud Iſidorum aliquis imperitus definiebat, quæ mentes captet, animis inſidietur, fallat voluntates, veritatem torqueat, fucato dicẽdi lenocinio æquitatẽ obſcuret, ius inflectat, iudicia perfringat, inſontibus accuſationes apponat.

An verò potius eam cum Balſamone torrentem nuncupabo, qui per os tanquam per alueum in auditorum aures & mentes influens in iis tam admirabilia diuinâ propè fœcunditate producat? An mel ſuauiſſimum cum palladio cuius ſuauitas atque dulcedo non Palato, ſed auribus, non gutture, ſed iudicio examinetur, nõ ſtomacho, ſed mente percipiatur. Tantus enim Elocutionis ſenſus eſt & tanta ſuauitas vt

Flores duriùs excitent odores,
Fontes duriùs inferant liquores,
Gemmæ duriùs euibrent nitores,
Nectar duriùs ingerat ſapores,
Iris duriùs exerat colores,
Siren duriùs explicet tenorem.
Rores duriùs influant in agros,
Apes duriùs in fauis quieſcant.
Maïus duriùs ambulet per hortos
Chloris duriùs habitum ſerenet.
Phœbus duriùs in lyram feratur.
Imbres duriùs oſtreis reſidant.
Bombyx duriùs incubet labori.
Somnum duriùs induant ocelli
Et Sol duriùs aërem venuſtet.
Et ver duriùs apta prata pingat
Et mel duriùs hæreat palato,
Et lac duriùs exeat papillis.

Cùm ergo tam suauis sit stylus & elocutio, ad eam præcepta trademus, sed ante eius vitia virtutésque describemus; illa quidem, vt vitentur, istas verò, vt amentur.



LIBER DECIMVS
De Styli varietate.



Actenus in riuis, & amœna in margine ripa
Hæsimus, & magnos nondum tentauimus amnes.
Nondum altos Pelagi fluctus, nondum æquoris vndas
Vidimus, in tenui stetit hactenus anchora portu;
Nunc tandem soluenda ratis, nunc æquore vasto
Aeriis credenda Notis, iuuat ire per altum,
Et penitos intrare sinus, & tenderere vela,
Et nauem Eloquii tumido committere Ponto.
Inuocatio. *Interea Tu* Phœbe *Pater plectróque, lyráque*
Depositis, succinge manus, clauúmque potenti
Arte rege, & magnum Neptuni *attolle Tridentem*
Caput I. De Eulogiæ insula. Eulogiæ *in regione, mari quæ cincta profundo*
Stat domus, elatis centum subnixa columnis,
Marmoreo fulgore nitens, laquearibus aureis
Splendida, millenis circum reserata fenestris,
Aulæísque micans, Arabes, mollésque Sabæi
Huc vexere suas cymbis felicibus auras,
Rhetoricæ domus illa, illá Stylus arce moratur,
Quam Tu equidem per teipse breui Calliste *videbis*
Miraturus opes, augustúmque Ædis honorem.
Propterea ornatus varios, turrésque superbas
Mitto libens, artis mitto locupletis amores,
Et nemora & lucos, seuit quos ipsa venustas,

Et

Et fortunatas palmâ, lauróque noualos.
Hic tantos inter tecti regalis honores
Est carcer splendoris egens squallore, sitúque In quâ carcer est includẽdis vitiosis characteribus.
Horrescens, vbi multa feris astricta catenis
Monstra iacent, victos olim quos contudit hostes,
Inclusitque nigrâ Pitho *generosa cauernâ.*
Hos ego, qui teneræ decus ornamentáque linguæ,
Corrumpunt hostes, oculos Calliste *sub ipsos,*
Donec eò appelles cymbâ subnectus ouanti,
Confero, Tu vitium, deformatámque notabis,
Vitabísque luem, quâ vix capitalior vlla
Noscitur, augustæ totâ in ditione Suadæ.
Ac primum inflatis resonantia guttura verbis
,, *Te iubeo vitare; Tumor ridetur, & omnis*
,, *Displicet Ambitio, esse altum decet, esse superbum* Caput 2. De stylo inflato.
,, *Non probet, amenti nisi quem furor egerit œstro.*
Non secus ac tumidis malesanus in artubus Hydrops,
Sollicitat quem sæua sitis, quóque amplius haurit,
Hoc plures bibere ardet aquas, sempérque bibendo,
Quo premitur, magis æstum auget, quamquam omne
Corpus, & extentos humor laxetur in artus, (tumescat
Non tamen incrementum almum est, signúmue salutis, Cum hydropico.
Aut adipis nota vera, nocens tumor, improba pestis
Indiciúmque breuis, prudens nisi cauerit, aui est.
Sic quamquam inflatâ pandantur guttura voce,
Verbáque de tumidis erumpant grandia buccis,
Splendorem ne crede, nihil conamine tanto
Dignum illic, hic fucus adest, fundamine fixo
Cuncta carent, ideóque ruent, seséque prementur
Est autem inflatus venâ turgente character,
Cùm iusti mensuram oris, meritúmque tenorem
Excedit, gyrósque vltrà metásque vagatur.
Fit verò, cùm vasta nouis oratio verbis, Quis sit.
Queis nondum speciem, viréſque induxerit vsus,
Horrescit; vel cùm voces, quas longa vetustas
Triuerit, & numerosa dies amouerit vsu,
Admittit, vel cùm ascitis aliundè figuris
Vtitur, & grauiore tropo, verbísque tumescit

Ille Gigantæis æqualia membra lacertis,
Et formam molémque refert, sed inane sine vllo est
Robore, sed virtutis egens, & inutile corpus.
Sic excæcatus medio Polyphemus *in antro*
Lugeat, & dirum verbis incusit Vlyssem,
Talia de tumidis emittet faucibus iras.

Méne igitur semper premet ærumnabilis angor?
Ergo in Hypobrychium non respirabile mergar?
Ipse ergo illunatus ero? mihi vulserit hostis
Lumen, & in media terebrarit lampada fronte,
Sed quis is. An Mauors rixas & prælia frendens,
Incursáxne Hydrocidæ ardor, Phœbúsne sagittæ
Prodigus, an versans irarum dolia Bacchus,
Non; sed iners, timidus, subuerbustúsque, malúsque
Stigmatia, & prædo, fuga quem detondet honoris,
Detruncátque labor, desioccat inertia, fluxus
Dedecorat, quem ne vna quidem vel stilla fluentis
Irrorat sudoris, hebes sed robur, & ardor
Viperat, & rabidus quem mentis amaror acerbat,
Deflorat labes, cruciaria corda venenant.

Quis, quem vel primâ verborum afflauerit aurâ
Rhetorica, hæc portenta feret, quid inanius illo,
Quid tumidum sermone magis, per deuia præceps
Eius cẽsura. *Fertur, & authorum vestigia trita relinquit.*
Insolitas tentare vias, currúsque paternos
Ausus, & ignoto sese committere cœlo
Incautus flagrat igne Puer; Puer Icarus *alis*
Vectus in æquoreas mergi temerarius vndas
Debuit, in superas quia tendit inanior auras.
„ *Comprimitur tandem tumor omnis, & inuia pœnas*
„ *Ambitio dedit, à iustâ quæ lege recedunt*
Noxia sunt, cultas nec vox abruptior aures,
Nec sensa ambrosias mulsere tumentia mentes.

Caput 3 De Cacozelo.

Illa Cacozelus *sequitur, quo grandia falsè*
Imprudens optas imitari, at nisibus ipsis
Deficiunt vires, & robora iusta laborant,
Cúmque altos ausus authorum, & sensa, grauémque
Heroum veterum pompam tibi sumere tentas,

Deficis, aut superare volens præscripta, recusas
Præcepta, & recta spernis documenta loquelæ.
Non aliter mediâ Princeps cùm Persicus *aulâ*
Ardentes cœlorum orbes, variósque planetas Comparato cum
Et crebros motus, & multa volumina fingit Chosrhoe.
Quamuis innumeræ numerosa per organa flammæ
Effictò passim pendentes axe paterent
Iámque diem Sol, Luna nigras induceret vmbras
Astrorúmque choros secum deferret in axem, Imitante
Iam quamquam & nebulis, niuibúsque horresceret aër, tonitrua.
Et modò terricrepo concussa fragore sonaret
Machina, fulmineóque micans splendesceret astu,
Æthereos imitata sonos; Tamen alta Tonantis
Fulguráque, & magno contortas impete flammas
Et pluuias, gelidásque niues, solémque micantem,
Astrorúmque vices varias, lunaéque meatus,
Et sese immenso circumflectentia gyro
Corpora, succensósque ignes vel fingere velle,
Ascribenda mera est humanæ insania menti.
Sic imitatores aliis è fontibus hausta
Cùm cupiunt superare, terunt, grauibúsque tumorem
Inducunt, veterúmque altas cùm gutture voces
Se credunt spirare, fremunt ringuntque, rudúntque. Cum patroclo.
Tectus Achillæis quamuis horresceret armis
Patroclus, *& cristas, & tela sonantia ferret*
Pelidem *non esse tamen* Priameius *Heros*
Monstrat, & vt Patroclum *mediâ resupinat arenâ.*
Sic quia tres, quatuórue phrases Ciceronis *in am plũ*
Sermonem includis, si Tullius *esse putabis,*
Falleris, hunc Ciceronem *habeo, qui grandia dicta*
Qui sensus Ciceronis *habet, calamique leporem*
Cui par est stylus, & similis facundia linguæ.
Athnaam molem, & Siculi fera pondera montis
Improbet Enceladus, *tumidâ temeraria linguâ*
Verba Cacozeli *surdas effundet in auras.*
Ipse ergo Enceladus nigra in ferrumina duri Eius exemplum.
Carceris inclaustratus ero, nec lumen Olympi
Crystallis oculorum aureis spectare licebit?

Ipse Gigantæis concorpor fratribus, ipse
Qui potui montes eradicare superbos,
Saxorum qui plaustra, trucis qui robore dextræ
In solidamentum cælorum immittere rupes
Qui potui superos perterrificare colonos
Immani nunc mole premar? nec dura valebo
Brachia? nec validas in cælum euoluere vires?
Pulnerulentatæ vegrandia fragmina cautis
His potui digitis, potui hac virtute friare;
Æternabilibus nunc me violenta catenis
Instrinxit manus, & monti me infixit acuto?
Sed quid ego ingenii sicam distringo? quid vltra
Eloquor? & linguæ clatratus acumina vibro?
Quin potius rigidas vno diffufflo catenas
Spiritu? & Ætnæas vel flatu deiugo cautes?
Ecce Cacozelum, *quod quid iactantius? & quid*
Debilius? tamen ille suos miratur honores,
Indulgétque sibi, & proprio assentatus amori
Proclamare audet, vinco grauitate priores.
Eius cēsura. *Maiorem se Rana bouem indignata, figuram,*
Enormémque bouis cupiit stultißima molem,
Ergo omnes pulmonum auras collegit, & omnes
Comparati cum ranâ. *Contulit huc, vt se multi spiramine flatus*
Redderet æqualem tauro, sed inania sensit
Flamina; quippe crepat, nisúque occumbit in ipso
Cælestes imitari ignes, Vulcaniáque arma
Ausus, & iniustos superûm sibi poscere cultus
Cum salmoneo *Sulphureásque Iouis.* Salmoneus *edere flammas*
Ambustos æstus iaculorum, atque ignea sensit
Fulmina, & irati patitur rubra tela Tonantis.
Sic stylus hic casum timeat, tristémque ruinam
Expectet, qui quos imitari exoptat inanis
Deserit, orandique genus turgentius ambit.
Caput 4. De puerili. *Hic equidem minùs indigno sermone character*
Afficitur, tamen afficitur Puerilis, *inanem*
Dicendi qui florem ambit, lusúsque minutos,
Et vanas vocum illecebras, tenuésque troporum
Blanditias, stultósque sales, cassásque figuras,

Vndantésque sinus, & luxuriantia rerum
Syrmata; vbi deserta patet solertis egestas
Iudicii, & vanæ constant vestigia mentis.
Ac veluti Sodomæus *ager damnatáque pigri* Cum pomis Sodomicis.
Ripa lacus, quæ poma parit, speciosa videntur,
Et pulchra ambitione togæ, rubeóque colore
Demulcent spectantum oculos; ast intus, vbi illa
Triueris, aut tactu, vel flatu sparseris ipso,
Continuò in cineres abeunt, ysúntque fauillæ,
Quæ priùs aurato steterant in tegmine poma.
Aut vt pubentes iuuenilis Adonidis *horti,*
In quibus exultat niuei lascinia floris, Aut Adonidis hortis comparato.
Cùm primùm leuis aura Noti, aut serotinus aër
Herbis incubuit, florésque aspexit apertos;
Protinus intereunt crines, quæque antè micabant
Areolæ, florum nunc vasta sepulchra patescunt.
Sic Stylus hic, vbi nulla subest prudintia mentis,
Nullus vbi succus, species sed inepta loquendi,
Sed vocum infœlix leuitas sed sensus inanis
Sponte suâ marcens vana in ludibria transit,
Musarum, Charitúmque domos irrumpere furtim Eius exēplum.
Audet Amor, tentátque suis præcordia telis
Tangere, & illæsas iactu penetrare medullas,
Sed frustrà, quin ipse sacris noua præda puellis
Venit, & implicitis accepit vincla lacertis.
Ille igitur sua fata gemat, sortémque sinistram
Sic fleat; ô Tu nostra voluntas, nostra voluptas,
Heu iam vincta iaces! Ego qui paulò antè venustus
Pusio, vel potiùs qui lusio, vellere Floræ,
Flore Napæarum, *& grati diademate veris*
Incinctus, stillas inter rorísque, rosaéque
Stellas ludebam, & flatus, animámque Fauōnī
Et vittas Zephyri, *atque horti Maiíque capillos*
Non leuis, at lenis; placidus non flaccidus inter
Purpurei capitis crines, aurúmque ferebam,
Mutatâ nunc sorte, graui quæ pectora morte
Asperiùs ferit, & ludor, lædórque, premórque.
Vinnulus in latis, & latis hinnulus aruis

Aut vbi matrem hausit, ventrem vel gramine clausit,
Nunquam sic gestit, vel se sic gestat, alitue,
Aut salit, explicitis per prata micantia plantis.
Et nunquam flores Veneris satus, ortus & horti,
Nympharum tinctura, soli grata oscula, glebæ
Basia, & ornatæ pretiosa monilia terræ.
Cùm se operit glacies, & signi bruma seueri
Cum se aperit facies veris, solísque sereni,
Pulsâ nocte, die appulsâ, cùm defluit im ber
Mane nouo, ínque hortos facilis cùm depluit axis,
Sic molles fudere comas, vel grata dederunt
Flamina, vel croceos sic halauere per hortos,
Vt me ornat teneræ pulcherrima gloria formæ;
Et tamen immanes arcent mea brachia funes,
Et stringunt almas infamia vincula palmas.

Eius censura. *Cuncta vides ibi vana, nihil meliore probatum*
Iudicio, nil grande, nihil sublimibus æquum
Sensibus, aut alto verborum ardore superbum.
Fucatæ illecebræ, magni penuria sensus,
Crebra politarum, sed vana allusio vocum
Immodicíque Tropi, & nimiæ lasciua figuræ
Luxuries, prauóque frequens Translatio textu;
Affectatarum descriptio plurima rerum,
Et tenuitas. *Et multa exundat puerilis inertia rithmi.*
Nunquam marmoreas languens incumbit in ædes,
In luteas transfundit opus, nunquam ardua tentat
Gesta ducum, Heroúmue tubas, sed fracta cicutæ
Carmina, & agrestes tantùm componit auenas.

Caput 5. de Parẽthyrso. *Deterior, Thyrsúmque gerit, simılísque furenti est.*
Inde Parenthyrsus *cognato nomine fertur.*
In verbis, rebúsque alius peccare character
Fortè potest; motus intempestiua ciendi
Conditio, huic vitium est, positis cùm rebus ineptos
Conamur motus adiungere, & æquore vt alto
In tenui ingentes sic amne mouere procellas
Nitimur, ínque humili sectamur grandia causâ,
Auditor quis ferre queat, cùm scribis agrestis
Exitium vulgare casæ, si tendis eodem

Mœrorísque, metúsque sinus percellere motu,
Quo quateres, si casum vrbis, Spartaéue ruinam, In motibus ciendis peccat.
Aut Solymæ excidium, miseraéue cadauera Troiæ,
Lumina vbi cecidere ducum, Regúmque parentes,
Hercúmque greges, sanctos vbi casta pudores
Amisit matrona, stylo lugente doleres?
Iupiter vt Siculi vidit senis aera, polique,
Et Solis, Lunaéque vices, orbísque labores
Argutè inclusos paruo conspexit in aere,
Risit, & indignans, nostrum sic luditur, inquit,
Arte opus? & magno tellus æquabitur axi?
Et patiar? sic motus vbi se rebus ineptis Ineptus motus magnos rebus paruis inducit
Illigat, vberiórque humiles affectio causas
Ingreditur, summo puluis miscetur Olympo.
Solus Achillæi *potuit graue missile teli*
Pelides *gestare, hasta manus altera tantæ*
Nulla capax habita est; potuit thoraca trilicem
Induere, & lateri suspendere Patroclus *ensem,*
Et ferrum, galeámque comis aptare, sed hasta
Pelidæ *solius erat, sic ardua tantùm*
Causa theatralem quæ digna ascendere scenam,
Affectus grauitatem optat, motúmque requirit.
Gemma coruscanti pretiosa innectitur auro
Inque manum induitur diues, digitósque micantes
Ornat, & instructis nuruum ceruicibus hæret
Imprudens Iouius tamen aut adamanta nitentem
Aut claros sapphiri ignes, ô prodiga pestis!
Astragalis pedibúsque ligat. Tu maxima mentis
Ornamenta, sacros animi, cordísque lapillos
Affectus causa imprudens innectis inani?
Caucaseâ sub rupe querens fera rostra Prometheus
Discerptura iecur, miserúmque haustura cruorem
Expectet; fremat ille gemens querulóque prehendens
Ore Parenthyrsum *verba indignantia fundat.*
Hæc Sol alme vides fuscâ neque conderis vmbrâ? Exẽplũ
Sed solitos inscendis equos, & lata polorum
Æquora, & assueto cœlum temone peragras.
Hæc tellus sentis, nec hias? vbi mitis honestas?

Mollis vbi Pietas? vbi iusta pondera libra?
Sis exul iam diua Themis; Tibi enim omnis ademptus
Iam locus, attritâ iam Nymphæ incedite pallâ
Et pugnis violate sinus, & vellite crines,
Mœstáque continuo perfundite lumina fletu.
Vinctus enim est qui cœlum altâ ratione Prometheus
Scandere, & æthereas ausus subducere flammas

Eius cẽsura. *Quid magis insano esse potest affine furori*
Amentis quàm sensa viri? Num scilicet omnis
Vertetur Natura? nigrâ velabitur vmbrâ
Axis, & à positâ discedent sidera lege?
Scilicet atrato vestitæ tegmine Nymphæ
Depositio candore gement? succussa fragore
Terra tremet, Phœbúsque suos furabitur ignes
Quod gemat impositis astrictus homuncio vinclis?
Quid furere est? nisi plena trucis sunt illa furoris
Sensa? quod in nimios ascendat dictio Motus.

Caput 6 De Antiquario. *Nec minùs in vitio est* Stylus Antiquarius, *aut qui*
Intempestiuam sibi colligit vndíque famam
Doctrinæ, Authores citat, in tricísque moratur
Assiduus, tenuísque Legit prouerbia plebis,
Aut Latiâ græcas linguâ interrumpit Athenas
Inficit aut Latium *Graio sermone leporem*
Si qua vel in sacris doctoribus, ínque prophanis
Putidiùs secreta latent, si ferrea verba

Eius genius. *Septimius, duróque rotet Sidonius ore,*
Si voces Asino insolitas Apuleius aureo
Aduehit, ille omnes sparsas coaceruat in vnum
Vt docti nomen sibi comparet inscius, etsi
Id frustrà cadat; Ecquis enim credetur abundans
Diuitiis. nummos cui nobilis arca frequentes
Claudat, & instructi flauens vis ridaat auri?

Comparatur cũ centone pannoso. *Cui non vel murex Tyrius, vel ianthina læna*
In ditem cessere togam, non purpura candens,
Non seres, sed cento miser, tritaéque lacernæ,
Aut è diuersis constantia pallia pannis.
Indicium non illud opum est, sed tristis egestas
Assuit è variis deterrima tegmina frustis.

Sic

Sic etiam ingenii non est nota, plurima passim
Colligere ambiguas voces, & lubrica vatum
Carmina, & ancipiti contorta emblemata nodo.
Illa quidem permitto, libros laudare, Poëtas
Aduehere, & veteris secreta aperire Mineruæ
Scrinia, cùm doctâ pandetur lectio voce. Puritis
Rhetoris at stylus, & sacra facundia linguæ Eloquētiæ seipsâ contenta.
Incorrupta, sacróque nitens in corpore Virgo
Ex seipsâ ornamenta trahit, phaleràsque recusat,
Quæ cultum sermonem onerant, minuúntque decorem
Legem illam Graiis figebat Achaia, ne quis
Indueret Persarum habitus, quia Persica vestis
Barbarica toga gentis erat, Tu in membra Suadæ
Barbara coniicies diuersa tegmina linguæ?
Alcydem domitorem hominùm, dominúmque ferarū
Risimus, indomitis cùm pallia blanda lacertis, Comparata cum Hercule
Fœmineósque habitus illis imponere membris
Antè leoninos quibus imposuisset amictus,
Ausus, & his molles manibus conuoluere fusos
Pensáque moliri, & tenues distinguere telas,
Queis priùs horrentésque feras, sæuósque tyrannos Habitus fœmineos inducēte.
Hydrâque, Hippolitâq;, *& Aprū, vigilēque draconē,*
Et ceruum, triplicémque canem, Nemeæque *leonem,*
Et diros Diomedis *equos, & corpora fratrum*
Vicerat, & magnæ tractarat robora clauæ.
Non secùs æqualis tanto facundia Regi,
Quæ fortes generosa sinus, animósque rebelles
Vincit, & impositis retinet præcordia frænis, Si se demittat ad stylū istum.
Si se ad quisquilias demittat, & vndique pannos
Colligat, ínque suos centonem conferat vsus,
Quid facit? Alcydem muliebri tegmine velat,
Pensáque distribuit generosa vilia dextrâ
Hunc ego sic formabo stylum; sempérne silebo?
Aut Caron, agnoscunt quid dicam Græca tenentes,
Perpetuúmne sequar cum nostro coma Galeno?
At quis erit verbis fundendis aptior? An qui Exēplum
Cuncta exarticulat,*qui* calx sine glutine *arena est*
Vt Caium *dicentem imitor, qui* ficta Suadæ,

Vt Seneca vſurpem noua verba Pararia præſtat.
Dicendi qui grande genus, plenáque ſuperbum
Maieſtate nitens, vt Firmicus *inquit, inepto*
Deſubitat *ſermone, graui qui dicta* Mineruâ
Nuncupat ampullas & ſeſquipedalia *verba.*
Quiſnam igitur mage dignus erit, qui dicat? an ille?
Ipſéne? qui Lyncis de more ſagacia cerno,
Quiſeu Græcus ait Lyricus, tenuiſſima puncta
Specto διὰ στελέχεις, *qui vt priſca paroemia dicit*
Non poſſum ex abiectâ arcē fabricare cloacâ
Próque Deo lapidē é vili ſtatuare ſepulchro
Qui dico de more meo, nec vile *loquuntur*
Vt Lacedæmonii, dicendi δείκηλον *opto*
Ipſe, vt ait meus Herodotus, Parnaſsius Heros
Σἰεπτοφόρος, καὶ λαμπρείμων *incedo, ſed hoſtis*
Ille meus, nihil eſt, niſi rana, aut gracculus audax
Communis qui vt trita ferunt prouerbia vulgi
Extat Amaxobio leuior, frigentior Arcto
Mobilior plumâ, pulſáque loquacior vndâ.

Caput 7. De rudi & tenui.

Sed magis, ô Calliſte *rudem, tenuémque loquendi*
Quam tumidam inflatámue decet vitare figuram.
Si peteret celſos altâ regione volatus
Icarus, *aut humiles alis ſi raderet auras*
Infœlix periturus erat, quòd nobile fatum
Maluit, excelsóque mori quod in æthere legit,
Approbo; ſi liceat, velox Theopompus *haberi.*

Magis vitandus quam priores.

Aſt Ephorus *non eſſe velim; vani vbere culmi*
Luxuriet ſeges, & vacuis criſtetur ariſtis
Prudens cultor agri malit, vitiſque redundet
Pampineâ laſciua togâ, quàm triſtibus herbis
Horreat, & ſicco tellus areſcat ab æſtu.
Et ſonipes magis ille placet, quamquam ægra recuſet
Frena, nec impoſitas frendens patiatur habenas
Quamuis indignans campo fremat, & pede terram
Pulſet, & in mediâ ſpumans exultet arenâ,
Quàm lento qui tarda gradu veſtigia ducat
Cui quamquam ſegnes fodias calcaribus armos

Hæret adhuc tamen, ignauo cognatus asello.
Sic Stylus errat vterque quidem, tamen infimus errat
Deterius, quem sermo humilis struit, imaque format
Dictio, & exiles ad vèrba exilia sensus. Eius genius.
Tum sensus ieiunus erit, cùm cuncta sequetur
Parua etiam, cùm argentum inter, flauénsque metallũ
Tenuia ramenta. atque rudes miscebit arenas,
Plurima qui reticenda feret, qui puncta sequetur
Omnia; qui milii corpuscula parua rotabit,
Et leuis in rerum textu sudabit inani;
Non verbis delectus erit, penuria voces
Elidet, numerorum aberit cultissimus ordo.
Proximus huic hæret siccus *stylus, horridus illi* Caput 8. De sicco.
Cum macie quoque langor inest, exsuccus. inanis;
Non sanguis, rubeúsue color, non viuidus olli
Ardor adest, non vena micat, non ossea verba
Exilis vel pulsus habet, vigor omnia membra
Destituit, nec flamma pigras descendit in vlnas.
Non illi Musæ, aut teneri risere lepores,
Non illi lenes aspirauere Camœnæ,
Vitat enim, scopulósque putat, quæcumque putantur
Illecebræ, vitátque sales, nil effluit altum,
Nil pompæ, aut splendoris habet, pinguísue medullæ
Ac veluti niuei cùm candida lilia septi Cum flore quem vermis rodit.
Vermiculus populatur edax, perit apta venustas
Continuò, marcentque comæ, succísque repulsis
Decolor arentes hortus defluxit in herbas.
Non aliter stylus ille, omnis quem neruus & ardor
Destituit, siccúmque facit penuria sensus,
Et vocum stupor, & pompæ florentis egestas
Aret iners, decorísque exors, & lucis egenus,
Nec tenet Auditorum aures, neque pectora mulcet.
Hæc igitur, Calliste, *caue, scopulósque minantes* Illi vitãdi.
Effuge, nulla tuam labes deterrima linguam
Inquinet, aut castas vitient contagia voces;
Quin potius solers vnam è tribus elige formam
Legitimâ quæ laude tument, plausúmque coronæ
Expectant, populique animos, aurésque gubernant

Dicendi species vna est, quam nobilis ornat
Cap. 9. de stylo subtili. *Gloria, & illustris decorat laus inclyta famæ.*
Subtili arguta vestitur acumine mentis.
Hæc populo non apta quidem est, neque pectora flectit,
Qui aptior aut scriptioni, aut senatui. Quam Concioni *Affectúsue ciet, plebem solertia quippe*
Effugit, & segnes populi præteruolat aures
Hic igitur stylus aptus erit, cùm scribis, & æuo
Venturo committis opus, tùm námque frequentes
Suspiciet lector sensus, & mentis acumen
Sic Senecæ *miramur opes, scriptúmque laborum*
Atque operum sublime decus, mens pluribus illi
Feruet acuminibus, quàm verba inscripta leguntur.
Tot gemmas, numerosa serit quot verba, tot astra
Quot voces, apicésque libros coniecit in amplos.
Sic pauus de veste micans, plumáque superbus
Seneca cum pauo comparatus. *Explicuit cùm syrma suæ mirabile caudæ*
Colláque multicolor Phœboeo præbuit astro
Conspicienda, tot astra nitent, solésque patescunt
Tótque oculi, quot plumæ insunt, nec iam amplius vllæ
Apparent plumæ, sed stellæ, aut solis imago.
Ast intermedius stylus, inter vtrumque locatus
Cap. 10. de intermedio stylo. *Lenior, amborum vicinus, vtrique ligatus,*
Aut vtriusque expers potius; nec magna sequentis
Ornamenta tenet, pompámue grauémque palæstram
Circuitúsue amplos, nec acumina pulchra prioris
Eius lenitas cũ riuulo. *Insequitur, cunctósue tenet solertia versus*
Mollior incedit, leuiúmque imitatur aquarum
Circuitus, tenerósque amnes, quos agmine leni
Blandior àprimâ deducit origine riuus.
Non fluuios qui saxa rotant, qui è caute fragosâ
Voluuntur, non sponte fluunt, vndáque tumente,
Et pontem, atque omnes ripæ indignantur habenas,
Illum propterea conuestiet apta venustas,
Amœnites cum vere. *Cultus erit, non hortus erit cùm verna serenis*
Tempestas incumbit agris, florentior, aut nox,
Cùm tristes abiere noti, multúsque relucet
Ignis, erit stellata magis, neque pictior vnquam
Pannus erit, doctâ Phrygio quem scripserit arte.

Tertia forma augusta, nihil nisi grande sequetur
Nil nisi diuinos spirare videbitur æstus.
Crebra illi elatâ resonat sententia linguâ, Cap. 11. de stylo sublimi.
In verbis sacra pompa, habiles in voce lepores,
In gestu grauitas, in motibus inclyta virtus.
Nobilia argumenta legit, momentáque rerum,
Quæ solidâ ratione probat, magnúmque probatis Eius genius magnificus.
Adiungit decus, & laxâ spatiatur habenâ
Currit & in magnis vllo sine crimine gyris
Qualis in extenti flagrans equus æquore campi,
Quem genius generosus alit, quem longior vsus,
Quem doctâ excellens exercuit arte magister; Cum equo generoso. Comparatus.
Illum etsi naturæ æstus, vísque alta caloris
Efferat, & passus iubeat glomerare superbos,
Non tamen excussis renuit spumantia loris
Fræna, nec è iusti decedit limite Circi
Illa animos mouet, illa sinus conuertit, & aures
Dicendi grauitate tenet, præcordia flectit,
Ducit & huc, quò lingua iubet, sinuosa gubernant
Spirantes sic vela Noti, sic nauta carinam,
Audacem sic sessor equum, sic omnia rector
Membra animus, sic regna potens latissima Princeps.
Illa metum, illa iram, illa odium spirabit, & omnem
Mentibus incutiet motum, vehementia linguâ
Tela geret, sternétque sinus, & pectora franget.
Non secùs ac rauco cùm clausus in aere mugit Cum fulmine
Halitus, & mediâ rutila cùm nubis in aluo
Fulminei fœtus generantur, & impete magno
Conspirante vagæ concurrunt flamine nubes
Ex conflictu vtrinque dato, & certamine cœli
Erumpit lapis, & prærupto ex æthere labens
Aut necat infelicem animam, turrésue superbas
Verberat, aut tumulos planis conuallibus æquat
Vicit vbi clarus Theseia *vela* Lysander Cap. 12. Exẽplum huius generis.
Pacem Attis. *veniámque rogat, legatus oliuam*
Prætendens petiit Lacedæmona, *cogitur omne*
Concilium, & grandi prudens ætate Senatus.
Quæritur hic, an supplicibus pax danda, solóne

Æquanda, Danaûm *queis bella fouentur,* Athenæ
Sic prior infaustam suffragia dixit in vrbem.

Vtrum Athenæ sint excidendæ.

,, *Nil, Proceres, crudele decet censere, quod ingens*
,, *Imperium firmare potest, quæ sæua videntur*
,, *Sæpe iuuant exempla, malo quod in intima serpit,*
,, *Flagrantes adhibere faces, ferrúmque, poténsque*
,, *Antidotum decet, asper erit, qui mitiùs artus*
,, *Chirurgus fouet, illa mea sententia mentis,*
Aut vestro imperio domitæ vertantur Athenæ,
Aut nunquam trepidis pax est speranda Pelasg's.

Euertendæ.

,, Attica *Gens leuitatis amans, exosa quietem,*
Seditione furens, diríque ministra tumultus,
Belli author, quæ nec vel victa quiescere nouit,
Et quæ funereâ de clade superbior exit.

Obiectio diluitur.

At Sparta *humanis vim moribus inferet, & nos*
Frangemus rigidis clementia pectora pœnis
,, *Quam legem statuere aliis, hanc scilicet æquum est,*
,, *Vt subeant, ipsi* Melios, *omnémque* Scionem
,, *Funditus excidere, pares patiantur & ipsi,*
,, *Quas aliis peperere neces. Clementia certè est*
,, *Impendenda reis, sed quos Fortuna, grauésque*
,, *Vexauere vices, non quos scelerata periclis*
,, *Improbitas, pænísque nefas addixit acerbis*

Indulgẽdum esse modestis

Quod verè extinctis tot ciuibus extruet vsquam
Dignius ó Proceres, augusta Laconia bustum,
Quàm si succensas cæsis addicat Athenas
Manibus. & cineres sociorum in funera mittat?
Pausanias fatur sed mitiùs, alta gerebat,
,, *Sceptra, decet sanctos etiam Clementia Reges.*

Sentẽtia cõtraria quâ.


Vindictæ ratio, Proceres. si attenditur, & si
Nostrorum clades, & atrocia fata parentum
Persequimur, cæsos si comprimat vltio ciues,
Quem magis ex omni tandẽ Lacedæmone, *quam me*
Vindictam spirare decet? cui vt publica mittam

Seruãtur Athenæ.

Naufragia, atque ampli lugenda incommoda regni,
Quæ me equidem, vt par est, Regem funestiùs angunt.
Plistionacta *Patrem furor hic communis ademit?*
Ipse quidem primos animi cùm consulo sensus,

Cùm Tu chare Parens menti obuersarie, Athenas
Deuoueo, & iustis miseras adiudico flammis.
Sed cum in secretas hominum descendo medullas,
Humanas cum specto vices, cùm grandia sæuæ
In sortis momenta feror, cùm posse superbis
Accidere imperiis lugubria fata reuoluo
Spartanas *cùm cerno domos, mea prima retexo*
Sensa, meámque subit potior sententia mentem. Ratio 1. quia magnanimũ est.
Quæ laus Sparta *Tibi est, immani sorte iacentes*
Indignè terere? inque tuos referre triumphos
Infaustos urbis cineres, quam Marte secundo
Subiecere tuis felicia Numina votis?
„ *Magnanimi est, dũ bella fremunt, dũ puluere in ipso*
„ *Hostis adest, rigidâ dum dextera cuspide fulget,*
„ *Pugnantem superare, truci prosternere campo,*
„ *Vulneribúsque explere ensem, sed vbi arma quierunt,*
„ *Hostis vbi exuto per fata aduersa furore*
„ *Pacem orat, veniámque petit, sæuire, ferinum est,*
„ *Et par barbariæ, Virtus non illa* Laconum
„ *In captos sæuire hostes, imbelle, pusillum,*
„ *Fœmineum est, non his exultat Sparta triumphis,*
Nec tales vnquam dignata est carpere lauros.
At Gens in Spartam *crudelibus* Attica *pœnis*
Sæuiret, non quid faceret Gens illa videndum est, Ratio 2. quia sunt supplices
Sed quid nos deceat, neque enim iam consulo Athenis
Sed Spartæ, *famámque meæ iam prosequor vrbis*
Si punis hostes, alios iam quære, neque hostes
Iam sunt Cecropidæ, *hostilem pepulere furorem*
Supplicibúsque pares clementia fata requirunt.
„ *Qui vim supplicibus pœnis vltricibus infert,*
„ *Non iam hostes petit, ille ferox, ille immemor omnis*
„ *Fœderis, humanis insultat casibus, ille*
„ *Fortunæ ingenium, & superũm non cogitat iras.*
Præterea infaustas dirus qui vertet Athenas, 3. Ratio quia fuerunt sociæ.
Quid faciet? Terræ ille oculum, lumenque Pelasgæ
Eruet, & sociam imperii pessumdabit vrbem.
Illa fatigatos Marathonis *in æquore Persas,*
Expulit à Graiæ fœcundis finibus oræ,

Nobiscum Medos socialibus atterit armis
Vrbem illam seruare decet, nostrum illa trophæum,
Et magni monumentum animi est, dum Cecropis arces,
Dúmque domus stabunt, & gratia nostra vigebit.
Quid cupis in bustum & cineres tam grande trophæum
Vertere? & æternam flammis corrumpere laurum?
Dicendi altâ ipsi exultant ratione Lacones.



LIBRI VNDECIMI

PROLVDIVM.

DIfficile admodum est opinionem iam ex longo insitam ex animis euellere, præsertim verò si specie veritatis amicta in mentem fallenter irrepat. Scio reclamaturos non paucos, si eandem esse Eloquentiam cum poeticâ facultate, & eundem esse Oratorem asseramus & Poetam. Scio non defuturos, qui statim mihi prouerbium illud objiciant, *Nascuntur Poëtæ, fiunt Oratores*, cuius veritatem persuadet entheus ille Poetarum impetus, afflatúsque diuinus, quo naturaliter impulsi, in sacros Heliconis Parnassique secessus abripiuntur; vnde ipse Plato lux Philosophorum eos ait non arte vel sapientiâ, sed applausu naturæ, aut amabili furore suffultos velut diuinos & mantice consecratos in versus effundi.

Non nego profectò ad Poëticam facultatem alios alijs nasci aptiores; non nego aiijs ab Apolline benigniori manu esse collata suffragia, in alios verò Musas ita parcas extitisse, vt aquam potius haurias é pumice, quàm ex eorum venâ vel versum; Nec tamen ideò


diuersam esse Poëticam, & facundiam existimam. Ac primò eadem apud vtramque materia, idem argumentum; Deinde ambabus eædem probationes, & loci, vnde argumenta trahuntur. Vtilitas autem, voluptas, persuasio, delectatio, honestas, bene dicere, nunquid & Poetæ, vt & Oratori traduntur? Nam quid dicam de motibus, sine quibus æqualiter Poetice languet, & eloquentia?

At verò Poeta vinculis alligatur, numeris astringitur, extra quos exire nefas, inuentionibus floridioribus gaudet, in pedum mensuram cogitur, quæ omnia oratoriam grauitatem aut frangunt, aut certè corrumpunt. Sed hæc extremo vmbone dependent. Nam vt omittam sermonis phrasecónque blanditias etiam ad vsque Poëticas grauioribus oratoribus esse concessas; Vt omittam esse quædam discrimina inter res eiusdem rationis, quæ eas ita afficiant, vt tenuiori tantum accidentis quasi limite & seccessione dirimant, non verò intra naturæ secreta descendant; vt hæc inquam omittam, quis nescit suis etiam catenis, pedibus, & numeris vinciri Oratorem? Qui quidem numeri tantarum aliquando sunt virium, vt inertes ad magnanimitatem, seditiosos ad tranquillitatem iratos ad quietem, sceleratos ad pietatem, ad plausum totam concionem impellant. Quid enim suauius numeris oratorijs?

Non ita flagrantes cùm sol incumbit in agros
Ceruus fontanas præpes inivit aquas.
Non ita crinitæ requiescis in arboris vmbrâ,
Emensus longum lasse viator iter.
Non ita balantis bibit vbera lactea matris
Agnus, ab herbosis cùm redit illa iugis.
Non ita iucundi placidis pastoribus hœdi
Cùm saliunt tenero picta per arua pede.

Non ita graminea resonantia murmura lympha
Mollior argutâ Nereis aure bibit.
Non ita per patulos verno diademate lucos
Auditur Zephyro flabra mouente sonus.
Non ita per mollis felicia stagna Caystri
Explicuit tenero gutture carmen olor.
Non ita Sicanii laxata per aquora Ponti
Siren facundos edidit ore modos.
Non ita veliuolos remorata est carmine nautas
Tangit vt inflexos vox numerosa sinus.

Cùm ergo Numerorum sit Orator artifex, aut potius Oratoris, Numerus; hoc libro de Numeris agemus, & quia numerorum quædam pars sunt figuræ, numeris figuras attexemus.



LIBER VNDECIMVS
De Numeris & Figuris.



Propositio.

EN mihi iam citharæ, & Numerorum philtra, chelésque,
Et mollis testudo patet; Iam Musicus inter
Organa, & argutos inter iam versor olores.
Vndique me cantus circumsonat, vndique voces,
Inque animos, aurésque fluunt, iam candida tinnit
Musica, & harmonico resonant modulamina plectro.

Inuocatio.

Tu fidium, citharaéque potens præcentor Apollo
Tange lyram, cantúque chelin meliore corona
Et dulces effunde modos, si carmina docto
Ore canas, concentus erit numerosior, & se
Inseret in nostras dulcedo sonantior aures.
Cùm primúm magni fundamina fortia mundi

Suppoſuit Deus, & cœleſtes condidit orbes,
Et terram, pelagíque plagas, atque ætheris ignes, Cap. I.
Quid fecit? niſi plectra lyræ, citharámque loquentem De vi
Et modulis ſuauem; & teneris concentibus aptam? Muſicæ.
Ipſe Deus citharœdus erit, Mens intima mundi.
Iuſtâ temperie, & prudentis pectine cura
Cuncta regens, tractánſque fides; Elementa quaterna Mundus
Ignis, & aereæ ſpirabilis halitus auræ, cithara
Terráque, & æquoreis vndantia flumina venis, eſt.
Mixtáque de primis ſurgentia corpora formis
Cenſentur neruorum inſtar; ſed Phœbus, & ignes Deus ci-
Accenſâ quos luce micans amplectitur axis tharœd⁹
Clauiculos dixere, quibus mandantibus orbis
Inferior canit in numerum, & ſpirantia fundit Elemẽta
Carmina, & explicitis Mundum concentibus implet. chordæ.
Quin etiam cœlorum orbes, motúſque frequentes,
Et ſeriem, curſúſque Poli Plato myſticus octo Aſtra
Aſſeruit Sirenum operâ, niſúque rotari; clauicu-
Cùm verò efficerent motus libramen, ibi ingens li.
Conniſu valido ſe machina tota ciebat,
Concentúſque ſimul reſonabat, & ætheris alti In cœlo
Ardua diuinâ ſplendebat Regia voce, ſirenes
Regna quoque & magni moderamina publica ſceptri
Eſſe lyras voluere, quibus tibicinis inſtar Regnum
Præficitur Rex ſummus, habens pro pectine leges, lyra eſt.
Et nutus decreta ſui, pro mollibus vrbes
Stant fidibus, pro clauiculis ſtant inde ſeuera Rex ci-
Iudicia, hinc leni facilis Clementia ſenſu; tharœ-
At dulces Moduli, quos hæc lyra Muſica fundit dus.
Pax eſt, & placido cultiſſimus Ordo tenore. Leges
Sed quid ego vlterius modulamina ſplendida dicam? plectrũ
Quid Numeros, cantúſue ſequar? cùm Muſica ſeſe Soni pax
Extendat vaſti per membra patentia Mundi. & ordo.
In cœlo per motum agilem dominatur, in altis
Per molles Sirenas aquis, & in aere magno Denique
Per dulces dominatur aues, Ars nobilis illam vbique
In ligna, in citharas, ínque æra ſonantia vexit, muſica.
Inque tubas, ínque ora virûm, neruóſque ferarum.

Illa per & cautes, sauásque horrore cauernas.
Vis musicæ *Amphion si forte canat, vel Thracius Orpheus,*
Saxa rapit, scopulósque truces de montibus altis
Deiicit & syluas propriâ statione reuellit.
Feras mulcet. *Illa feras, tristésque malâ feritate dracones,*
Piscésque, & diros immansuetudine Phocas
Mitigat, & tenerâ domitos dulcedine vincit.
Musica sanguinei per aperta pericula Martis
Effusas in bella manus accendit, & arma
Inter, & horrisonos rixa stridente fragores
Bella tēperat *Emicat, & mediâ victrix dominatur arenâ.*
Illa rebellantes commota per oppida rixas,
Seditiones cohibet. *Et coaceruatas animis discordibus iras*
Pressit, & elatos sedauit carmine motus.
Illa nigros manes, Phlegetontaásque paludes
Tartareósque lacus, turpésque voragine ripas
Vincit, & inuitas subigit concentibus vmbras.
Et cui nec fortes robusti corporis artus,
Nec gaza, niueúsue decor, neque tela, nec alta
Nobilitas aperiret iter, facit illa, viámque
Pandit, & occlusas reserat lyra Musica portas.
Dæmones fugat. *Illa etiam furias, atque imi monstra barathri,*
Eumenidúmque acies, Acherontaásque Megaras
Edomat, obsessóque Erebum de corpore pellit.
Tantam igitur lucem cunctis cùm Musica rebus
Caput 2. De Numero oratorio *Conferat, & Numeris, & legibus omnia constent,*
Oratoris opus, cultû sine lege feretur?
Et cadet orbatum numeris? nulláue disertis
Mensuras, aut metra pedum sermonibus addet?
Non ita? sed facunda suis Oratio membris,
Et numero, iustáque pedum compage coibit.
Ergo suos sermo Numeros habet, & licet arctis
Limatum vt carmen non constringatur habenis,
Quo sine oratio est vt corpus *Nec numeret tot fusa pedes oratio, quot se*
In vinctas flectunt Phœbi modulamina leges:
In numeros cecidit tamen, & nisi dictio certis
Floreat exultans Numeris, incerta, labánsque
Fluctuat, & cultû luget deserta palæstrâ.

Non aliter quàm cùm siccis arentia neruis
Membra iacent, aut fracta graui est arteria casu,
Tunc artus hærent immoti, & segnia languent Sine neruis.
Membra, nec imbelli regnant in corpore vires.
Est verò Numerus iustis sententia verbis
Vincta *anima queis certa datur distinctio nostra* Quid sit numerus
Quo morulæ fiunt faciles, intérque loquendum
Interualla patent, quod atrocibus amnis in vndis
Cùm rotat, excelsóque iugi de vertice præceps
Voluitur, & fluctus prærupto gurgite vibrat,
Non licet obseruare, licet, cùm decidit axe
Imber, & ex alto stillæ labuntur Olympo.
In Numeris speciosa duo Facundia poscit
Iuncturam, meritósque Pedes; *Iunctura requirit* In quo desiderantur iunctura & pedes.
Cuncta suis stent apta locis, vt in æde, tholóque
Conuenit in propriam lapides describere sedem.
Nolo Pedes nimia studio te quærere cura,
Omnia sed committe auri, quippe illa fluentum
Stat iudex austera Pedum, quæ clauda repellit,
Plena probat, stabilésque sonos admittit, & arcet
Aspera, mulcetur blandis, capitúrque canoris. Quorum iudex auris est.
Fastidit nimia, & breuia odit, & optima sentit.
Ordo etiam in verbis seruandus, & ardua debet
Crescere, & elatis insurgere dictio verbis,
Præmittique decet grauibus leuiora, latronem. Et verborum delectus causa.
Sacrilego, effusis abscondita furta rapinis;
Extremum sub finem habeat sententia verbum
Longius, infringunt siquidem breuiora tenorem,
Nec florens breuibus de vocibus ambitus exit.
E Numeris Incisa *fluunt, &* Membra, *fluuntque* Partes incisa & membra Periodi.
Circuitus *sermonis honos, & gloria linguæ*
Orator queis cuncta potest, & factus ad illos
Plausus & elatâ consensit concio voce.
Est autem verborum orbis, cùm densa, frequénsque
Instruitur vocum series, fluxúque soluto
Ambitur iusti complexio debita sensus.
Hinc partes stat Cõma, *illinc stat* Colon, *& ambo* Comma Colon.
Circuitus orbésque *ligant, quæ ritè dolabis,*

Si sensum claudant omnem, si ignobilis illa
Ambagum ratio non implicet, atráque nusquam
Intricatarum inuoluat confusio rerum.
Si non vltrà animam fluxè extendantur, & extrà
Legitimas animæ non egrediantur habenas.
Illarum vix certa datur mensura, nec intra
Quatuor Hexametros premitur complexio versus,
Sed variæ diuersa rei tractatio formam,
Mensurámque, modúmque dabit, si magna paténsque
Regula certa periodi dari non potest. *Scribatur res, amplus erit tum sermo, tenórque*
Fusior, in tenui sudet sin dictio textu,
Circuitus structura breui claudenda loquelâ est
Ecquis enim si bellum anceps, variáque duellum
Fortunâ scribendum habeam, quod nobile regnum
Diruat, & magnas excidat funditus vrbes.
Quo vulgus proceresque cadant, quo debita legum
Iura ruant, vulsósque fleat matrona pudores;
Quo templis adimatur honos, reuerentia diuis,
Quo campis cultura, sacris quo industria Musis,
Pēdet à materiâ *Quo clades, miseraéque neces, quo luctus & horror,*
Quo fraudes, Furiaéque truci laxentur Auerno;
Si torrens tumefactus aquis, si turbidus Ister
Describendus erit, valido qui flumine ripas
Exeat, & moles, & vasta obstacula vincat,
Qui syluas, fractásque trabes, segetésque natantes
Perdat, & amissæ speciosa noualia terræ,
Qui pecudes, mersósque boues, currúsque, rotásque
Præcipites trahat, & fatalibus obruat vndis
Agrestésque casas, villásque ipsósque colonos
Hauriat, & propriâ montes de sede reuellat;
Quis mihi tunc inquam, strictas imponet habenas?
Angustósque meis scribet sermonibus orbes?

Cap. 3. De Figuris. *Te verò* Calliste, *velim, non* membra, pedésue,
Nec tantum verborum orbes optare, sed vltrà
Schemata, *& artifices dicendi ambire figuras.*
Ornatus orationis pēdet *Magnus enim est orantis honor, linguámque potentem*
Culta figura probat; non tot manus apta figuris,
Serica cùm docto describit stamina flexu,

Aulaum pretiosum animat, non impiger horti
Conditor, egregium multus quem fecerit vsus
Forfice flexilibus formas tot fibulat herbis
Quot florere decet splendentia rostra figuris. Ex figuris.
Iam tibi composito nota est Translatio *cultu,*
Deque Tropis documenta dedi, nunc amplior instat
Excerpenda tibi seges, vberiórque loquendi
Cognitio, & varia ratio libanda figura est. Quid sit figura.
Has autem vt iustas orator adopto figuras,
Egregius quas vestit honor, qua illustre loquendi,
Non tritum sectantur iter, qua vile relinquunt
Vulgus, & augustis includunt grandia verbis.
In verbis alia, atque alia in sublimibus harent Aliæ in rebus.
Rebus, & illustres capiunt è rebus honores. Aliæ in verbis.
Principiū mihi verba dabunt; Repetitio *prima est,*
Principium à verbo quà dictio sumit eodem,
Ergo insana cohors certamina suscipis? ergo Repetitio.
Bellum optas? ergo arma moues? ergo aspicis hostes?
An non tela times? An non fugis ocyus iras?
An non saua mea formidas fulmina dextra?
Hanc sequitur vicina in idem Conuersio *verbum*
Sape cadens; Itali Graios, Persásque, Syrósque Conuersio.
Iustitiâ vicere, fide vicere, triumphis,
Et bellis vicere; Illud cùm posco, pudorem
Posco, decus posco, & laudis suffragia posco.
Pulchrior est, cui nomen inest Traductio, *qua fit,* Traductio.
Vt verbum, quamuis vtare frequentiùs illo,
Non tamen attentas aures, animósue fatiget,
Cui nihil in vitâ, vitâ iucundius ipsâ est,
Is nunquam vitam magnis virtutibus addet,
Cur illud tanto voti conamine curas?
Quod vehet immodicas in turbida pectora curas?
Non renuo austerus, per me licet, optet amari,
Sed caueat, ne in amore aliquid contingat amari,
Sed valet ad motus Verborum Iteratio *seu quâ* Iteratio.
Vox eadem geminata aures ferit, Impie non te
Flexit amor, quamquam alma parens in cella subiret,
Inque tuos foret acta pedes, tamen impie non Te

Flexit amor? Túne ipse audes, ô proditor vrbis,
Augustas intrare fores, liménque Senatus,
Inque subire forum? Túne, inquam, ô proditor audes,
Augustas intrare fores, liménque Senatus?
O scelus ô bustum! non horres perfide pœnas?
Rugiat insolito quamuis cœlum omne tumultu,
Quamuis fulminibus rubeat polus omnis, & omnis
Subsiliat natura, minas quamquam horreat orbis
Tu tamen ô bustum non horres perfide pœnas?

Synonymia. *Dictio & hæc viuax quæ multa Synonima in vnum*
Congerit, Excessit Catilina, euasit, abiuit,
Erupit, non illum vltrà sanctissima Roma
Mœnia, non illum potuit retinere Senatus,
Non illum ciues, non illum templa Deorum.

Gradatio. *At verò Ingenii numerosa* Gradatio *vires*
Ostentat, quâ sursum itur numerando gradatim.
Virtutem studium, virtus pulcherrima laudem,
Inuidiam laus alta creat: Quid denique restat?
Si Mario quodcunque scelus libet, & licet? & si
Quod liceat, possit? quod possit, id audeat? & quod
Audeat, id faciat? quæ fecerit, illa probetis?

Solutio *Non ita difficilis disiuncta* Solutio, *quâ res*
Ponuntur diuersæ, illas coniunctio quamuis
Nulla ligat, Pompeii ardor, constantia, virtus,
Iustitia, intemerata fides, Prudentia nota est.

Adiunctio. *Comptior hæc autem Musis quæ* Zeugma *Pelasgis*
Dicitur, at Latiis Adiunctio *dicta Camœnis,*
Ad solum quâ crebra fluit sententia verbum.
Non illum à sano ratio generosa furore,
Aut pudor à vitio, aut metus à discrimine flexit.
Vicit honoratum vesana libido pudorem,
Pupillas amor, ira animos, insania mentem.

Disiunctio. *Nec minor hæc, quæ aduersa alii* disiunctio *fertur,*
Quâ verbo membrum omne suo articulúsque ligatur,
Non illum à sacrâ labor auocat improbus arte,
Non somnus retrahit, flectit non blanda voluptas,
Non remouent ludi, non otia lenta repellunt.
In verbo quoties alluditur apta figura est.

Quamquam

Quamquam stet leuis, apta nisi sententia subsit
Vicerat hos ludo, duro quos vinxerat aere, Allusio.
Creditur arte potens, sed Marte potentior extat.
Temperet ille sibi, nisi diræ obtemperet iræ.
Delige, delectos post dilige, curta cura est.
Quos duræ gentes vasto pauere cruore,
Hos puræ mentes casto lauere fluore.

Huic affinis erit quæ Commutatio *fertur,* Commutatio.
Quâ sic inter se santentia bina locatur,
Vt tamen à primâ dependeat altera, quamuis
Dissimilis; Non quò comedam me viuere oportet,
At quò viuam me esse decet; non condo poëma
Propterea, quia quale volo non condere possum,
Quale autem queo, nolo; Taces, quia stultus es, at non
Stultus es, à te ideò quia verba tacenda premuntur.

Ornamenta etiam trahit inde oratio, cùm se Similiter cadens.
Membra pari ratione ferunt, similique coronant
Articuli fine, & numero clauduntur eodem.
Turpius ecquid erit philtris quàm incumbere amoris?
Et tamen intacti ius detrectare pudoris?
Neglige, si me audis, formam, sed dilige famam.
Non debes firmare manum in dura arma mouenda,
Sed celerem reserare pedem in spatia ampla terenda,
Nam qui pugnam acrem, durique pericula Martis
Suscipis audacter, committes segniter, & quod
Deterius, claudes quoque turpiter, ergo saluti
Prospice, dúmque licet melioribus vtere fatis

Cognatum huic Cõpar, *paribus quo æqualia verbis* Compar
Membra ferè constant; Genitor miser atra subibat
Funera, Progenies thalamos lasciua iugabat.

Nec non pulcra venit lepidis Contentio *verbis* Contentio.
Quando ex aduersis luctans Oratio rebus
Conficitur; dum blanda tenet Pax omnia Regni
Membra, minas, & tela vibras, dum Martius horror
Increpuit, dum tela volant violenta, quiescis.

At magnas generosa tenet Subiectio *vires,* Subiectio.
Quâ nosmet, vinctósque reos, timidósque clientes,
Aut Auditores, Quæsitorésue, vel ipsos

Poſcimus ambigui, tùm quæ reſponſa videntur
Vtiliora, damus; Clauſum me ſæua premebant
Agmina, & hoſtilis circum me turba ſedebat.
Quid facerem? Explicitis peterem certamina ſignis?
At nobis non æquus erat locus; inſuper hoſtis
Plus poterat numeróque virûm, & melioribus armis.
Hærerem? neque caſtra loco, aut ſtatione mouerem?
At miles vitam vnde aleret deſertus, egebat;
Nec tamen auxilium nos expectare decebat
Desererem caſtra? ínque alium fugiſſet aſylum
Miles? at incluſos ſæuus nos hoſtis habebat.
Militis incerto vitámque capútque periclo
Obiicerem? non propterea mihi patria ciues
Commiſit; quidnam ergo mihi ſuadetis agendum?
Feci, quod quicunque alius feciſſet, ab hoſte.
Conditio oblata eſt, illámque probauimus omnes.
Vos igitur viles Animæ, atque addicta ruinæ
Agmina, magnanimas tentatis adire cohortes?
Et pugnam miſcere? ſcelus quæ ſuaſit Erinnys?
Inuaſit quis ſenſa furor? ſpem fortè locatis
„ *In veſtrâ virtute? iacet ſine nomine virtus*
„ *Indiga conſilii, nec quas prudentia vires*
„ *Deſerit, eſſe reor vires, ſed inutile pondus.*
An vobis altos æquantia mœnia montes
Firmamenta parant? Regi ſed ſaxea moles
Paret, & aſperitas lapidum quamquam inuia cedit.
Conſtantes ſperatis aquas? ſed inutile votum eſt
In ventis ſtabilire fidem, & fiducia vana eſt
Incertis quæ incumbit aquis & nititur aurâ.
An veniæ vobis aditus ſperatis apertos,
Vos quamuis valido Princeps certamine vincat?
At facinus capitale auſis clementia clauſa eſt.
Quid vobis faciendum igitur, cùm funera vobis
Immineant, certus maneat vos exitus, omnis
Effugii præciſa ſalus, niſi vt ocyus armis
Depoſitis, funéſque graues, reſtimque ferentes
Reſponſio. *Admiſſi veniam ſceleris, noxaéque petatis?*
Illam confinis ſequitur Reſponſio, *quâ nos*

A nobis rationem ipsi, cur dicta feramus,
Poscimus, extemplóque damus; Iam occasio, Ciues,
Postulat, & causa status exigit, & decus vrbis,
Et ratio, virtúsque petunt, vt vile pudendi
Seruitii renuamus onus; Cur illud? An illud
Vos petitis? quia turpe, viros virtute potentes,
Et neruis, animísque alacres, & viribus auctos,
Diuitiis, opibúsque amplos, armísque valentes,
Indignum tolerare iugum: Quibus artibus? aut quo
Nos licet extricare modo? Quo? Marte potenti,
Magnanimæ virtutis ope, & vitricibus armis.
Quos hostes patiemur? eos quos segnis inertes
Mollities, quos continuæ pigra philtra quietis
Imbelles, tumidos quos sæua superbia reddit.
At verò virtutis erunt quæ præmia nostra?
Quæ? seruile iugum quatiemus, & inclyta posthac
Imperia, & domini regale tenebimus æstrum.

Ad lenes animi motus Permissio *confert,* Permissio.
Quâ nostris etiam concedere multa videmur
Hostibus, in faciles descendat vt altiùs aures
Dictio, liberiúsque animis oratio serpat.
Cuncta mihi quia dempta, gradus, patrimonia, fasces,
Fortunaéque omnes, & nil nisi corpus & aura,
Atque animus mihi restat, ea ipsa relicta potestis
Sumere, & in vestram, patior, conuertite prædam.

Imprimis arguta placet Præcisio, *textum* Præcisio
Verborum illa secat, meditandáque plura relinquit,
Quàm sermóne ferat; Mihíne est contentio tecum?
An tecum talis pugnem? Me maxima Roma,
Me Consul, populúsque frequens; sed sponte tacebo,
Ne nimium videar mihi sumere, méque superbum
Efferre, & vanas ambire fauentiùs auras;
At te dedecore, & probris onerauit apertis. Antithesis.

Antithesis *quâ verborum, rerúmque venustâ*
E pugnâ stat sermo micans; & dictio floret
Quid tandem mortale genus conaris? & vltra
Quò tendis? Phlegetonta grauem, Lemurésque subegit
Christus, & vmbrosi fauces occlusit Auerni,

Tu rursum medio Furias accersis ab Orco.
Ipse tibi cælum reserauit, & ardua pandit,
Sidera; Tu terris inhias, cælúmque relinquens
Deuia terrenis cumulas præcordia curis.
Ille decus sublime tulit; Tu turpia morum
Crimina, & indignis quæris probra turgida noxis.

Exclamatio. *Vim magnam in querulo tenet* Exclamatio *motu*
Quâ res exanimes ceu corpora conscia vitæ
Orator compellat; Amor quid deuius vrget
Pectora? & humanis gliscit quæ cura medullis?
Te nunc obtestor Sol splendide, tanta fluente
In nos dona manu, qui congeris, illa tueris,
Nec reuocas tua plaustra? parū est quod fulgide currus
Non reuoces crebro terram nisi munere dites?

Insequitur fictis breuior Reticentia *verbis,*
Quâ se dicturum Rhetor negat illa, patente
Quæ pandit tamen ore, Ecquid feritatis alumni
Reticentia. *De vestrâ loquerer rabie? sed tempus ineptum est,*
Propterea effranémque æstum, & temeraria montis
Consilia abscondo; tanti quod pondera belli
Imbelles ausi, reserare quid attinet? at vos
Quid dicam seruos sceptris inhiare superbis?

Conglobatio. *Nobilior, quâ res vno velut orbe ligantur,*
Inque vnum fascem, inque vnum coguntur aceruum,
Quò grauior flexas oratio verberet aures.
Quid vobis vnquam sacrum fuit? Integra Virtus?
Illam proteritis; speciosa Modestia? sed vos
Temnitis; Alma Fides? illam vos frangitis; Ardens
Relligio? Vos hanc premitis; Vos publica iura
Impetitis, legésque sacras; Quid denique vobis
Optatum? nisi quæ miseros amentia reddit?

Conformatio. *Ast omnes inter quæ* Conformatio *fertur,*
Digna patet, vitam exanimis, elinguibus infert
Verba, solum, mutásque vrbes, patriámque loquentem
Reddit, & extinctis dat vocem animámque sepulchris.
Gregorium augustâ quem cepit Auenio sede
Romulea imprimis lites, rixaéque frequentes
Sollicitum tenuere; quibus tandem artibus illas

Extinguat flammas? quâ tot ratione tumultus
Sopiat? aut tantas sedet Pater optimus iras?
Talia secretâ versanti mente, patescit
Roma, sed heu qualis specie fœdata figuræ!
Scissa togam, laniata genas, dispersa capillos,
Et fletu, lacrymísque natans, imóque querelas
Corde trahens, talésque ferens è gutture planctus.
Quod mea, summe hominũ custos, atque arbiter orbis Roma inducitur cum Pontifice loquens.
Membra vides lacerata, meos quod conspicis artus
Confossos crebro violenti vulneris ictu,
Quod mea continuis vndantia fletibus ora,
Lumina quod moritura vides, quod & amplius illa
Non habear, quæ sceptra regam, quæ maxima mundi
Compita, & extremæ moderer diuortia terræ;
Quod non sim, quæ vici Afros, quæ Pœna subegi
Agmina, quam vasti vertex vastißimus Hami
Horruit, & trepidi timuere cacumina Tauri.
Quod non censear illa, suo quam sanguine Petrus
Imbuit, intacto Paulus quam lacte rigauit,
Quam mille innumeris illustrauere triumphis
Martyres, & casto strauerunt flore puellæ,
In quâ tot docuere Patres, in quâ ardua sedit
Maiestas tot Pontificum, quod vilis, inérsque
Censear, & dominæ deiecta è culmine sedis
Ipse Pater, sed parce, facis, vis magna doloris
Elicit has tandem mœrente ex ore querelas.
Nam quid dißimulem? vel quæ solatia tandem
Expectanda mihi? si me Pater ipse repellis?
Quem mihi subsidio nisi te? quem in vulnera poscam
Præter te Medicum? cui? ni tibi tristia pandam
Lamenta? & miseri seriem narrabo tumultus?
Tu mollire malum solus potes, obruor æstu
Seditionis, ades, mox vt tua blandior ora
Protuleris, posito mitescent iurgia motu.
Illa ego, quam semotus Arabs, quam Persa rebellis,
Quam Gothus, & victis coluit Germania turmis
Natiuo iam Marte domor, iam prole vel ipsa
Opprimor, ipsa meos hostes iam sentio fœtus.

Tu potes hæc curare, veni; quid spreta tibi sum?
Vsque adeo Tibi vilis Ego? quid Auenio mecum
Comparet? obscurâ quæ marcet Auenio famâ
Finge parem; certè tua sum; præponor in illo,
Tu sponsus meus, & quamquam Tibi totius orbis
Credatur prætura, tamen potiore Quirites
Iure Tibi creduntur; Ego Tibi maxime Pastor
Destinor, ipsa tuos, quia sum tua, posco fauores.

Admiratio. *Grandior abductas ferit* Admiratio *mentes,*
Quâ pendens animus rapitur, quâ pulsa mouetur.
Mens è sede suâ, stupefactáque corda relinquit.
Illam nobilium grandis narratio rerum
Euentúsque graues, vel inexpectata lacessit
Historia, Regum casus, atque apta Tragœdis
Argumenta, scelúsue potens, aut impia clades
Aut assueta hominum superans conamina virtus.
In cuius trepidam sacra Admiratio mentem
Non descendet? vbi magno narrauerit ore
Historiam Orator; quâ se firmissima vicit
Eugenia, & natum oblita est, hostíque pepercit.

Cap. 4. Exēplum admirationis. *Vnigenam Italici Princeps clarissima tractus*
Eugeniam Arginâ Latii dixere loquelâ.
Gonsaluum extulerat, crocei quem candidus oris
Insignibat honos, cuiusque in fronte decorâ
Vernabant teneri coniuncto examine flores,
Ingenio par cultus erat, ménsque ignea tantas
Deprōptum ex historiâ Italiæ. *Corporis æquabat dotes, charissima in illo*
Gaudia matris erant; patrium minùs æquor, & vndas
Piscis amat, minùs ales amat, quos ardua semper
Eligit optatos cœlo ridente volatus.
Magnetem ferrum minùs ambit, & aurea florum
Serta minùs sectantur apes, rorémque cicadæ
Gonsaluus & Ergastus *Quàm tua Te, Gonsalue, parens amplexa fouebat,*
Par annis, cultúque pari, formáque, genísque,
Ingenióque, habitúque eadem degebat in vrbe
Inferior fortunâ equidem, & splendentia sortis
Imparibus Iuuenis surgens ad munera votis.
Ergastus, sic quippe illum dixere Parentes.

Ambos iniectis Charites vinxere catenis;
Et purus constrinxit amor; quin ambo iugales
Acciuere Deos, sacramentoque fideli
Promisere pias in fœdera certa medullas.
Præcipuè Gonsaluus, amor cui mollior hæsit,
Æternum paribus verbis iurauit amorem. Iurant. sibi,
Sol purâ qui luce nites, vos sidera cœli
Aurea quæ tacitis vestigia ducitis horis,
Tùm primum vestræ splendentia lumina flammæ
Vltores auferte oculis, cùm purus amici
Gonsalui mediis Ergastus abibit ab vlnis.
Tu vasto præfecte mari, qui naufraga defers Amicitiam.
Inclemens in saxa rates, si noxius vnquam
Fallo fidem, Ergastóque *datos auersor amores,*
Esto vltor, tumidísque ratem committe procellis
Cùm primùm tennis tontauero fluminis vndas
Tu qui magne praces sæuis, Gradine *duellis*
Ergasto *fidi si vota fefellero sensus,*
Cùm tentabo trucis certamina prima palæstræ,
Percute me, stratúmque feris me confode telis.
Et me par, Gonsalue *ardor, par ignis adurit,*
Ergastus *subiecit, amor me pronior in Te*
Flectit, & incensas carpit noua flamma medullas,
A meipso discedo, tuis victurus in vlnis,
Si pateris, nostraéque velis cantingere gentis
Fortunam, culménque tuæ demittere sortis
Hic breuiter Gonsaluus *ait, Nos inter honores,*
Nos inter posthac tituli, vel nomina sortis
,, *Absistant*, Ergaste, *pares quoscunque ligauit,*
Inuenit, vel fecit Amor; Nos inter idem sit
Pectus, & vnus amor, sensus sit & vnus, & vnus
Spiritus, & gemino mens vna in corpore regnet.
Ex illo teneræ facilis coniunctio vitæ,
Et flagrans exarsit amor, par forma, decúsque,
Par animi, morúmque habitus connexa ligauit
Pectora, & vnanimi constrinxit fœdere mentes
,, *Heu sed quàm fragiles hominum mutantur amores,*
,, *Non citiùs flammn in stipulis extinguitur, aut se*

„ Non citiùs tenuis frangit cryſtallus, vbi icta
„ In ſolidam collidit humum, frons arida forti
„ Cùm vulſa eſt à matre, rapax quam concitat aura
„ Non eſt mobilior, non vnda incerta, nec altâ
„ Pinna volans in turre, Notus quam pellit, & Eurus,
„ Mobilior, noſtri quàm ſint ludibria voti.

Sed citò dirimitur.

Exemplum eſt Gonſaluus, *vbi trux liuor iniquâ*
Ergaſtum *linguâ laceraſſet, & inter vtrumque*
Sparſiſſet rixas, rabidam Gonſaluus *arenam*
Cogitat, & charum vocat in certamen Amicum.

Cæditur Gonſaluus.

Pugnauere truces odiis, dirißima pugnam
Excepit cædes, Princeps heu cæditur ille
Vnicus auguſtæ Chariſsima cura Parentis:
Extemplò exanimis totâ fremit vrbe tumultus,
Impoſitúſque vias cuſtos & limina ſeruat,
Ne ſons in campos euadere poſsit apertos.
Ille autem ambiguâ voluens præcordia curâ
Incertus quid agat? vel quò ſe vertat? ab ipſo
Conſilium, mentémque metu capit, intima Matris

Expes matri ſe credit Ergaſtus

In tecta irrepit, iam deſperatio factus
Fecit iter timor, atque aditum conceſsit ad arces,
In quibus Eugeniam *poſito ſic poplite fatur.*
Te Princeps auguſta, nocens accedo, meúmque
Ipſe caput, vitámque fero, ſcelus impia fecit
Dextera, funereas equidem non abnuo pœnas.
Ecce igitur mucro ille reus, qui vulnus & ictum
Intulit in Nati latus, hunc Tu carpe nocentem,
Inque meos immerge ſinus, & ſanguine noſtro
Commiſit quodcunque nefas, hoc elue mater.
Si tamen huic manſueta velis ignoſcere culpæ,
Et rigidos lenire ſinus, nil inclyta Princeps
Perdideris, natique ferâ pro cæde perempti

A quâ veniam petit.

Alter erit Tibi natus; Ego pro prole peremptâ
Natus ero Tibi, nati omnem experieris amorem,
Et grata obſequia, & veri pia fœdera nati.
Hic auguſta ſinus ſenſit matrona moueri,
Et quæ rixa meos, inquit, mouet aſpera ſenſus
Parcere nolo, Tibi neque poſſum, Ergaſte, *nocere.*

Ille

Ille animus, mens illa, ille inclytus indolis ardor
Frons illa, & niuei præstantia florea vultus,
Par ætas, & par teneræ flagrantia formæ
Gonsaluum *mihi reddit, & illius ora sepulchro*
Excitat, & vera est Gonsalui Ergastus *imago.*
Ergo quidni Ergastus *erit Gonsaluus? & esto* Quam
Ergastus, Gonsaluus, *amor mihi suggerat illum* tandem
Vt Natura istum dederat; sed habebitur ille post
Filius? inque meis charus requiescet in vlnis? multos?
Sanguineæ cui cæde manus? cui fusus amati
Gonsalui cruor hæret adhuc? Illum ipsa fouebo
Abstulit infirmæ qui mollia fulchra senectæ?
Non ita; sed morieris; eo Te funere mactat Naturæ
Gonsaluus, sociúmque nigro Te poscit in orco. motus
Iámque manum attollens sæuum librabat acumen,
Cùm pauca hæc Ergastus *ait, Dignissima Princeps,*
Quas Tu cùmque mihi pœnas indixeris, illas
Non renuo, iugulúmque tuo suppono furori,
Quamuis sat grandes sceleris iam sentio pœnas
Iratam quod Te, Princeps agnosco, tuúmque Impe-
Lumen, & offensi subeo rubra fulmina vultus. trat.
His precibus commota parens proiecit acumen,
Ergastúmque *amplexa fouet, quem talibus vltrò*
In charam sobolem mollissima mater adoptat
Victa equidem succumbo Tibi, nec lædere possum
Splendores, Ergaste *tuos, nec mortuus optat*
Fata Tibi Gonsaluus, *eris mihi natus, amorem* Et ado-
Implebis Gonsalui, *in Te* Gonsaluus *habebit* ptatur
Quam per Te amisit vitam, noménque tenebis in filium
Gonsalui, Ergasti nomen moriatur, vt in Te pro Gõ-
Extincto Ergasti Gonsaluus *nomine viuat,* saluo.
Deseruit propriam mater charissima prolem,
Maternósque oblita sinus, & pectus & vlnas
Fert aliò, inquè nouos hostis propendet amores.
Hoc si fœmineâ leuitate volatica fecit
Damno equidem; sin pectus atrox, odiúmque rebelle
Et tristes inimicitias, rigidumque tumorem
Vicit, & indignæ stimulos compescuit iræ,

Digna parens, meritâ celebrent quam carmina laude
Suspiciátque alto grauis Admiratio *sensu*



LIBRI DVODECIMI

PROLVDIVM.

MEmoriam & Pronunciationem Rhetoricæ ita necessarias esse contendimus, vt sine alterâ esse, sine alterâ prodesse non possit; Altera illi vitam impertit, altera commendationem; Efficit altera, vt menti infigatur, altera vt auditoribus communicetur; sine alterâ nulla est, sine altera imperfecta. Tolle memoriam, Tollis Rhetoricæ causam & matrem; Tolle Pronunciationem, tollis Rhetoricæ effectum, & filiam.

Finge Rhetoricam sine memoriâ; Verè fingis, non efficis; Fingis enim Rhetoricam hærentem, intricatam, interruptam, ad omnia vestigia offendentem, ad omnes syllabas impeditam, titubantem, incertam, cespitantem, deficientem; Quid ergo minùs fingis quàm Rhetoricam, quam esse oportet fluentem, rectam, splendidam, æquabilem, sine offensione, sine lapsu, sine defectu? Quid minùs affine Rhetoricæ, quam esse illam quæ ad omnes versus oscitet, caput fricet, memoriam excutiat, verba quærat, meditetur cùm loquendum est, cum verba depromenda monitorem & nomenclatorem expectet?

Finge Rhetoricam sine pronunciatione; Quam mihi fingis Rhetoricam, quæ in senatum non veniat, in rostra non descendat, concionis ora formidet, clientem non defendat,

reum non increpet, veritatem afflictam non erigat, patrocinium miseris aut neget, aut asserre non audeat, venalem non refellat actorem, Iudicem aut ignarum non instruat, aut corruptum non corrigat, aut metuentem non excitet? Quam fingis Rhetoricam nisi gladium in vagina reconditum, quem manus non exerat? nisi florem in caudice inclusum, quem tepor vernus non explicet? nisi corpus ignauum, quod anima non agitet? nisi pupillam hebetem, quam spiritus non acuat? nisi riuũ interceptum, quẽ fons & origo destituat?

In illâ enim artis est cumulus, corona laudis, auditorum suffragium, spes victoriæ, complementum eloquentiæ. Cæteræ partes serunt, ista metit, aliæ incipiunt, ista perficit; cæteræ manum operi admouent, ista implet, cæteræ pugnant, ista vincit, aut si vincunt aliæ, ista triumphat.

Vnde fluens venis placidi Chrysostomus auri
Rosásque fundens gutture?
Conciliat tantum sibi nomen, & ore diserto
Crimen coërcet insolens?
Vnde ciet lacrymas? & acerbos prouocat imbres?
Et ægra corda vulnerat?
Illius in blandos cur crebra it concio plausus,
Mirata magnum Præsulem?
Efficiunt equidem splendentia verba loquentis,
Et dictionis granditas,
Illustrésque Tropi, momentáque lecta, potensque
Vis concitorum motuum;
Plus tamen effecit miro grauis Actio gestu
Et cultus & vultus decens
Illestola Tyrium circumuestitus amictum,
Linoque tectus desuper
Et bifidâ ornatus canentia timpora mithrâ,
Vultu modestus integro

Attollénsque polis oculos, blandéque reflectens
In concionem nobilem;
Compositúsque manus, & pulchro corpore rectus
Labris Suadam deferens.
Facundam euoluit linguam, vocémque canoram,
Disertiorem pectine
Et citharâ meliorem ipsâ, quam temperat Orpheus
Et Phœbus ipse dirigit,
Dicentem circumspiciunt, mirantur agentem,
Ædésque plausu personant.

Vis ergo hæc est Pronunciationis, dignitásque Memoriæ, sine quarum auxilio magnus nunquam fiet Orator. Illas nos libro sequenti explicabimus.



LIBER DVODECIMVS
De Pronunciatione & Memoria.



Proposi-tio. Nemosynes *dicturus opes, non altera poscam*
Auxilia, aut alios supplex tentabo fauores
Quàm vestros, ô docta cohors, quas fudit ab vlnis
Mnemosyne, *& bifido pariens in monte locauit;*
Nam quid ego dubitem vestros accedere fontes?
Et plenis haurire labris? quæ me hactenus ire
Inuoca-tio. *Ad vestras voluistis aquas, dum externa sequebar*
Argumenta, parens cùm iam mihi vestra canetur,
Facundam renuetis opem? Meliora Camœnæ,
A vobis sperare licet; Nunc ergo fauete
Pierides, *vestræ laudes in matris ituro.*

Omnia sic Natura suis animalia donis
Auxit, & appositos sic contulit aqua fauores,
Vt nullam errori permiserit adfore sedem,
Sic dentes aliis construxit in ore ferinos,
Sic vngues manibus, sic cornua fortia fronti
Applicuit, sic squammam aliis, aut addidit alas,
Sic villos aliis superiniicit, omnia tandem
Natiuis opibus mater charissima fouit.

Cap. I. De Prouidentia naturæ. Circa animalia.

Quin etiam his vmbram Rationis, & ardua mentis
Impressit simulacra; etenim quid dicere præstat,
Vt volucris nidos, luteique sedilia lecti
Fingat? & appensas è syluâ examinet ædes?
Leniat & molli prædura cubilia plumâ
Quo fiant pullis implumibus apta fouendis?

Quibus aliquam rationis.

Vt sileam intactis apibus, quas veris opimi
Præda vocat, florúmque seges deducit in hortos,
Hanc artem ingenitam, ceris vt claustra benignis
Stipent, tùm loculos, & parua cubilia natis
Virgineæ fabricentur, opes exinde micantis
Ex horti areolis, & aperto è rore paratas
In sua septa ferant, & mella liquentia condant,
Et leges æquas, & iura politica seruent,

Vmbrã indidit in auib⁹ patet.

In apib⁹

Vt formica mihi sileatur, & indita mens hæc
Quâ sibi ventura ieiuna in tempora brumæ
Prospicit, & faciles in frigora comparat escas
Quippe ferax dum tempus adest, dum flauus aristis
Annus opimat agros, & messibus arua redundant,
Ipsa reponendis sibi frugibus horrea condit,
Ædificátque domum, & frugi de more coloni
Instituit sibi cauta penum, & ne fortè putrescat
Semen humo fossum, & positum tellure sub imâ,
Fertile suffosso germen de semine rodit
Excidítque omnem, ne pullulet inde, vigorem.

In formicis.

Vt taceam Pisces, quos nec pomœria certo
Limite, nec magnæ muris obstantibus arces,
Vasta nec opposito surgentia culmina monte
Impediunt, tamen affixos in finibus iisdem
Stare, nec externi fluctus inuisere ponti,

In piscibus.

Sed patriâ ciues consistere semper in vndâ.
Contrà alios, qui perpetuò moueantur, & Indo
Nunc errent pelago, nunc æquora Persica tranent,
Nunc Hispana leues, nunc littora Galla frequentent
Turmatim, etsi illos certo neque buccina signo
Conuocet, aut rigidis in vitibus agmina cogat
Centurio, facto tamen agmine tempore fixo
Ire redire citos varii per littora Ponti.

In ceruis. *Hæc inquã, vt taceã, hanc ceruis quis contulit artẽ,*
Vt quoties Triquetræ Siculo de margine terræ,
Lutus in aduersum, Calabríque in limitis actam
Ire volunt, toties è saltu examine multo
Conueniant, intréntque salum; qui fortior, ille
Primus eat, ductórque gregem præcedat, at illâ
Conditione, sequens vt ponat in illius armis
Defessi capitis molem, caput ipse sequentis
Subleuet, & tali multus natet ordine ceruus?

In Echinis. *Quis talem æquoreo rationem infudit Echino,*
Vt tempestatis rabiem si fortè futuræ
Præcipiat, tumidósque procul præsentiat Euros,
Firmiùs obsistat quò circumflantibus Austris,
Collectis oneret pinnas, & terga lapillis?

In Elephantis. *Quis tandem Hippocrates medicâ sic instruit arte*
Incultos Elephantum animos, vt hiantia curent
Vulnera, & herbarum lacrymis solentur amaris?

Quis verò Anseribus, quos garrula semper ineptas
In voces natura trahit, dedit illius vsum
Mentis, vt in celsi quoties confinia Tauri
In ipsis anserib9 *Deueniunt, illic Aquilæ quia rupibus altis*
Nidificant crebrósque solent educere pullos,
Quas hostes nouere suas, ne fortè frequenti
Prodantur clamore, leues in rostra lapillos
Immittant? vocésque premant, intra ora loquaces?
Et sic furtiuis fallant traiectibus hostes?

Cap. 2. de eiusdẽ prouidentiâ *Ergo cùm tantis Animalia dotibus auxit,*
Tùm quæ imâ tellure meant, tùm quæ ætheris alta
Pennigero penetrant examine, quæque profundo
Amne natant, liquidíque petunt caua marmora ponti,

Cur vnum Natura hominem despexit? & illum, erga hominem
Qui mundi Princeps, & primus matris alumnus
Naturæ, & Cœli simul & Telluris Horizon,
Luminis æterni radius, delapsus ab altâ Quem despexisse videtur
Cœlituum virtute satus, par cœtibus ipsis
Angelicis, terræ Deus, & cognatus Olympi est;
Desertum, exermem, numerosis casibus aptum,
Fuderit ex vtero sine viribus, omnis egentem
Præsidii, inualidum, nudúmque? nec vllà pararit
Arma? manus vncis non cinxerit? ora cruento
Non dente armarit? placidæ neque cornua fronti
Fixerit? exiles villis neque texerit artus?
Hoc tandē est Princeps Animal, quod in omnia regnat?
Est equidem; quoniam cunctis pro dotibus, vna Sed non ita quia illi Rationem impertiit.
Mens illi, Ratióque data est; Hac fretus in alto
Æthere remigii, pennaéque volubilis expers
Captat aues, mediâ spumantis in æquoris vndâ
Pinnisque, squammísque carens fit summus aquarum
Rector, & astutos sectatur in æquore pisces,
Inque foraminibus tetras excidit echidnas, Quâ fretus omnibus dominatur.
Desertísque feras victor captiuat in antris.
Illa propinqua polis, altis contermina Diuis,
Æmula sideribus, semen spectabile verbi,
Immortale iubar, deceptum è sole supremi
Numinis, excelsæ solium virtutis, & ingens
Doctrinæ sedes, Animaéque insigne theatrum,
Grande monile animi, speculúmque, Deíque sigillum,
Euecta humanæ suprà contagia carnis
Imperium tenet, atque omni dominatur in orbe
Sufficeret sola ipsa sibi, per séque valeret, Cap. 3. De pronunciatione sociâ rationis. datâ homini.
Alterius nec egeret opis, si viueret vnus
Ipse sibi, nec haberet Homo commercia, nec se
Vrbibus insereret, nec se ciuilibus vltrò
Traderet, aut rebus commune impendere æuum
Sed quia sollicitâ numerosa negotia mente
Tractat & impensas confert in publica curas,
Et Ratio *per seipsa nequit sine viribus oris*
Euolui, linguaéque operâ, Mens viribus oris

Propterea indiguit, linguaéque accersiit vsum
Ergo in subsidium inclusæ Rationis *aperta*
Propter cõmercium *Lingua venit, sensúsque foras emittit opertos*
Et prodit secreta, sinu quæ clausa latebant.
Et si priuatâ res tantum agerentur in vmbrâ
Cum paucis magno compti sine lumine cultus,
In medium educi quæcunque oratio posset.
At quia in augusti crebrò dicenda senatus
Ore, vel in claro populi splendore locanda est,
Propterea debet pompâ prædiuite cingi.
Quæ cõparatur cum matronâ splendidâ- *Ceu Princeps matrona domi si fortè suorum*
In larium tantùm conspectu, vmbráue parentum
Hæreat, externos tunc non asciscit honores,
Nec grandem insolitâ cultum sibi comparat arte,
At si vel Procerum aspectus subitura virorum est,
Aut in magnificæ scenam ventura choreæ,
Mille oculis spectanda, habili tum quidquid in arcâ
Diues habet, rubri pretiosa monilia ponti,
Et seres croceos, & ïanthina muricis ostra,
Et læues peplos, teretésque recludit inaures,
Componitque suum cultu locuplete decorem.
Non secùs in mediâ populi spectanda coronâ
Necessaria oratori ad ornatum *Rhetorica, aut oculos augusti aditura senatus,*
Non modò natiuos sibi sumet idonea comptus,
Splendorem eloquii, spectabile mentis acumen,
Argumentosos artis solertis Elenchos,
Lumina iudicii, numerosáque vincula vocum,
Et motus celeres, opportunásque figuras,
Verùm externa etiam multæ conamine curæ
Ornamenta paret, quæ nobilis Actio *confert.*
Rhetor enim mediâ depugnaturus arenâ,
Communésque fori fluctus, clarúmue senatum,
Ampla petiturus vel rostra, vel ædis in amplæ
Luce scelus linguâ castigaturus acerbâ,
Vt cunctis niteat splendoribus, ordine puro
Fulgeat, artifices linguâ vibrante figuras
Voluat, & accensos vehementior excitet ignes,
Mancus erit tamen, apta illum nisi fortè coronet

Actio, & ornatò commendet gratia gestu.
Hinc doctas linguâ qui Principe flexit Athenas, Hinc etiam Cicero adiit histriones.
Et qui Romuleam diris à cædibus vrbem
Viribus eloquii Cicero *seruauit inermis,*
Comœdos adiere viros, tragicique cothurni
Doctores, leuibúsque adeò insueuere theatris
Quò foret ingenii felicior Actio gestus.
Propterea documenta dabo, quibus Actio possit
Compleri, Calliste, tuum est mea mente sagaci
Præcepta excipere, & nostris non defore votis,
Ac primùm è ternis complexa est Actio rebus, Cap. 4. De partibus Actionis Ac primũ voce
Voce graui, vultu facili, gestúque potente.
Vox sonus est, quo circunstans percellitur aër,
Non omnis tamen, haud etenim cùm fortè minantes
Inter se nebulæ tritu incurrere maligno,
Qui salit è nebulis strepitus, non ille, lapilli
Quem collisi edunt, sonus, aut quem concita vento
Sylua facit, non quem ad lapides incursus aquarum
Excitat, ille sonus vox est; Animalia vocem Quid sit vox
Sola creant, nec cuncta; carent Insecta vigore,
Nec vocem proferre queunt, Apis Attica murmur,
Sibila serpentes, stridorem arguta cicada
Cum grillo vigilante parit, perfecta laringis
Pulmonúmque operâ fundunt animalia vocem.
Ergo, velim ornatam facundo in Rhetore vocem,
Mollia robusto feriat quæ guttura pulsu. Qualis esse debeat vox oratoris
Quæ nec in exiles ascendat acuta tenores,
Nec contrà obtuso nimium se pectore fundat.
Nec duram, nec fœmineam, rigidámue, rudémue
Immanémue volo; sit candida, clara canora,
Flexibilis, contorta, grauis, veheménsque, potensque, Quæ à naturâ datur. Sed arte perficitur.
Quas dotes natura licet, geniúsque valentis
Corporis, & pulmonum animæ, atque affectio lati
Pectoris, & iugula, & fauces, & guttur apertum
Conferat, Ars naturam auget tamen, & bona linguæ
Amplificat, vocíque decus præstantius addit.
Non aliter quàm fundus agri, quem diues opimat
Natura, & felix blandâ fouet indole virtus,

Etsi artis nihil addideris, tamen ipsa profundit
Iniussos Naturæ fatus, per seque virescit
Pingue solum, & varios tellus creat optima fœtus.
Sin artem, cultúmque feras, si vomere crebro
Comparatione ductâ ab agro fertili. *Sollicites, rastrisque sinus & viscera tentes,*
Admoneásque manum facilem, & syluestre repellas
Ingenium, quæ poma prius syluestria tantum
Vrticásue malas, aut gramina densa ferebat,
Nunc Cererem fœcunda feret, lolióque repulso
Culta coronatâ cristabitur vndique messe.
Ergo Tibi, Calliste, tuæ fidissima vocis
Cura summa adhibēda ad illam poliendam *Cura sit, Indomitus vastos Athletâ lacertos*
Immanésque toros, & membra valentia curat,
Vt mediâ luctans confligere possit arenâ,
Et tenuem famam, steriléśque referre triumphos.
Phonascus, cantórque, chori quò mulceat aures;
Concilict quò vile lucrum, quæstúsque minutos
Colligat, ingenitam multo conamine vocem
Expolit, & linguam studiis solertibus ornat.
Tu quem fortè sacræ magnus Deus aptat arenæ,
Non quò membra teras victor, sed pectora, non quò
Monstra domes, sauásque feras, sed crimen, & astum
Infandámque luem vitiorum, horrendáque vincas
Flagitia, & populum vota ad meliora reflectas,
Cui gregis est commissa salus, quem voce magistrâ
Informare decet, cultæ præstantia vocis
Ornamenta premes? sine quâ, nec cætera prosint?
Æqua ensi, quem clausa tenet vagina latentem?
Valetudinis cura. *Ipsa valetudo multùm iuuat, omnia morbus*
Imminuit, vires, neruósque elidit, & ossa
Ipsa terit, fragilem renuet corrumpere vocem?
Ergo corporeas vires, & membra fideli
2. Sobrietas. *Præsidio curáque foue; sed philtra leuésque*
Delicias, & blanda nimis veto; frangitur omne
Corpus mollitie ne dum vox frangitur ipsa
Esca iuuat moderata, nocet turpissima Ventris
Ingluuies, & pinguis adeps; pinguedine quippe
Et sonus, & iugulis voces hebetantur obesis.

Non secus ac virtute manus cùm sphæricus orbis
Pellitur, & nigros intra pila concita clathros
Voluitur, hincque cito torquetur & inde volatu
In solidum si fortè cadat durissima saxum,
Flectitur hinc, saltúque volat, celeríque resultat
Impete, sed si velum illud, prætensáque tangat 3. Abstinentia moderata a quibusdam cibis
Carbasa, quæ limen ludi, & prima atria claudunt.
Concidit, & molli perfringitur impetus ictu.
Nec Te in castaneas, aut poma, nucésue recentes,
Et non compositi carchesia crebra Lyæi
Effundi permitto, terunt hæc omnia vocem,
Atque animam impediunt, & guttur amabile lædunt
Fœda voluptatum commercia, turpe probrosa 4. Fuga turpium voluptatum.
Proscribo cœnum Veneris, nihil organa vocis
Deterius premit, atque Venus, turpísque libido.
At contra prodesse frequens ad vocis honorem
Incessus solet, ísque celer, crebraéque loquendi
Clamandíque vices, animámque extendit, & auget 5. Exercitatio corporis
Robur, & appositas confert in guttura vires
Descensus de monte, iugúmque ascensus in altum.
Nec Tibi sat fuerit vocem curare, fouere
Guttur, & ambitis impendere faucibus artem.
At vocem variare decet, mihi displicet idem
Ordo toni, & similis generat fastidia flexus.
Illa ergo incensæ cùm flammas exprimet iræ,
Sæpe cadens, contenta, premens, & acuta, ruénsque & vocis ipsius
Asperáque, & vehemens strepero mittatur ab ore,
In trepido mœrore, grauem desidero, tardam
Scissam, interruptam, fracto torpore stupentem; Vocis varietas
Dum metuis, tua tùm vox demittatur, hebescat
Hæsitet, & lento pulmone obducta trahatur;
Si cor lætitia cumuletur, & oris in alti
Sede quiescat Amor; Tum vox ostendet amorem Pro variis affectibus.
Lætitiámque, fluat si splendida, recta, suauis,
Candida, clara, nitens, æquabilis, alta, canora
Mollísque, & tenero quam duxerit halitus ore.
Propterea documenta meus si musica Rhetor
Hauserit, & cultæ si limina triuerit Artis,

Legitimus labor ille fuit, quo flectere vocem
Possit & articulos, variósque effundere flexus.
Nec crimen medium esse reor, si verba sonosque
Præcipiti leuitate feras, vel segnia contrà
Ora trahens lentæ admoueas obstacula linguæ.
Non præceps, sed promptus eris, non lentus, inérsue,
Sed castigatâ profer tua verba loquelâ,
Segnitiémque cauens, procul & leuitatis abhorrens
Crimen, ab ambarum vitio semotior hære,
Et dignas mediæ dotes grauitatis adopta

Bonum Musicæ studere

Moderatio in pronunciatione Cap. 5.

In vultu quoque cura sita est, nam pendet ab ore
Actio, in augusto legitur sua gratia vultu,
Et blandus fauor, & teneri stant ore lepores,
Et rigor, & dirâ trux inclementia formâ.
Hoc Rhetor terrere reos, hoc plectere crimen,
Hoc tristes iactare minas, hoc tradere blandum
Auxilium, insontésque solet releuare Clientes
Hoc solo Marius sæuos perterruit hostes,
Auertítque necem; hoc solo sine voce tumultum
Cæsar, & elatas potuit sedare cohortes.

De vultu oratoris.

Vis in vultu.

Spectantes in vultu hærent, oculósque tuentur
Indicium ducendi operis, crebróque quid insit
In causâ, ex vario dicturi Rhetoris ore
Antè vident, quàm verba suo commiserit ori,
Præterea plus sæpe oculi vultúsque loquentis,
Quàm voces, & verba valent, quia verba, grauésque
Verborum sensus, & pondere plena tumente
Dictio, & effusis vndans sententia verbis,
Et Motus acres, & acumina mentis amœnæ
Hos tantùm mulcere solent, animísque tenere
Quos idem tenor, & linguâ dialectus eadem
Iungit, & affines paritas idiomatis effert.

Sæpe maior quam in verbis.

At vultum natura dedit, quo motus, & ipsa
Sensa animi descripta patent, quo cuncta moueri
Corda queunt, quamuis Scithycas perpessa pruinas,
Barbara Marmaricis quamuis oriantur ab oris.
„ *Vultus enim cordis speculum est, & mentis imago,*
„ *Reclusæque fores animi, quibus alta videntur*

Pectoris arcana, atque sinus secreta patescunt
Scenicus extructâ magno molimine scenâ
Histrio festiua populum collegerat vrbis. Comœdus quātum tribuerit vultui
Iámque theatrali ludens in pegmate Mimus, (*sto,*
Atque ea verba ferens; Ego magnũ *Agamēnona præ-*
Vt verò Magnum *exhibeat, palmásque, lacertósque*
Erigit, ínque pedum articulos se sustulit ingens.
Doctior at contra totius dramatis autor
Criminis impatiens tantī, surrexit, & illi
Impacto colapho, Procerum *reddis inepte,*
Non Magnum *facis, inquit, ibi spectator, at ipse*
Effice Magnum *inquit, castigatúmque peritus*
Errorem repara, nihil ille moratus, vtrósque
Demittens oculos obtutu infixus in vno est,
Conseruítque manum manui, gressúmque repressit
In morem curas agitantis, & indice vultu
Expressit Magnum *sapiens* Agamennona *Mimus*
Præcipuus Tibi Gestus *erit, quem sedula tractent* Cap. 6. De gestu
Et studia, & magna constantia munera curæ
Pulchrius haud aliquid gestu *est, si debitus adsit,*
Exhibeátque animum, iustóque cohæreat ori.
Debitus in toto spectatur corpore Gestus, Qui est in toto corpore
Nec solis hæret manibus; stet corporis ordo
Conueniens, rectáque ferant se membra figurâ.
Hanc formam grauitas desiderat, esse supinum
Lumináque, & tumidos in sidera tollere vultus,
Creditur indicium vanæ non futile mentis.
Deiicere obstipum caput, & demittere vultum
Et silices spectare, animi nota certa tenacis,
Iudiciíque, ferox nimium quod opinio firmat, Quod ideò decet esse.
Inclinare latus, fractóque incedere gressu
Mollius, id verò plenum est languoris inertis.
Sint crines bené compositi, non horrida visu
Cæsaries, non quæ nimiâ tamen arte laboret, Benè compositum. Ipsi crines.
Aut myrrhâ madeat, ferróue calente vibretur.
Vix etenim in teneris etiam tam læua puellis
Mollities toleranda venit; quid Rhetora dicam
Cuius vita sacri lex est castissima iuris?

In vestes ipsas, externáque tegmina curam
Coniice; nolo togæ fractum sit syrma, vel vsu
Iam lacero attritum, pleno sed molle colore
Ipsę vestes. *Gaudeat; & spectantium oculos non lædat amantes.*
Pileus alterutram non pendeat actus in aurem
Sed medius sedeat, plenóque in vertice persistet.
At manibus decor omnis inest, & gratia Gestus,
Si tamen appositá circùm ratione ferantur.
Has autem neque verba sequi, vocéve præire,
Sed tantùm simul ire decet, si verba sequuntur,
Sed pręsertim manus *Ignaui langoris erit, sin ante mouentur,*
Mimica sit leuitas, non oratorius ardor.
Dextra potest per seipsa manus, sed sola moueri
Nunquam læua potest; Equidem comes esse sororis
Sæpe potest, debétque; Manus attollere suprà
Aut frontem, aut caput, aut infrà demittere ventrem,
Aut humeros extra promittere, crimen habetur.
Cùm superos ignes, cœlúmque, atque astra loqueris,
Si terræ faciem indigitas, aut æquora campi;
Cùm planæ telluris agros, & iugera dicis,
Si cœlum exhibeas digitis, & lumen Olympi,
Ecquid opus Tibi nostra hebeti præcepta subire?
Nolim etiam, quia turpe, manus cùm dextera gestum
Exprimit, vt tales digitis formare figuras
Audeat, ac si plena mero carchesia poscat,
Intendátue minas, famosáue cornua fingat.
Cap. 7. De memoriâ *Hæc* Calliste, *Tibi nunc pars discenda, parantur*
Cætera quâ discenda, animi quæ magna facultas,
Quæ menti vis summa præest, fidissima rerum
Cella, domúsque capax, penus ingens, optima gazæ
Palladiæ custos, quæ docta æraria mentis
Quid & quanta sit memoria. *Seruat, & illustres librorum cogit aceruos,*
Bibliotheca tenax, Artis multiscia nutrix
Mnemosyne, *Graio siquidem sermone vocare*
Fas mihi Mnemosynem, *Latiū cùm imponere nomē*
Non licet, & nostris vetitum est includere Musis.
Ergo in Mnemosynem *capitis prætoria, sensus*
Thesaurum, matremque Artis, quæ cuncta coercet

Doctrinæ secreta, suo quæ limite claudit
Omnia quæ laxis librorum arcentur alutis,
Omnia diffusis circùm quæ sensibus hauris
Coniice, Mnemosyne *custos Tibi cuncta reponet,*
Non ibi multiplici numerosa volumina thecâ,
Non multus codex, non bibliotheca librorum
Myriadas centum referens, non mille talentis
Empta, tamen libros Tibi subiicit illa feraces,
Authorésque refert sine sumptibus antè repostos.
Hic formæ, speciésque latent, hic idea rerum;
Hibernas hic seruo niues, dum Sirius ardens Eius mirabilitas
Flagrat, & incenso tellus dum finditur æstu,
Hic gelidas contemplor aquas; ibi mille coronis
Arua nitent, & prata comis, & floribus horti,
Et vites gemmis, & odoro vertice syluæ,
Immanis dum sæuit hyemps, gelidúsque Bootes
Mittit ab Arctoo Borealia frigora cœlo.
Dum cœlum caligo premit, lumenque diei
Obtexit furuo pallor nocturnus amictu,
Obiicit illa mihi despectâ nocte colores.
Hic dum me circum taciturna silentia regnant,
Et vox nulla canit, mihi candida musica tinnit,
Et clamor quamuis absens allabitur aures.
Hic quæcunque vident oculi seruantur, ibíque
Auditus simulacra habitant, dùm murmurat intus
Venter, & abstractâ querulus distringitur escâ,
Hic dulces epulæ sapiunt, epulíque sapores
Diuersi obueniunt animo, mentique recurrunt.
Hic quantus, quantúsque patet versatur Olympus,
Sidera mille nitent, surgúntque, caduntque, nec vlla est Eius capacitas.
In tot sideribus confusio, cogitur illuc
Cum fluuiis, ripísque sonantibus Amphytrite.
Cogitur huc vastæ moles latissima terræ,
Et lata imperia, & præcelsæ turribus arces,
Possedit quas Crœsus opes, quæ sceptra fulegit Absentium.
Cyrus; An amotos generosa Semiramis Indos
Vicerit? an Graios digesserit Iphytus annos,
Quæ decreta Solon præscripsit, in illius vlnis

Clausa latent, tutóque sinu descripta morantur
Hic voces insunt digestæ, hic cuncta locantur
Verba suis composta locis, quóque ordine cepit
Mnemosyne *verba, illo eadem verba ordine reddit,*
Sed quid Mnemosyne? *nisi vis mollissima mentis*
Et præteritorũ repræsentatio *Quâ crebræ species, & imago obiecta tenetur,*
Præteritaéque rei simulacrum, in parte cerebri
Posticâ residens, vbi dignâ exultat in æde.
Tres etenim loculos capitis tenet ampla medulla,
Vbi sedeat. *Phantasiæ anterior sedes datur, altera sensum*
Excipit hospitio, memorem postica vigorem
Continet, omnis vbi latè doctrina moratur,
Cognitióque sedet, siquidem non plura tenemus,
Quàm quæ intra mentis memores inclusimus ædes

Cap. 8. De præceptis ad memoriam iuuandã

Et quamquam ipsa iuuet facilis natura cerebri,
Arte tamen vis illa memor, curáque iuuanda est.
Primùm ergo insanos animi compescere motus,
Effrenesque iras, incompositósque tumultus
Te, Calliste, *velim, neque enim nisi turbida mentis*
Purgetur natura, sagax erit vlla facultas.
Sopiẽdi motus. *Non secùs ac fons ille, luti quem fœda vorago*
Quem limi cœnosa lues, sordésque profundæ
Inficiunt, obiecta sibi non reddit, at ille
Quem puri duxere tubi, quem fundit origo
Vitrea, Narcissi speciem, formámque figurat.
Nec non immodicæ sanies vitanda saginæ,
Victus moderãdus. *Et Bacchi non sanus amor, nimiúsque ciborum*
Vsus, & incoctæ turpissima crapula mensæ.
Fumus enim ex illâ erumpens, obscuráque nubes
Excæcat radios animi, mentísque nitorem
Obruit, & nigris cerebrum premit atra tenebris.
Non aliter quàm cùm stagnanti exuberat imbre
Terra, per & segnes contabuit vnda paludes,
Ex illâ creber vapor exsilit, índe creantur
Nubila, quæ nitidi distenta per aeris æquor
Inficiunt astrorum ignes, & splendida velant
Lumina, & æthereos cœli furantur honores.
Tum verò ad discendum aptas lege temporis horas.

Quas

Quas matutinis cùm primùm exsurgit ab vndis
Phœbus, & in serum Oceani cùm mergitur amnem Tempus eligendum.
Esse reor, tùm mentis enim vis libera paucis
Hæret imaginibus, quæ Te in contraria vertant,
Et cibus è cerebro fumos iam coctus abegit.
Commoda rerum etiam & capitum distinctio, ne si
Omnia confusâ serie scribantur, in ipsam Distinguenda quæ memoriæ mãdantur.
Incurrat rerum & capitum confusio mentem.
Quas ad scribendum chartas admoueris, illis
Ad discendum vtare velim, nam scripta bibuntur
Altiùs, & pictæ sequimur vestigia dextræ
Vita autem memori nimium confidere menti,
Quæ variâ rerum pendens ab imagine sensum
Confundit crebrò, nedum iuuat, aptior illa est,
Quam Tibi Natura ingenuit, suditque cerebro
Iudicis suffultam opibus, donisque potentem.
Hac Cyrus, *quamquã in medios cùm duceret hostes* Cap. 9. Exẽpla felicis memoriæ.
Mille forent, & mille Equites, & mille Tribuni,
Et peditum millena cohors, licet vndique castris
Confluerent crebræ variâ de gente Phalanges,
Huc Persæ fluerent, Medique, huc Bactria pubes,
Huc Bessi, Parthique truces, & Ibera Iuuentus,
Pãphiliique, Arabesque Syrique, atque Armenus, atque
Cappadoces, Cilicesque rudes, atque incola Ponti Cyrus.
Amotique procul frendens habitator Imai,
Cunctorum ille tamen titulos, & cuncta tenebat
Nomina, confusis horrentia nomina linguis
Hac fretus Cyneas, *cùm Romula rostra tenerent* Cyneas.
Mille Senatores, quo sole ingressus in vrbem est,
Curia tota coit, creberque Senatus, vbi ille
Mille Senatores, quot curia vasta tenebat,
Nomine quemque suo felici protulit ore.
Illâ Scipiades *fretus, quot in* Vrbe *fuere* Scipio.
Nomina inoffenso tot rettulit ore Quirites.
Quid Senecam *loquar? ille semel vel lecta, fideli* Seneca.
Auditu vel capta memor bis mille ferebat
Verba, forent seu Graia, sonis seu dicta Latinis,
Barbaricis seu scripta notis, vah quale capacis

Prodigium ingenii! memoris quæ gratia sensus!
Ast Antonini *Virtus, & gloria maior*
Me rapit, & nostrâ memorem se postulat arte
Eloquióque cani; Qui vix egressus Ephebos,
Quis, quantúsque foret signis ostendit apertis.
Antoninus. *Ille puer cultâ Italiæ prognatus in vrbe,*
Quam vitreâ lauat Arnus *aquâ, Floréisque coronant,*
Virtutem cum lacte bibit, neque fugit amantem
Nutricem toties, quoties pietatis in vlnis
Hæret, & ambrosio virtutis ab vbere pendet.
Ludorum genus omne fugit, puerilia temnit
,, *Quãquam ætate Puer; sed quem sibi vendicat Æther*
,, *Quem Virrus diuina legit, non computat annos,*
,, *Dinumerátue dies, neque tempora nostra recenset.*
Nascuntur quâ luce Aquilæ, veniuntque sub auras
Hæc solem aspiciunt, atque huc audacia mittunt
,, *Lumina, quò reliquæ nequeunt melioribus annis*
,, *Mittere aues; Leo paruus adhuc tamen audet atroces*
,, *Irritare feras, & iam se credere bello*
,, *Optat, & audaces etiam prorumpere in hostes,*
,, *Dum necdum creuere iubæ, nec dum vngue minaci*
,, *Armatæ riguere manus, neque dentibus ora.*
Pietate insignis. *Omne igitur Pueri studium est, incumbere cælo,*
Sollicitare polum precibus, correcta fouere
Corda, vacare sibi, castos nutrire pudores
Templa subire, sacris aras incendere votis,
Virtutémque sequi, iámque amplâ splendet in vrbe
Penè Infans, paruúsque Puer iam magnus habetur.
Florebat tunc Ordo micans, quem charus Olympo,
Laus ordinis Sancti Dominici. *Et magnus meritis, & pleno clarus honore*
Dominicus *sanctis votorum arcebat habenis.*
Huc Iuuenes, si quos Virtus meliore polibat
Ingenio, si quos ardor cælestis agebat
In vitium, si quos ornata scientia, si quos
Cælituum diuinus Amor, Pietásque coquebat
Sensibus incensi flagrantibus ire solebant.
Quorum inter cœtus optas intérque sodales
Antonine *legi, votísque innectere sensus.*

Ille vbi diuino se sensit amore cieri,
Cœlestes expertus opes, non languit anceps,
Extraxítue moras, nec desidis instar abortit,
Sed fidens animi præfectum insignis adiuit
Ordinis, & votum mentísque arcana reclusit. Quem ambit Antoninus.
Illi equidem placuit Iuuenis generosa voluntas,
Ingeniique vigor, solersque industria mentis,
Mollior ast ætas, nec multum à pube remotus
Annus, & exiles ieiuno in corpore vires
Impediere senem, Puerum ne admittat, & illum
Inserat in sociæ commercia chara Iuuentæ.
Ne tamen immenso Iuuenis pia sensa dolore
Afficiat, luctúque sinus percellat acerbo,
Spémque omnem præcidat, vbi illum accepit in amplo
Versari Canonum decretorúmque *theatro,*
Subdidit hæc senior, Puer ignee, nostra subire
Antonine *nequis mysteria, deficit ætas.*
Necdum annus Tibi iustus adest, Tibi debile corpus
Ordinis & studiis, nostrísque laboribus impar.
Post annum modò cuncta memor decreta, *Patrúmque* Qui admittitur modò.
Et Leges, Canonésque *scias, linguáque fideli*
Euoluas, tum noster eris, sic credidit ille
Tantum onus imponens votum elusisse petentis
At non infracto Iuueni generosa voluntas
Languit, at contrà, creuit flagrantior æstus,
Virtutúmque sitis, votíque incensa cupido. Discat memoriter.
Sese ergo in studium, & libros secretior abdit,
Et Decreta *legit,* Canonésque, *& scita reuoluit*
Impiger, at vanus labor, Antonine, *Tibi omnis*
Cedet, & in cassos ibit contentio nisus. Gratiani Codicem.
Innumeros Canones, decretáque *mille,* Patrésq;
Mille scies? & mille Locos, *& mille tenebis*
Concilia? *An Tibi tanta subest in mente facultas,*
Vt mille explores Causas? *millena recurrat*
Quæstio? *mille Tibi* Capita, *& millena minutis*
Cum Paleis *subeat* Distinctio? *Vota coerce*
O Puer, æqua tuæ non sunt conamina mentis,
Vix totum croceo temone peregerat annum

Delius, & solitos percurrerat aureus orbes,
Cùm redit ad Patrem Iuuenis, sed plenus, & ingens
Corpus mente ferens, & magna volumina gestans
Scrinia Pontificum, Legésque, Æquique medullam,
Et me iterum, Pater, inquit, habes, nulláque morari
Arte potes, iam vester ero, quam Tu optime legem
Indideras, impleui auidus, Decreta voraui,
Addidici Canones, nihil est in Corpore Iuris
Pontificum, memoris quod non stet mentis in vlnis.
Et simul, attonitis, quos Actio tanta vocarat,
Planus inoffensâ numerosa volumina linguâ
Mille citat Patres, Canonésque, instárque legentis
Omnia syncero promptissimus expedit ore
Hoc tandem memoris monstrum spectabile mentis.

Quem totũ non sine memoriæ miraculo didicit & recitauit.





RHETORICAE


Teneris Pindi quæ ſtricta catenis,

Pars hæc Poſterior,

Mores, motuſque recludens.



M. D. C. L.



LIBRI DECIMI TERTII PROLVDIVM.


CVM rerum omnium Cenſor & Ariſtarchus importuniſſimus Momus humani corporis fabricam intuitus, omnia eius membra ita opportunè collocata vidiſſet, vt ſi vel vnum moueretur, labarent omnia;

Cùm gemina vultus aſtra, & æquor extentum
Frontis, & amœni cerneret roſas oris,
Genáſque molles, comparata cui Sidon,
Murexque Tyrius, non coruſcat obſcurus;
Cùm ſenſa capitis, auriùmque Mæandros,
Habiliſque facilem cerneret ſitum linguæ,
Caluæque tegimen, criniúmque ſuggeſtum;
Cum membra varia, & implicata membrorum
Officia, tótque cartilaginum fila,
Ramos tenaces cernerétque neruorum,
Arteriarum tot micantium pulſus,
Fulcrum tot oſſium, alueóſque Venarum
Opus eſſe dixit arduâ manu dignum,
Diuinioris fabricam inclytam mentis
Tanto ſed operi deeſſe maximum cultum
Quod ille nullas Artifex fores ad cor
Pandiſſet homini, flexibúſque contortis
Feciſſet inuiam viam medullarum.

Et verò laborioſum imprimis illud eſt,


dignoſcere mentem hominum, & eorum ſcrutari medullas, & id ſibi tanquam priuilegium, & ſupremam prærogatiuam Deus vendicare viſus eſt. Neceſſarium tamen eſt vt in mores & indolem hominum Orator inſpiciat, vt motus excitet, affectúſque confundat; Quomodo enim aut iram, aut Amorem, aut odium, aut cæteros pectoris quaſi ſatellites armare poterit, niſi eos nouerit, qui ad Iram, ad Amorem, aut Odium fuerint naturâ propenſiores?

Cùm ergo Oratori non vtile modò, ſed penè neceſſarium exiſtimem mores agnoſcere duos tréſue libros morum cognitioui conſecrabo, quorum primus ætatum, ſexuum & quorundam habituum indoli, moribúſque tradetur, vbi ſolito more à Diis auſpicati fuerimus.



LIBER DECIMVS TERTIVS

De Moribus Ætatum & Sexuum.



Propoſitio.

Ptatus liber iſte mihi eſt, quo deuia Cordis,
Et Morum *natura petet, quo humana Voluntas*
Panditur, & noſtra ſecreta latentia Mentis
Emanant detecta foras, & aperta feruntur.
Non tamen id ſperare licet, niſúque ſuperbo
Inſuetas tentare vias, niſi Numine veſtro

Fœcundam

Fæcundam mihi detis opem, quibus ardua morum
Iura Deæ formare datum est, mihi dicite Motus,
Pandite secretas animi, morúmque latebras.
Quò meus huc Orator eat, populósque frequentes
Excitet, affectúsque ferat, Motúsque gubernet. Inuocatio.
Rhetorice *Regina sacra est, cui multa supellex,* Cap. I. De motuum necessitate.
Et multa traduntur opes, cui Regia, Mens *est,*
Mnemosyne *thesaurus, apex, fulgórque coronæ*
Actio. *pro solio* Labium *est, pro milite multo*
Argumenta, *toga in morem & prædiuitis ostri*
Lasciuit Stylus, *ínque sinus extenditur amples,*
In sceptrum se Lingua *acuit, pro legibus* Ordo *est,*
Propugnator adest, crebríque satellitis instar Regius apparatus Rhetoricæ.
Motus, *& armatâ stipat latus vndíque turbâ,*
Quo sine Rhetoricæ *nullus foret ardor, & omnem*
Segnities, torpórque malus pessundaret Artem.
Propterea, Calliste, *tuas huc coniice curas,*
In Motus *incumbe graues, vt cætera desint,*
Si tamen humanas Motu *tentare medullas*
Noueris, & validas Affectu impellere mentes
Magnus eris, punctum omne feres, si motibus ardes.
Sed quò ritè queas animos superare, sinúsque
Afficere, & vario mentes confundere motu,
Diuersos mores populorum agnosse decebit,
Scrutaríque sinus, & quas diuersa medullas
Conditio, & Sexus, diuersáque conferat ætas.
Non omnes idem Motus decet, arduus illos
Æstus, & augustæ generosa superbia famæ
Excitat, hos flaui mouet ignea gratia lucri,
Affectus alios tristis sortitur egestas,
Atque alii comitantur opes, nec motibus iisdem
Tanguntur Iuuenes, quibus angitur ægra senectus. Cap. 2. De moribus. Iuuenũ
Nam Iuuenes incendit honos, & cæca gubernat
Ambitio, & vanæ mulcent suffragia famæ
Hinc illos non damna mouent, nec acerba retardat
Asperitas, per busta volant rigidósque per enses,
Vt decus excerpant, & honorâ laude triumphent.
Hinc subitâ turgent iræ, crebríque feruntur

Informidatos irâ dictante tumultus,

Sũt Ambitiosi. *Si quis magnanimam ad laudem currentibus obstet.*
Non secus ac cùm creber aquis exuberat amnis,
Hiberna quem auxere niues, vel deflua cœlo
Vnda, vel irrumpens alio de flumine fluctus,

Cũ torrente comparati. *Si molem, aggestósque obices opponis, vt inter*
Claustra fluat, scriptósque alueos, nec in arua feratur
Præcipitans, furit intus, aquis illidit, & ingens
Murmur agit, spumátque vadis, & iactat arenas.

Liberales. *Non sic ad nummos, aut flaua æraria currunt,*
Aut dites fundos, patrimoniáque ampla requirunt,
Venturos spreuere dies, curámque futuri
Ablegant procul, & præsenti sorte fruuntur.

Spe nutriuntur *Spes tamen in Iuuenes dominatur, & intima pulsat*
Pectora, nec dum illos delusit opinio fallax,
Mentitaéque vices rerum, casúsque sinistri
Hinc Hebe ornata felix præfecta Iuuentæ
Mollia de viridi texit sibi pallia panno.

Mens illis non apta dolis, nec idonea fraudi
Corda patent, nec dura fouent in sensibus imis

Faciles ad amorem- *Aut odia, aut rigidos inflexo pectore mores*
Hinc illos inter blandi stringuntur amores,
Et molles nexus, & dulcia vincla feruntur.

Damonis *celebratur Amor,* Pythiæque, *Iuuẽtâ*
Floruit hic, vt & ille, ferox terrore satelles
Damonem in neruum, funestáque vincula cogit,
Quid faciat? tetro Damon *harebit in antro,*

Historia Damonis & Pithyæ. *Nec socio feret alter opem? quò transiit illa*
O Pythias *iurata fides? vbi fortis amoris*
Fœdera, captiuo quæ cum Damone *iugaras?*
At chari memor ille fuit Damonis, *in antrum*
Carceris, & sæui subit aspera iudicis æra,
Inque vadem certum se præstitit, exiit alter,
Sic tamen vt certam sese nisi sistat ad horam,
Exerat in Pythiam funestus acumina lictor.

Iámque aderat præscripta dies, nec iu aspera Damõ
Vincla redit, violenta vadi iam fata parantur
Iam Pythias *moriturus adest, iam ducitur insons,*

Iam ceruix ferienda patet, iam stringitur ensis
Siste tamen lictor, Pythiam *ne percute*, Damon
Ecce redit, *Meme adsum, inquit, reus ipse, securim*
Stringe, sed in me vnum, lictor, si crimina plectis
Has venas incide, meos effunde cruores.
Fraus nulla in Pythiâ est, si quod scelus, ipse patraui.
At Pythias, *Age tortor, ait, ceruice resectâ*
Exsatia nostro crudeles sanguine cultros;
Damoni *sed parce, vllo est sine crimine* Damon;
Noxia si qua admissa, meo noxa illa luatur
Sanguine, próque meo liceat Damone *perire*
Miratus præses Iuuenes, é funere vtrumque
Eripit, ínque suos vtrumque poposcit amicos.
Præterea in molles lusus, & amœna feruntur Proni in
In studia assidui, cursúsque, & agrestia campi lusus &
Gramina, & intextas maculas, plagulásque, canésque, recrea-
Quadrupedésque petunt, ceruósque, caprásque volantes, tiones.
Et lepores pleno gaudent incessere campo.
Contrà autem procul à Musis, & ab arte Mineruæ
Auertunt curas, illos quippe ardua torquet
Asperitas, algórque premit, terréntque labores.
Prompta etiam neruísque potens, & inepta Iuuentus Validi.
Consilio est, sensúque minor, nam sanguis, & ardor
Insedit venis, placidæ neque libera menti
Interualla facit, rationem intercepit omnem
Impetus, & sensum violentior occupat æstus. Cap. 3.
Dispar exactam flectit natura senectam, De mo-
Dissimilésque regunt diuerso in pectore mores; ribus se-
Vtque ætas diuersa senes, sic motus & illos num.
In diuersa rapit, Senibus *prudentia maior*
Insidet, ætatis longus quam comparat vsus Sunt
Consiliis ideóque Senex *aptissimus, & qui* Pruden-
Præsit, & in sancto dicat qui iura Senatu. tes.
Nam sensu meliore viget; Temerarius ardor
In Senibus *iacet, ínque illis posuere cupido,*
Ambitióque nocens, & turbidus æstus honorum
Nec vitiis caruere, metu torquentur inani, Meticu-
Frigus enim exhaurit vires, flammámque vigoris losi.

Magnanimi altricem mediis extinguit in vlnis.
Hinc mortem vicinam horrent, vitaéque tuendæ
Seruandíque animi multo tanguntur amore
Ipsi etiam & gazas, & crebra araria condunt,
Tenaces *Diuitias rimantur, opes sectantur auaras*
Solliciti, nummósque parant, seruantque paratos.
Vnde Senes *Latiæ mordax comœdia scenæ*
Imponit passim, Demeámq;, Lachémq; Cremẽq;,
Quos auri sitis alta premit, turpísque fatigat
Queruli. *Æstus auaritiæ & seruandi arrecta cupido.*
Exactum extollunt æuum, præsentia temnunt
Tempora, venturos soliti culpare Nepotes.
Vt verò in senibus posuere cupidinis ignes
Sapientes. *Illos propterea sapientia clarior ornat,*
Et potior virtutis honos, æquíque tenaces
Iustitiaéque duces nequeunt ignoscere culpæ.
Rigidi. *Hinc rigidum Phlegetonta senes rexisse, vel asper*
Æacus, *aut durâ* Minos *grauitate feruntur.*
Cap. 4. De constantis ætatis moribus *At constans ætas florentiùs ardet vtráque*
Quâ gaudent ætate viri; *stat enim inter vtrumque,*
Inque vtriusque venit partem, Iuuenúmque vigore,
Maturáque simul senii grauitate potitur,
A vitiis vtriusque fugit; nec tarda, grauíque
Perfectiores viri *Intricata gelu, lassæ quæ noxa senectæ est,*
Nec Iuuenum effrænes animos, dirósue furores
Aduehit, aut calidas circum præcordia flammas
Magnanimi *Magnanima est, cingit tamen apta modestia mores.*
Quod Iuueni plerúmque deest; matura, sagáxque est
Et tamen in celeres fertur fortissima motus
Modesti *Quod luget sibi deesse senex; quid plura? coërcet*
Virtutes illa vna omnes, quibus apta Iuuentus,
Longæuúsque senex disiunctâ ætate fruuntur.
Cap. 5. De moribꝰ fœminarũ. *Fœmineis alia est animis natura, nec iidem*
Descendunt mores diuersi in pectora sexus
Mollior est motus quo Fœmina tangitur, olli
Lenior effinxit faciles Natura medullas:
Misericordes *Hinc pronæ afflictis norunt miserescere rebus,*
Et blandæ in tristes hominum descendere casus.

Procliues in sacra Deum, & pietatis alumnæ
Creduntur, facilésque sinus clementior intrat
Relligio, & sanctas diuini Numinis ædes
Flexanimâ pietate colunt, & mollia gestant,
Lumina, & in lacrymas teneræ funduntur apertas.
Crebriùs hinc sacram mites hausere puellæ,
Inque alios sparsere fidem; sic magna Clotildis
Ingundéque *micans, &* Theodolinda *seueras*
Instituere Tribus, Francósque, Gothósque feroces,
Et qui Scandauiâ *Italiam petiore relictâ*
Illa sed intactis propria est dos prima puellis, Pudicæ.
Fœmineósque choros laus tangit, vt integra seruent
Pectora, & ingenuâ foueant in mente pudores.
Nulla illis tormenta, feri non æra Perilli,
Non Diomedæi *præsepia dira Tyranni,*
Non flammæ, non busta, pares inferre dolores
Non nerui, non lora queunt, non gurgitis alti
Eluuio, non vnda minax, non membra reuulsa,
Vt probri metus, aut intactæ iniuria vitæ
Ebba *sacri dux prima chori, sub quâ ordine puro* Cap. 6.
Viuebat centena Nurus, legémque pudoris Historia
Scribebat niueis cœlo dictante puellis. Ebbæ de
His animus simul vnus erat, sancita tueri sumpta
Æterni decreta Patris, licitíque cubilis ex Anna-
Illecebras terere, & Cyprias hebetare sagittas. libus
Illis ignotum fuerat vel nomen amoris, Anglicis
Ni quem Cœlituum gignit fauor, omnia philtra
Damnabant, gremióque niues custode fouebant.
Ebba *ergo immanes vbi cepit in omnia Danos*
Grassari, stuprumque sacris inferre puellis,
Heu quid agat suspensa? fugâ præcisa salus est,
Spes nulla externis in viribus, omnia desunt
„ *Subsidia; at nunquam sibi defuit inclyta virtus,*
„ *A seipsa auxilium Virtus petit; inuenit in se,*
„ *Quo vires atqae arma premat, quo proterat hostes,*
Et quo virgineos victrix defendat honores:
Audax consilium menti subit, astra dederunt
Consilium tam grande, micans quod Virgo coactas

Magnanimo in reliquas sic diuidit ore sodales.
Chara phalanx, dilecta Deo, cui corda, sinúsque
Vouistis, niuei cui mollia iura pudoris
Promisistis; atrox, quid enim simulabimus vltrà?
Discrimen nobis impendet, & vltima voti
Pernicies, miseras etenim nos vndíque cingit
Dania *plena minis, rabidísque furoribus horrens,*
Sæuitiam, mortémque ferens, sed fata, necémque,
Et gladios offerre parum est, furatur honoris
Thesaurum, castíque decus spectabile voti.
Nos illibati felix possessio cœli,
Sideribus deuota cohors tam fœda feremus

Quæ cũ socijs sibi nares præcidit

Opprobria? & turpis sternemur victima monstri?
Non ita, chara parens, inclamauere sorores,
Non ita, mors nobis tanto præ crimine grata est.
Vnum igitur vobis, charissima pignora, restat,
Quo solo intacti est custodia tuta pudoris,
Si facitis, quod sum factura, hæc denique nobis

Vitatura iacturam pudicitiæ

Vna super ratio est, quam si contemnitis, eheu
Infœlix erimus probrosi præda furoris.
Omnia virgineus spondet chorus, Ebba *repente*
Educto nares gladio præcidit, & omnem
Ornatum vultus intercipit; Ilicet omnes
Exemplum Matris fortes illustre secutæ
Naribus exsectis vultus fœdare decorem
Incœpere Nurus; Quid non cœlestia tentant
Pectora? siderei quid non meditantur Amores?
„ *Vt vidit vultus* Geta *barbarus, horret, at ora*
„ *Vel nares truncas ne respice barbare, mentem*
„ *Virtutémque vide, intus inest decor inclytus, intus*
„ *Forma micat, speciésque imis in sensibus ardet.*
„ *At brutis mens pulchra oculis non cernitur, intró*
„ *Barbaries penetrare nequit, crudele Puellis*
Intulit exutâ dulcedine Dania *fatum.*

Cap. 7. De fortitudine fœminarum.

Hæc in fœmineo Virtus altissima sexu est,
Nam vires, robúrque viris, & fortia linquunt
Pectora, & indómitos inuictâ mente labores;
Quamuis innumeræ validâ virtute puellæ

Æquarint digno claros Heroas honore
Nam cùm membra duo stringat fortissima virtus
Audacter contorta pati, & simul ardua magno
Pectore suscipere, & cœptis imponere finem
Fœmineæ quas non pœnas vicere cohortes?
Quid fortes memorabo globos? quid ouantia dicam
Agmina quæ rubeis in cœlum euecta quadrigis
Funereas domuere neces? & quidquid acerbum
Exerere immanes vnquam potuere Tyranni.
Quot verò generosa manu certamina Matres?
Gesserunt quot bella Nurus? Quot Amazones *armis* Fortes Amazones.
Æquauere viros? Ipsum petiere sagittis
Amphytrioniaden, *& quem formidat* Achillem
Troia *ferox*, Hectórque *fugit, generosa lacessit*
Penthesilea, *trucis neque murmura grandia coni*
Horruit, aut diræ verita est hastilia dextræ.
Quis Latias acies? quis florida regna Quiritum Zenobia
Nesciit Eoæ propè diruta Marte puellæ?
Quis Babyloniacæ *regales Principis ausus* Semiramis.
Nesciit? & magni quis nesciit agmina Cyri
Fœmineâ cecidisse manu? Persásque *feroces*
A Scythiæ *dominâ caeso cum Rege perisse?*
Cyrus *enim tumidum multâ rate iunxit* Araxem,
Et vastas superauit aquas, orámque Scytharum Cap. 8.
Ingreditur, cautóque ducem stratagemate vincit.
Quippe metum simulans, vbi castra epulísque, meróq;
Implesset, refugit; Quod vbi Regina triumphans Tomyris.
Accepit, veros, quos tantùm finxerat hostis,
Credidit esse metus Tomyris, *Natúmque coronæ*
Hæredem, spem regni vnam, solamen adempti
Coniugis, Egregium Iuuenem, cui prima micabat
In pulchris lanugo genis, & forma virilis,
Spargapisem *numeroso Equitũ cum examine mittit,* Filium in Cyrũ mittit.
Desipiens, Iuueni tantos quæ credidit ausus,
Vnigenámque vocat tanta in discrimina Natum.
Ille alacrem Pæana canens, hilarésque triumphos
Præcipiens in castra venit, lixásque relictos
Cædit, & insueti mensaéque, dapísque, merique

Discubuere Scythæ *, plenos crateras* Iaccho
Obducunt , illósque priùs deterrima vincit
Ebrietas , quàm Persa *, scyphi quàm tela , soporem*
Quem deceptũ *Insert exhausti creberrima copia vini,*
Supplantátque pedes luctâ fallente Lyæus
Extincto iacuere foco , neque castra tuentur
Excubiæ , nondum hostis adest , & proxima morti
Castra iacent , Tùm Persa *repens ruit agmine toto*
Securósque necat partim . mortémque sopori
Cyrus intercipit. *Copulat, exhaustum reuomunt cum sanguine* Bacchũ
Massagetæ *, vastísque liquens cruor effluit agris*
At pars astrictis innectitur inscia vinclis.
Nec dum etenim somnos excusserat , excita quamuis
Castra sonent , vastóque fremant concussa tumultu.
Regius hos inter vinctus puer , ille ruinam
Castrorum vt vidit sibi redditus , exiit à se
Rursus, & antè quidem à se aberat detrusus Iaccho;
Nunc illum furor , & probrosi infamia facti
Euertit , spémque omnem vnà cum mente reuellit.
Dedecus vlcisci Princeps parat illud , at in se
Vlcisci parat, ergo manum (sibi quippe leuari
Obtinuit nexus , & ferrea vincula solui)
Coniicit in chalybem , versúmque in pectora ferrum
Impellit , læuémque truci forat ense papillam.
Labitur exanimis ; Rex Persa opplorat , iterúmque
Cæsum remittit ad matrem *Conditum multo perfudit odore cadauer*
Mittendum matri placidis cum vocibus , ægrè
Se fata illa tulisse , sibi certaminis huius
Primitias extare graues , non se arma , trucésque
Deduxisse globos , quò mactet , & edat acerba
Fata, sed vt vincat , non se pugnare furori,
Sed famæ , nec auaritiam , sed ouantia laudis
Se decora inspicere , atque annis certare futuris.
Spargapisis charum matri se reddere corpus
Cæsum equidem , inde tamen solatia grandia carpi
Posse , quòd inuictus spectabile funus obiuit,
Et libertatem multo non emerit auro,
Sed ferro ipse sibi , validóque parauerit ense.

At Tomyris confossa videns præcordia, matrum
Non fleuit de more, dolor cohibetur, & imo
Luctum corde premit, lacrymis nec inanibus orbum
Nati funus alit, sed se in solatia diræ
Effundit vindictæ, illi est medicaminis instar
Vindictæ desiderium, & vesana cupido,
Tollit & immodici sensum Vindicta doloris,
Qualiter in Geticis Tygris sæuissima lustris,
Cui rapti exeso rupis de viscere fœtus,
Sæuit in authorem facti, neque tela, neque enses
Impediunt, celeri quin impete furta sequatur,
Séque, modò in furem ruat, in discrimina mittit.

Illa dolore furens.


Vindictã meditatur

Ergo omnes scrutari artes, fraudésque, dolósque
Queis Persas petat, antè tamen, ne, Cyre, *superbi*
Scripsit, *& immodico nimium ne applaude tumori,*
Quod Iuuenem incautum turpi deceperis astu.
Non armis illum, aut validæ certamine luctæ
Vicisti, insueti vetitâ sed fraude veneni,
,, Audaces odere dolum, fraudésque malignas
,, Magnanimi nec ferre sciunt, aut edere possunt
,, Parco tamen, quia fœmineas clementia mentes
Inprimis decet, arma meis si è finibus aufers
Si patriam repetis, tumidúmque reuisis Araxem.
Cyre, *redi impunis, potere hac quam natus inermis*
Concessit palmam, fruitus regione Scytharum *es,*
,, Fortunæ ne crede tuæ, volat illa, leuésque
,, Insidiosa sibi compingit ad ilia pennas.
Quod si instas vltrà, & verbis parere recusas,
Iuro per ætherei flagrantia lumina Solis
Quem colimus, cuiúsque nefas contemnere Numen
Informi te, quamquam aui dum satiabo cruore,
Effusóque tuum cumulabo sanguine guttur.

Spreuit Persa *minas, & palmæ certus honoræ*
Incœptum molitur iter, cui furta, dolósque
Insidiásque locat Tomyris, *nempe arcta locorum*
Angustásque vias, & non remeabile montis
Cyrus *limen adit, quem captum errore viarum*
Aggreditur Regina, nihil tua dextera, Cyre

Et Persas in angusta cõiectos.

Nil fortuna fauens, nil laudatissima virtus
Profuit, innumeræ è Persis, Medisque *cohortes*
Fœmineâ periere manu, lacrymabile Persis
Hæc lux obduxit furuâ caligine cœlum.
His fleuere poli; nam tum perit omne Iuuentæ
Cū Cyro interficit. *Robur, & ipse etiam medio in discrimine pugnans*
Hactenus heu victor confossis cæditur armis
Cyrus, *& obscuro pretiosam vulnere vitam*
Amittit, tanti fit fœmina causa triumphi.



LIBRI DECIMI QVARTI PROLVDIVM.

FAsces, prætextæ, secures, magistratus & ea omnia quæ ex aduentitio fulgent, non modò in intimos sensus non penetrant, sed ne ad corpus quidem ipsum adhærescunt. at in aliquâ pompâ veluti in theatro ad plausum aucupandum in oculis omnium collocata sunt, & tamen mirum est, quantam morum varietatem inuehat condicionum & fortunarum illa varietas, & quàm variè animum fingant atque componant honorum gradus, dignitatum subsellia, mutationésque fortunæ, vt quem superbum diuitiarum lenocinium applausúsque reddebat, abiectum, & diffidentem reddat inopiæ egestatisque miseria;


Quid miser luges? quid iners dolente
Pectus imbellis laceras querela?

Quod Tibi gazas vaga ſors ademit?
Quid ferox turges? quid inanis aſtu
Mentis abrupto leuis intumeſcis
Quod Tibi gazas vaga ſors profudit?
„ *Nullus idcircò nimis inſoleſcat,*
„ *Quod fauens blandâ potiatur aurâ;*
„ *Nemo diffidat, quòd atrociori*
„ *Sortis infauſtæ feriatur ictu;*
„ *Qui modò indignos gemit inter ictus,*
„ *Et fatigato premitur labore,*
„ *Mox erit felix, & amica vitæ*
„ *Liber à ſortis trepidæ tumultu*
„ *Gaudia ducet.*
„ *Qui modò effulgens micat inter oſtrum,*
„ *Quem fouet dulci gremio voluptas,*
„ *Quem fauor molles tenet inter vlnas,*
„ *Mox rotâ versâ mala ſors eundem.*
„ *Sternet oppreſſum, pedibúſque tritum*
„ *Coget obſcuris latitare in vmbris*
„ *Sors vices verſat, leuibúſque fertur*
„ *Lubrica pennis.*

Quod ſi ea quæ in extraparatu quodam tantùm poſita ſunt, tantam vim in hominum moribus formandis & componendis obtineãt; Quid de iis dotibus exiſtimandum erit, quæ corpus afficiunt? vt Nobilitate, quæ in ſanguinis quodam quaſi flore conſiſtit; vt pulchritudine, quæ ex colorum temperie, & aptâ lineamentorum deſcriptione componitur; Vt robore; quod ex oſſium ſoliditate, & neruorũ firmitate conſtruitur; Vt ſanitate, quæ in digeſtâ partium omnium affectione verſatur; quantã porrhò in moribus & affectibus viciſſitudinem, eas inquam dotes, & prauitates ijs contrarias quæ corpus inficiunt, effecturas credendum eſt?

Quid verò de ijs dicam, quæ non modò in corpore animi quadam quaſi veſte hærent

extrinſecùs, ſed in intimas medullas ſinúſque deſcendunt, vt Ambitione, Auaritiâ, Gloriolâ, Garrulitate, & cæteris huiuſmodi, quantam hæc omnia morum mutationem inducent? Horum igitur omnium & affectiones & characteres ſequentis libelli faſciculo colligemus.



LIBER
DECIMVS QVARTVS
De Ingenio & Moribus Conditionum & Habituum.



Æquoreos tentare ſinus, & carbaſa ventis
Pandere, & Ionij *fluctus tranſcendere Ponti*
Propoſitio. *Nauta quis* Æolij *placidâ ſine Numinis aurâ*
Audeat? & Zephyros *niſi mulſerit ante ferentes?*
Sic Ego nec cæcos animi penetrabo receſſus,
Nec morum tranabo fretum, dubiáſue ſubibo
Inuocatio. *Ingenii mentíſque vias, quin antè ſecundis*
Vos ô Præfecta morum placauero votis.
Diuerſos ætas non ſolum in pectora mores,
Aut ſexus vehit, ipſa etiam Sors intima cordis,
Et mentes Fortuna regit, fingítque medullas.
Cap. I. De ingenio Regũ *Regia magnanimos generant præcordia motus,*
Excelsóſque animos, vt cùm cæleſtia Diuûm
Attingant propiore gradu faſtigia Reges,

Diuûm etiam mores imitentur, & indole magnâ
Augustæ incumbant in ouantia munera curæ.
Non parcâ dant dona manu, sed nobile nacti Sunt Augusti.
Ingenium, excelsæ credunt hæc prima coronæ
Iura, quod in multas extendere munera turbas,
Et mentes vincire queant. & dona per omnes
Spargere, & officiis varias constringere gentes.
Sunt Reges *astrorum instar, quæ lumina laté* Liberales.
Proiiciunt, laxásque suis splendoribus oras Comparati cum astris.
Illustrant, totúmque replent influxibus orbem
Hi fontis non more fluunt, tenuísue canalis
Quem tubus angusti deriuat in æquora campi,
Sed pinguis Nili instar eunt, quem fluxus aquarum
Ducit opimantem latæ sola maxima terræ Cũ fluuiis ingentibus Clemẽtes.
In magno quoque sancta sedet Clementia Rege
Illius hæc dos prima, Deum non ditibus æquat
Thesauris, opibúsque, sacræ non murice vestis,
Non crebro armorum fremitu, non milite multo,
Hæc Reges *terrena, eadem cœlestia Diui*
Imperio meliore tenent, his astra, políque,
His laté parent diffusa volumina cœli,
Hos nubes pro veste tegunt, hos turbo, mináxque
Tempestas, tonitrúque ferox pro fortibus armis
Stipat, & horrificis saliens é nubibus ardor.
In quo ergo æquantur magno cum Numine Reges? Comparati cum Deo.
Naturæ bonitate; eadem est clementia, quâ Rex
Indulget populis, eadem quâ Regibus *ipsis*
Indulget Deus? & soli Clementia Regi
„ *Conuenit, in faciles aliis descendere mores*
„ *Concessum est, solos decorat Clementia* Reges.
„ *Hac* Reges *nil maius habent, ignoscere nouit*
„ *Excelsi quodcunque animi est, prostrata ferire*
„ *Nescit, & abiecti gemitus leo supplicis audit.*
„ *Rex generosus apum stimulo caret, & caret irâ,* Cap. 2. De variis conditionibus.
„ *Infirmum, crudele quoque est; At Regia nescit*
„ *Vlcisci natura, suas sed comprimit iras.*
Augustos meliore duces vt sanguine tangit
Nobilitas, *Regum sequitur sic indole mores*

Nobiles ambitiosi.

Illa autem exacuit mentes, laudíque superbæ ;
Inuigilat, validísque decus conatibus ambit
Ne Patrum titulos, aut stemmata grandia fallat
Aut in venturos descendat noxa Nepotes.

Diuites superbi

In fastum tolluntur Opes, *penuria contrà*
Deprimitur, sordénsque animos elidit Egestas.

Paupe-res humiles.

Militiam *atrocem contorta superbia cingit,*
Et tumor, & diri sanies iniusta furoris

Milices sæui.

Pastorum *genius facilis, spectabilis illos*
Simplicitas commendat, oues, quas gramine pascunt,
Et ducunt in prata, sequi bonitate videntur.

Pastores simplices.

Durior in Nautas cecidit natura, marísque,
Contraxere feros ex assuetudine ritus.

Nautæ acerbiores.

Incumbit lucro Mercator *& vtile dulci*
Præponit, durósque ideò perferre labores
Non dubitat, pelagíque minas, ventósque subire,

Mercator lucri studios⁹.

Vtilitas si læta patet ; fastidit Arator
Omnia, quo charo segetum potiatur amore,
Et sulcos subigat, rastróque repastinet vnco.

Aratores diligentes.

Alta Senatores *grauitas, indéxque rigoris*
Grande supercilium commendat, vt ima Clientes
Conditio obsequii fac'les in debita reddit.

Senatores graues.

Nec solùm sors ipsa, Habitus *sed & intima cordis*
Et mentis venas regit, effingítque medullas.
Propterea variæ dicenda affectio mentis,
Scrutandique sinus, describendúsque character.

Clientes obsequiosi.

Vilis Adulator, *vano cui lubrica finxit*
Instabiles natura sinus, mutatur in horas
Protheus, *& sese alterius componit ad vsum,*

Cap. 3. Varii characteres. Adulatoris.

Ingeniúmque sequax deflectit, & omnia laudat,
Multáque fucatis adhibet mendacia verbis.
Illi fictitiis tentat quem fallere philtris
Assiduus studet ire comes ; si forté loquatur
Imperat extensâ secreta silentia linguâ,
Et stupet ad voces, & verba loquentis adorat.
Prætextæ tenuis si floccus adhæreat, aut si
Mobilis intonsis volitet festuca capillis
Excutit ille palam, & famulos incusat inertes,

Qui tam concinnis paleas hærere capillis
Permittant, si forte via est peragenda, præibit
Vanus Adulator, *fiat quis & obuius, illum*
Stare, vel è medio secedere calle iubebit.
Discumbat conuiua, epulas laudare, merúmque
Incipit, & lautæ splendentia fercula mensæ,
Sicanias *culpátque dapes, tenuésque catinos*
Luculli, *mollísque toros condemnat* Apici
Areolas subeat faciles, séque inferat hortis,
Has Zephyri *canet esse domos, aut culta* Fauoni,
Aut miros Babylonis *agros, aut iugera* Maii,
Aut opus Alcynoi, *aut placidæ viridaria* Floræ
Sin ædes & magna domus penetralia lustrat,
Appositas ait esse fores, benè aperta patentum
Ora fenestrarum, Pario *de monte columnas*
Aduectas ait, & lectæ ardua robora syluæ
In rectas cessisse trabes; iam parua parabit
Munera, poma, nuces, & paruæ frusta placentæ,
Spargenda in teneros spectante parente puellos.
Ipsa suos quoque Garrulitas vehit improba mores Cap. 10.
Linguæ profluuium, sermonis inepta supellex, Garruli.
Et vitium muliebre; loquax agit vndique rimas,
Mille locis cribri instar hiat, non rana paludis
Ima tenens, sudæ sub prima crepuscula noctis.
Ingrato toties vndas clamore fatigat;
Non ita cùm primùm verni rediere tepores
Externa Australi veniens è limite Prochne
Garrula rostra mouet, vel verberat aera linguâ
Garrulus *omnis ineptus, & importunus vbiques est*
Lingua illi assiduâ calet indigesta loquelâ
Omnia se nouisse, inquit, Téque occupat, & si
Tentas verba loqui, illa tuo furatur ab ore.
Consessus adit ille frequens, quò multa parerga
Inuehit, & nunc res Italas, *nunc* Belgica *facta*
Bannerij *nunc gesta ducis, nunc Regis* Iberi
Consilia, aut Veneti *narrat decreta Senatus.*
Quidquid habet Gazeta *tenet, quid* Turcicus *hostis,*
Quid Valachus, *quid* Persa *paret, quæ bella* Polon⁹

Inchoet, Hungarici *quæ sit descriptio regni*
In medium iacit & languentes enecat aures
Quod si æquas aures inuenerit, omnia fundet
Franciscum, Carolúmque *inter certamina, quippe*
Monlucium *raptim*, Iouium *vel legit, & omnes*
Commemorat gestas vario certamine cædes
Tonstrinas inuisit; ibi sua somnia narrat,
Illic venturi loquitur de frugibus anni,
De luxu, pompáque hominum, de coniugis irâ,
De nimio pluuiæ, nimio de grandinis ictu
Conqueritur, vastâ numerat quot in vrbe Coloni,
Quot curuum Armoricæ portum subiere carinæ
Si surgas abiturus; Ego Te Garrulus, *inquit*
Consequor, & quò nunc iter est? Tecum ibo, nec vlla
Res superat mihi agenda, suos tùm narrat amores,
Deliciásque suas, versus quot condat in horam,
Picturam quàm ritè sciat. quæ prælia miles
Viderit, in timidos quæ spicula miserit Anglos
Et quàm magnanimum celebris se Rhæa *probarit.*
Rumores quoscunque legit, quò spargat, & vrbis
Compiia, & omne forum vagus, & triuiũ omne pererrat
Nullum illi secretum, aliquid si credis, & illud
Fudit, & in varias dispescuit ilicet aures.
Magnus Romuleâ ius dixit in vrbe Senator,
Cui coniux rumoris amans erat; Illa maritum
Sæpe rogat, pleno quæ sint edicta senatu
Quæque togatorum fuerit sententia Patrum.
Sæpe negat responsa senex, sed & acriùs vxor
Sollicitat, querulâque virum prece sæpius ambit
Tùm pro syncerâ fictam ratione Senator
Subiicit, & visas iaculo galeáque rigentes
Auguribus respondet aues, habitum esse Senatum
Propterea, nulli dictam rem prodat; at illa
Vt cessit Coniux, alii rem detegit; Alter
Rursus in alterius rem garrulus iniicit aures;
Tertius hic quarti deponit in auribus. ipsum
Donec ad authorem monstrosa affertur alaudæ
Fabella, ante etiam templi quàm limen adiret.

Rusticitas spectanda quoque est in moribus, ambit Cap. 7.
Rusticitas alios, aliis incumbit honestas. Rustici.
Rusticus est, non quem villæ, vallésue remotæ
Seducto peperere sinu, vel rupea cautes
Aspicit infantes fundentem lumine fletus.
Sed qui desertis exercet digna latebris,
Inque rudes curas vitámque & pectora confert.
Nunquid enim agresti dignus qui degat in aruo
Soliuagas intérque feras, qui digna virorum
Colloquia, atque hominum consortia splendida fœdat?
Qui cùm vel Casiam, aut Malachē scribente Galeno
Hauserit, & domitum soluentia pharmaca ventrem,
Rostra tamen populosa petat? scenásque frequentes
Intret? & in plenis contendat adesse theatris?
Qui molles Arabum segetes, & aromata dulci
Suffitu pretiosa, fimo componat inerti?
Et similes stabulis vernantes afferat hortos?
Qui non cognatis, fidis non credat amicis
Non illos in tuta vocet secreta, sed imos
Exploret seruorum animos, & ineptus ab illis
Consilium petat, & mentis penetralia pandat?
Qui viles operas, agrísque addicta colendis
Mancipia, & tenui artifices mercede locatos
Participes rerum, quas concio publica tractat,
Efficiat? vel quæ Turca metuenda, recludat?
Cùmque penum, quãquam ipse domus sit rector, adiuit,
Raptim frusta vorat, vel furtim obducit Iacchum?
Ancillæ fugiens oculos, & lumina testes?
Qui mensæ dum accumbit, equo panémue, merúmue
Obiiciat? rictúue canem, rostróque prehendens
Expuat in nares, atque illinat ora saliuá?
Cui licet occurrant multo spectacula cultu,
Aut è marmoreis constructa palatia saxis,
Aut doctâ deducta manu pictura, vel hortus
Nobilis, aut sculptis aulæa superba figuris,
Nil curat tamen, atque oblatam negligit artem?
At si vel turpem porrectis cornibus hircum,
Contortâ vel fronte bouem, vilémue capellam

Viderit, hanc miretur hebes, gressúque represso
Agresti obtutu mentémque & lumina pascat?

Cap. 8. Auari. *Nec genius* Parci *splendentior, omnia in illo*
Arctauit Natura, manus constrinxit, & omnis
Illius ex animo cultum detraxit honoris:
Nam quis ab vrbanâ semotior indole ritus?
Conuiuas quàm accire domum, & quot pocula quisque
Hauserit, & quoties cyathos admouerit ori,
Et quoties dextram dapibus, positísque catinis
Intulerit, numerare? scyphum, phialámue, vitrúmue
Aut luteam famulus casu si fregerit ollam,
Quàm tantum, quanti illud erat; quod casus ademit,
Detrahere è famuli quæstu, aut fraudare lucellum?
Quàm si obolus tenuis, tenui aut quid vilius ære
Amissum est, omnes extemplò arcásque, torósque
Et capsas, omnésque domus conuellere partes?
Quàm vigili seruare oculo, ne fortè quis agrum
Intret, & aut vnum decerpat ab arbore pomum?
Aut ex areolâ florem, aut de vite racemum?
Quàm multis turgere opibus, reditúsque superbos,
Ditáque extensis acquirere prædia fundis,
Et mensis inferre fabas? vel agrestia cœpe,
Alliáue, aut veteris subrancida fercula pernæ?
Et lanas vestire rudes? vilésque lacernas
Induere? & tritos pedibus gestare cothurnos?
Si perdix allata domum est, aut Phasidos *ales,*
Aut lepus, aut primo lactescens hinnulus æuo,
Venali quàm cunctа foro committere? vt inde
Nummulus, & modici crescat putris auctio quæstus?
Sponsa viro, thalamísque datur si Nata, dapésque
Et lautis niteant conuiuia splendida mensis,
Relliquias, si quæ fuerint, quàm vendere? & omnes
Ieiunis epulas indignè auferre ministris?
Quàm se parietibus, cæcísque abscondere tectis,
Sutori tritus dabitur dum calceus? aut dum
Fulloni tingenda nouo prætexta colore?
Quàm se è congressu, atque oculis subducere amici,
Fortunæ quem dira lues, quem turbo malignus

Afflixit, cui casus atrox patrimonia dempsit
Cogatur miseris ne sese opponere rebus,
Ærumnáque leuare inopem, & succurrere egenti?
Vberius de Parco agimus, constringere carmen
Iam decet, in Stupidi *cùm mores inuehor, & cum* Cap. 9.
Ignauam tardæ naturam edissero mentis.
Quis vero est Stupidus? *nisi qui cùm frigida regnat*
Tempestas, & sæuit hyemsp, turgentia veris Hebetis
Gramina, & hirsutis flores inquirit in hortis? & stùpi-
Cui cùm lis intenta, die quo debet haberi di.
In medio causa illa foro discedat ab vrbe
Immemor, & litis contorta negotia ponat?
Qui quod in arcanis abstruserit ipse latebris,
Anxius inquirat, dubióque errore vagetur,
Nec stultus reperire queat? qui miscet ineptos
Cùm pueris, famulísque iocos, & seria temnens
Ingrata in triuiis ignobilis otia ducit?
Ille maritalis festa ad conuiuia tadæ
Ductus in instabiles conuicia multa puellas
Fœmineósque choros, omnísque in crimina sexus
Coniicit, & si causam oret, lædetur ab ipso
Arbiter, & stultæ patietur spicula linguæ.
Quod si ad iudicium valido pro teste vocetur,
Accedit, sed vbi litis iam causa dirempta est.
Si consanguineum febris aspera torreat, aut si
Calculus, aut flentem lateris dolor vrat amicum,
Ipse quidem inuiset, non quo solatia morbo
Afferat, aut socio lugentior aggemat ægro,
Sed quò turpis edo largis indulgeat escis,
Diductóque bibat fœcundius ore falernum.
Si comes exequiis datus est, & funera ducit,
Festiuo vultu exequias, & funera ducit.
Rem pro re plerúmque capit, si fortè mirycas
Viderit ambigui sub tempora sera diei,
Æstimat armatos hostes; Gallina vocetur
Roma, *capit Romana* Gothus *si mœnia, credet*
Gallinam cepisse Gothos, non Romula *tecta.*
Nec non & mores Querulus *sortitur ineptos;* Cap. 10

Queruli. *Cui res nulla placet; facilem quem fausta secunda*
Fortunæ licet aura ferat, tamen improba semper
Illum cura premit, tristísque querela fatigat.
Dum tritum sectatur iter, si diues in aurum
Incidat, ínque grauem Peruano pondere Zonam,
Conqueritur quod dura sibi nullum offerat vnquam
Thesaurum Fortuna, amplæ nec splendida gazæ
Munera, sed tenuis tantum ramenta crumenæ.
Si raros illi fructus, dulcésue racemos,
Aut poma, aut lectâ decerptas arbore ficus,
Externásue nuces facilis transmittat Amicus;
Nouit, inquit, quidnam ille velit, tenuissima mittit
Munera, quò magnos extorqueat inde fauores.
Felici lætus referat si nuntius ortu
Tandem illi genitum esse marem, qui nomen auitum
Sustineat, patriisque micans virtutibus instet,
Quin, inquit, potius retrò ibit, vt auguror, & me,
Et grandes fœdabit auos, & facta Parentum
Polluet, & vetito petet improba crimina cursu.
Filius in docti studiosâ luce lycæi
Emicat, & magno splendentia præmia plausu,
Spectantúmque refert laudes, vel ouantia linguâ
Rostra ferit, sanctúmque tenet sermone Senatum,
Vel Martem cum laude colit, bellúmque superbus
Ingreditur, dubiaéque petit discrimen arenæ;
Hæc patri Querulo *referuntur, at ille, Quid? Eheu*
Ignoras, inquit, quanti mihi filius ille,
Quem tu tot studiis, tantis quem laudibus ornas
Constiterit? quantum melioris fudimus auri?
Sudoris quantum, quantum sparsisse laboris
Debuimus? quid iam tantis pro sumptibus hæc laus?
In dubio causa acta foro est, quam vicit, & omnes
Fautores tulit, ipse tamen quâ est mente, patronum
Incusat, validæ quod multa fauentia causæ
Neglexit malus, & iusta argumenta reliquit.
Si pluet, & madido cœlum velabit amictu
Pleias, hic sudum, atque polos optabit apertos;
Sin contrà, cœli facies stet aperta, seueris

Astra Notis horrere volet, solémque serenum
Arguet, arentes quod torreat igneus agros.
Si medias intérque rosas, & cætera florum
Serta cubet, mollésque inter versetur odores
Delicias Zeno *nouus odit, & omnia forti*
Philtra viro fugienda canit; da vina, calere
Fercula da, frigere inquit; Tum quidquid in illum
Contuleris, splendoris egens vacuúmque fauore est.

Quis verò mores quos Ostentatio *fingit* Cap. II. Ostẽtatoris & Vani.
Scribat? & inductos vanâ ambitione tumores?
Ostentator *enim nihil est nisi ventus, & aër*
Mobilis, & tumidâ follis densatus ab aurâ.
Ante diem nox nigra premet, quàm clauserit oris
Verborúmque seras, si splendida narret Auorum
Stemmata, & antiquâ deductos gente Parentes,
Si Patres ex cerâ, apices si narret honorum,
Quos olim tenuere Ataui, se quippe propinquum
Principibus, primásque ducum contingere Gentes,
Affines sibi maternâ de stirpe superbos
Versinos, nec Guisiadas dixisse pudebit.

Se bellum tractasse canet, duxisse cateruas,
Sub magnis meruisse viris, se clara secutum
Henrici vexilla, feros cùm cæderet hostes,
Et fusum inspiceret victor Picardus Iberum
Pannonicos iuuisse Equites, cum castra fugarent
Turcica Mercurij *auspiciis, se bella, modúmque*
Pugnandi vidisse, ferox quo Tillius *olim*
Gauderet medio cùm duceret agmina campo,
Quo Belgæ *flagrant, pugnáxque* Suecia *floret,*
Hispaníque truces, sed certè plurima fingi,
Sed veris maiora cani, famáque minorem
Virtutem longè esse, sibi si Breda *fuisset*
Credita, Traiectúmque, moras traxisset in annis
Conatúsque ducum victor fregisset inanes.
Non alio sese igne, nisi hoc quem bellica multo
Accendunt tormenta sono, fecisse calentem
Interulam, nec se vnquam alio sparsisse capillos
Puluere, quàm qui de medio certamine surgit.

Cum de se loquitur; fortis me nouit Iberus,
Allobrogum *me nouit ager, mea vulnera, sauámq;*
Atrebates *sensere manum*, Catalaunica *tellus*
Armatum me vidit, atrox quin sæpe duellum
Ingressus mediâ duxi certamen arenâ,
Prostrauíque meos doctis assultibus hostes.
Si studiis falsæ suffragia candida famæ
Ambit, & ad fragilis subsellia repere laudis
Tentat; Athenæi referet se nobilis vmbras,
Sorbonicósque *adiisse Patres, se nosse Mathesin*
Asseret, & magni secreta latentia cœli,
Circuitus stellarum, ortúsque, obitúsque, nigrásque
Pleiadásque, Hyadásque, & acerbum frigore Caprũ.
Nota sibi linguarum adyta, atque arcana librorum
Peruia, Septimij *sibi nigra patescere sensa,*
Hippocratémque *sibi, magnúmque patere* Platonẽ:
Vtque probet, duo trésue vno spiramine versus
Quos longa didicit multo conamine curæ,
Quos vel Aristophanes, *quos vel Smyrnæus* Homer⁹,
Vel Maro, *vel nigrâ quos* Persius *edidit arte,*
In medium vanus iacit, expectátque corona
Applausum, inducítque sua in præconia laudis.
At iam thesauros si iactet, & ampla talenta,
Et magnas ostentet opes, se hoc asserit anno,
Quo plebs ima fame, & vulgus lugubre peribat,
Mille coronatos spársisse in publica nummos
Commoda, quò populi dispendia tetra leuaret.
Vni diuersum famulo cognomen adoptat,
Nunc aliâ Dauum, *atque aliâ nunc voce* Manetem-
Nunc aliâ appellat Sosiam, *nunc, inquit adesdum*
Sannio, *quò si quis vario cognomine seruum*
Audiat è multis accersi censeat vnum.

Cap. 12. Superstitiosi.

Vana superstitio timidis infixa medullis
Improba deceptæ quam gignit opinio mentis
Infert sollicitos in corda pauentia mores.
Multo illum quatiunt terrore leuissima, quæque
Nec vires, nec pondus habent, ignobile pectus
Percellunt, stultáque sinum formidine pulsant.


Ter ſeſe nonies purâ nec ſæpius vndâ
Abluet, & puram ſi fortè frequentius vndam
Attingat, nudóſque lauet ſi crebriùs artus
Illotum ſe credet; vbi verſuta propinquam
Traiiciet muſtella viam, ratus ille ſiniſtrum
Auſpicium, à tali greſſum vel tramite flectet,
Vel nolet prior ire, domi ſi viderit anguem,
Illic extemplò Genio fabricare ſacellum
Incipiet, ſolitos edat ſi noctua cantus,
Euentum infelix, & lugubre præcipit omen.
Si mus aut veſtes, olei vel roſerit vtrem,
Omen id eſt, & grande equidem, coniector aditur
Propterea, dubii petitúrque ſolutio morſus.
Exequias nullius adit, tumulumque paternum
Vitat, & in cæſi rigidum ſi fortè cadauer
Incidat, horreſcit, venturáque fata veretur.
Se caſtâ modò purget aquâ, modò flumine frontem
Abluat, aut aliquâ magnum prece pulſet Olympum,
Interſitue ſacris eoo tempore votis
Criminis immunem ſe credit, & omne ſceleſtâ
Mente nefas, vitiúmque patrat, ſeque omnia præceps
Implicat in ſcelera, & funeſtâ fraude ſaginat.
Si molles ſaliant oculi, ſi tinniat auris,
Si corui crocitent, ſtrepero ſi gutture cornix,
Garriat, & ternis naſcatur cornibus hircus,
Areſcat ſi laurus, auem ſi torqueat aura,
Irrita compoſitam turbent ſi ſomnia noctem,
Enormis funeſta mali præſagia credit.
Ipſe ſuæ addictus menti eſt, aliena recuſat
Conſilia, & quamuis in crimina certa feratur,
Detrectat monitus tamen, errorémque tuetur.
Iampridem in vacuâ Libya degebat eremo — Cap. 13. Hiſtoria Heronis Monachi deſumpta ex vitis Patrum.
Hero *ſenex, Monachos inter non ſanctior vllus*
In ſpeciem, ſacras ædes & templa petebat
Primus, & eois feriebat ſidera votis:
Illi non aliæ, niſi quas humus ederet herbas,
In paſtum venere dapes, non pocula ſumpſit,
Quàm quæ natiui fluerent ab origine fontis.

Et quamuis alii ad tenues oleúmue, salémue
Adiicerent plerúmque epulas, tamen ipse rebellis
Iudicii, sensúsque tenax, communia tempsit
Maiorum decreta Patrum, & quæcunque iubebat
Dira superstitio, & contortæ arbitria mentis
Prætulit illæso iuris communis honori.
Sæpe illum monuere Patres, *sibi consulat, hostis*
Insidias, fraudésque premat, securiùs illi,
Si tritâ velit ire viâ, quid ab ordine sese
Vellit? & insolitos tentat per deuia calles?
Qui nimium sibi blandiens. *Ille tamen spretis maiorum sensibus, hæsit*
Ipse sibi, ritúsque suos, quos intus alebat
Dura Superstitio, *præfracto fœdere seruat.*
Non secùs ac recto deflectens tramite currus,
Indocilis quem biga mouet, perque inuia flectit
Præcipitem, quamuis auriga peritus habenas
Torqueat, & doctâ frænos regat arte fluentes,
Quá semel est immissa viâ per saxa quadriga
Pergit, & inductam non sustinet amplius artem.
Illum ergo vt vani deprehendit imagine cultus
Deceptum stygii Rector cautissimus antri,
Furtim illum insidiis, & fraudibus occupat, illum
Demulcet philtris, cassaéque cupidine famæ
Sollicitat, blandíque dolis irretit honoris.
Et superstione duct⁹. *Respicit insolito ieiunia ducta rigore,*
Exesos artus macie, protritáque membra,
Extractas de nocte preces, soléfque labori
Addictos, fictáque hilares dulcedine sensus,
Vtque sacra virtutis egens, exinde superbus
Intumuit. superísque parem se cœtibus infert.
Vt cessisse dolos stygii grassator Auerni,
Heronémque suâ sensit iam fraude subactum,
Deterius fabricare malum molitur, & illum
In præceps scelerum, atque imam deuoluere sortem.
Ergo palam aggreditur, sed enim prius exuit oris
Squallorem, squammásque truces, formámque draconis
Abiicit, & niueos genii cœlestis honores,
Candentésque genas, & splendida lumina vestit.

Sic

Sic vt erat pulchræ præcinctus cyclade nubis
In cellam senis intrat, ibi stetit ardor, & alti
Clarescunt fulgore specus, hic subsilit Hero, Decipitur miserè.
Blanditúrque sibi, geniíque micantis adorat
Aduentum, ille autem fictis ita vocibus infit,
Hero *piæ virtutis amans, flos pulcher eremi,*
Et deserticolas inter sanctissime Patres, A Dæmone lucis Angelum.
Ad Te sidereo mittor delapsus Olympo
Vera Dei mandata ferens; Tuus igneus ille
Quo flagras, amor, & Pietas infusa medullis
Sideribus, superisque placet; Tibi debita merces
Imminet, expectátque tuos diadema labores.
Tu reliquis virtute præes, meritisque relinquis, Mentiẽte.
Quotquot ibi vixere Patres; Te gloria maior,
Præmia Te potiora manent; Hæc ergo supremo
Præcipit ore Deus, Domini Tu verba iubentis
Accipe; Magnanimus quia mollia philtra, leuésque
Blanditias, faciléśque iocos, & quidquid amœnum
Aut mundus suadere potest, aut læta voluptas
Vicisti, cape dona tuis æqualia curis.
Non tibi funereis horrens aut hydra venenis,
Aut oculis basiliscus atrox, colubérue nocebit,
Hac super imposita deser vestigia plantâ;
Incolumis Tibi gressus erit; Te proiice tutus,
Prouidus excipiet labentes Angelus artus.
Omnipotens iubet ergo, altum te proiice præceps
In puteum, nec casu aliquo tamen Hero tereris,
Lætior in manibus Te deferet Angelus, & Te
Excipiet, ne fortè tuos lapis atterat artus.
Dixit, & exiles ceu turbo recessit in auras.
At miser insanâ captus dulcedine laudis Et ad exitium deducitur.
Hero *dolos, fraudésque subit, neque cæca tyranni*
Verba probat, nec cum sociis examinat astus.
Sed meritis, animisque tumens, quod suaserat ales
Improbus, & ficto mandarat numine, tentat.
Alta cauernoso spelunca patebat hiatu
Excisa in morem putei, veterísque sine vndâ
Cisternæ, huc currit demens, huc concitus Hero

Tendit, & horrendi caueam se trudit in antri
Illi, qui trepidos custodiat Angelus artus
Defuit, in ferale solum cadit impia moles,
Concutitúrque caput, damnatáque membra teruntur
En quò ergo delusa hominum præcordia flectat
Vana superstitio, propriaéque proteruia mentis!



LIBRI

LIBRI DECIMI QVINTI PROLVDIVM.

DEscriptis ætatum, sexuum, & indolis diuersæ moribus, magnum quidem ad affectus ciendos adiumentum oratori comparasse videmur, sed tamen non plenissimum, nisi variarum gentium instituta, ritus & mores adiecerimus. Neque enim parum afferunt discriminis in moribus locorum & regionum diuersi ritus, & populorum infinita varietas.

Diuersos igitur nationum atque regnorum mores euoluam, non quò quibusdam sua vitia exprobrem, aut affectiones minùs compositas & digestas obiiciam; neque ego Censorem aut Aristarchum ago, nec mihi mores illos asperos genius meus infudit; Nec me NAtura indole hirtâ, hispidâ mordacíque crispauit.


Ego instar Theocriti è summa rupe vndas æquales, & fluctus temperatos non tumultuãtes, non se sorbentes intueri desidero. Ego in laudes effusus; in exornationes prodigus, vi-

superiis vix vnquam admoueor. Et quamuis me ad Poesim accedere satis indulgens natura permiserit, semper tamen à satyrarum scriptione remouit. Præterea quid eorum mores carpas, quorum authoritati subesse potes? Eum certè comprimi decet, qui se altiora tentauit.

Iaceat quisquis tumido nisu
Altiùs audet; Phaëton ausus
Vetito cœlum scandere voto,
Et inexpertâ tractare manu
Rubro rutilas igne quadrigas;
Vri iusto debuit igne.
Leuis assutis Icarus alis
Tumidâ iussus mente paternos
Temnens superas repsit in auras.
Icare celsos, pater inclamat,
Repetítque dolens, Icare tractus
Puer euita; mors in superis
Te manet horrens, Icare Zouis
Ille solutis altum pennis
Aera tentans cadere in fluctus
Mergíque altis debuit vndis,
„ Nunquam impunes tulit ambitio
„ Noxia fastus, & tumor omnis
„ Tandem premitur, sic constituit
Arduus ampli rector Olympi.

Non hic igitur populorum vitia, si quæ sint, sed virtutes extabunt, illas verò transuolans tantum attingam, cùm eas in Cosmographiâ meâ poeticâ pleniori charactere descripserim.

Tendit, & horrendi caueam se trudit in antri
Ibi, qui trepidos custodiat Angelus artus
Defuit, inferale solum cadit impia moles,
Concutitúrque caput, damnatáque membra teruntur
En quò ergo delusa hominum præcordia flectat
Vana superstitio, propriaéque proteruia mentis!



LIBRI

LIBRI DECIMI QVINTI PROLVDIVM.

DEscriptis ætatum, sexuum, & indolis diuersæ moribus, magnum quidem ad affectus ciendos adiumentum oratori comparasse videmur, sed tamen non plenissimum, nisi variarum gentium instituta, ritus & mores adiecerimus. Neque enim parum afferunt discriminis in moribus locorum & regionum diuersi ritus, & populorum infinita varietas.


Diuersos igitur nationum atque regnorum mores euoluam, non quò quibusdam sua vitia exprobrem, aut affectiones minùs compositas & digestas obiiciam; neque ego Censorem aut Aristarchum ago, nec mihi mores illos asperos genius meus infudit; Nec me Natura indole hirtâ, hispidâ mordacíque crispauit.

Ego instar Theocriti è summa rupe vndas æquales, & fluctus temperatos non tumultuãtes, non se sorbentes intueri desidero. Ego in laudes effusus; in exornationes prodigus, vi-

superiis vix vnquam admoueor. Et quamuis me ad Poesim accedere ſatis indulgens natura permiſerit, ſemper tamen à ſatyrarum ſcriptione remouit. Præterea quid eorum mores carpas, quorum authoritati ſubeſſe potes? Eum certè comprimi decet, qui ſe altiora tentauit.


Iaceat quiſquis tumido niſu
Altiùs audet, Phaëton auſus
Vetito cœlum ſcandere voto,
Et inexpertâ tractare manu
Rubro rutilas igne quadrigas;
Vri iuſto debuit igne.
Leuis aſſutis Icarus alis
Tumidâ iuſſus mente paternos
Temnens ſuperas repſit in auras.
Icare celſos, pater inclamat,
Repetítque dolens, Icare tractus
Puer euita; mors in ſuperis
Te manet horrens, Icare Zouis
Ille ſolutis altum pennis
Aera tentans cadere in fluctus
Mergíque altis debuit vndis,
„ Nunquam impunes tulit ambitio
„ Noxia faſtus, & tumor omnis
„ Tandem premitur, ſic conſtituit
Arduus ampli rector Olympi.

Non hic igitur populorum vitia, ſi quæ ſint, ſed virtutes extabunt, illas verò tranſuolans tantum attingam, cùm eas in Coſmographiâ meâ poëticâ pleniori charactere deſcripſerim.



LIBER DECIMVS QVINTVS
De Ingenio & Moribus Variarum Gentium.

Proposi-tio.



Am mihi diuersos regionum agnoscere mores,
Et varios populorum animos, ritúsque, sinúsque,
Fas sit, & ingenitos animis describere cultus.
Iam mihi per vasti liceat vaga compita mundi
Currere, pérque plagas, pérque intima regna vagari,
Scrutaríque habitus varios, geniúmque locorum

Inuocatio.

Sed frustrà non gnarus iter sectabor, & expers
Tantarum peragrare vias tentabo plagarum,
Vos nisi, quæ cunctas nouistis Numina Gentes,
Inque omnes penetrare locos diuina potestis,
Intricatarum dabitis mihi certa viarum
Indicia, incertósque pedes, gressúsque regetis.

Cap. I. De variâ tractuũ diuersitate. Cœli varia affectio

Quò penitus Calliste, *queas inuadere mentes*
Affectúsque imos, validásque mouere medullas
Nobilius, mediáque potens regnare coronâ,
Diuersos regionum animos inquire, nec iidem
Cernuntur mores, idem neque ritus vbique est.
Non quod in excelsas cœlorum affectio mentes
Influat, aût animis vim fortibus inserat æther,
Aut genius terræ ingenii molimina mutet;
Sed quod corporeis cùm sit mens indita vinclis,
Et carnis quasi clausa seris, in talia possit

Organa sidereas cœlum transmittere vires,
Et mutare virûm vario pro sidere motus.
Hinc qui frigenti circumuallantur ab Arcto, Hanc morum varietatem immittit
Quos longa sparsere niues, hyemísque profundo
Damnauere gelu, mores patiuntur acerbos,
Et durâ feritate rigent; quos aspicit axis
Blandior, & placidi mulcet tepor aeris, illos
Lenius ingenium, naturáque mollior afflat
At quos igniuomo Titan vehementior æstu
Torret, & accensis Tropici tenuere sub astris,
Hos leuitas plerumque mouet, mollísque libido
Frangit, & indomitæ vexat pruriginis ardor.
Nunc Ego Te mundi per regna effusa vagantem
Deducam Calliste, *manu, mentésque virorum*
Et penitos reserabo sinus, me carminis alis
Subuectum sequere, atque meos comitare volatus
Semotos Anglos *validi tenet ardua Martis*
Gloria, & insignes crebrò duxere triumphos Cap. 2. De Anglis.
Ingeniísque micant, Pindúmque, *& amœna Mineruæ*
Tecta petunt; hinc Beda *suos* Venerabilis *ortus,*
Hinc traxit magnos florens Anselmus *honores.*
Quæ verò illius Pietas? quæ fœdera Gentis? Angli validi.
Heu quàm dissimilis! quàm longè heu Anglia, *Prisca*
A cultu Pietatis abes! Te sancta colebat
Relligio, nisi Te tetigisset flamma Cytheræ;
Ecce ruit Regalis apex, perit ille Britanni
Imperii Princeps, omnis simul Insula Romam Olim pii
Spernit, & infidam sequitur pro matre nouercam.
„ *At non semper aquæ tumidis fremuere procellis,*
„ *Nec semper madidus pluuiis horrescit Olympus,*
„ *Æquoreos quandoque sinus pax mulcet, & æther*
„ *Gaudet purpurei radiis splendescere Phœbi*
Exorere ô crebris addicta Maria *coronis,*
Et dirum hoc auerte malum, damnísque medere.
„ *Sed non continuò quod pulchrius, illud & æuo*
„ *Longius esse solet, nihil est splendore rosarum*
„ *Pulchrius, vnius tantùm rosa culta diei est.*
„ *Blandius inter aues modulos Philomela profundit*

,, *At vix vnius vox est hac filia mensis.*
,, *Prætereunt citò pulchra, fluit decor, inter amicas*
,, *Arescit fortuna manus, citò Regia Princeps*
Iam hæ- *Interiit & miseros labes mox inficit* Anglos
retici, Scotia *idem sortita caput, quod &* Anglia, *quamis*
Diuersos olim cognouerit inclyta Reges.
Quas terras eadem Sextus *sub iura* Iacobus
Scoti. *Detulit, & geminas vno diademate iunxit*
Materna binas complexus origine Gentes.
Fideles. *Has humana fides decorat, constánsque voluntas*
Instruit, hinc illi regni totius amores,
Spem Francæ *Gentis tuto munimine Regem.*
Seruant custodes, & defensoribus armis
Obseptum hinc, atque inde latus stipare fideles
Validi *Iampridem sueuere, fidem Mauortia virtus*
In Scotis *comitata quoque est, nam sapiùs hostes*
Vicere, & domitis leges & iura dedere.
Septem- *Pellita Gentes, Arctoaque regna profundo*
triona- *Incrustata gelu* Groelandia, Iutia, Thule
les Tosinga, *& rigidis Frislandia scrupea saxis*
Aspe- *Moribus horrescunt, nimbis vt atrocibus, illis*
riores *Non est è nimio probrum languere* Lyæo.
Dani & *At* Cimbros *non mitto, truces neque mitto* Suecos
Sueci *Candidus in vultu quibus est color, ardor in altâ*
Mente micat, nec Pierijs *incumbere philtris,*
Nec blandas Musarum *artes versare recusant.*
Ad arma *At primùm armorum studiis, & Martis amore*
apti. *Accenduntur, atrox illis natura, calénsque*
Pectus, & enodes exerti corporis artus
Sufficiunt iustos ad prælia magna vigores.
Cap. 3. *Ingentes ineo tractus. Gentísque superbæ*
De Ger- *Aggredior mores euoluere, plena minarum,*
maniâ *Bellorum studiosa, ferum* Germania *Martem*
Germa- *Tractat, & armisonas florens incumbit in artes*
ni armis *Impatiens fuit illa iugi, sed & expulit omne*
dediti. *Seruitium,* Varum, *Romanorúmque cateruas*
Fregit, & aduersâ domitas prostrauit arenâ.
Se iactat nescire fugam, vestigia seruat,

Et vincit vel certa mori est, æstúmque, sitímque Libertatis amâtes.
Odit, vt insidias, & furta latentia Martis.
Gens in amicitiam propensa, ad iurgia segnis
Et semel admissos vix vnquam abrumpit amores, Intrepidi
Fraternum vnde etiam obtinuit Germania *nomen.*
Imprimis pietatis amans, tot condita templa,
In cœli cultus, & tot patrimonia templis
Addita, tam magni Proceres cœlestibus aris
Addicti Gentis pietatem in Numina signant.
Quid memorem heroas virtutis, & indolis altæ Elogia
Dekempis, *quo nectar apum, quo rosidus humor* Dekempis.
In matutinis non fragrat amœnius aruis?
Aut Surium, *cuius labor acceptissimus astris* Surij
Cælorum ciues pleno cumulauit honore?
Aut Ekium, *hæreticos primus qui tendere contrà* Ekij
Audet, & infandi furiis obstare Lutheri?
Canisiúmne *canam doctæ virtutis alumnum?* Canisij
Drexeliúmne libris, cultu, pietate placentem? Drexelij
Suffulti bonitate soli commercia temnunt
Extera, nec multum variâ cum Gente Poloni Cap. 4. De Poloniâ
Mercibus extractis operosa negotia tractant
Omnis in armorum studiis, bellóque gerendo
Cura sedet, loricam illi, galeámque ferocem, Poloni
Et cristas optant, & equorum robore gaudent. bello
Omnia Nobilitas, nil omni cætera regno apti
Turba potest, Regi non stirps, non sanguis Auorum Equites
Patriciæ non stemma domus diadema reponit. Nobiles
Vna Palatini *præbent suffragia cœtus*
Sanguinis illa tamen reuerentia mentibus hæret,
Vt si quis Regum cognatâ è stirpe supersit
Illius in dominam coeant suffragia sortem. Cap. 5.
Panno *armis, atque ense flagrat, crebrísque triũphis* De Hũgariâ
Hungaricos *insignit agros, & Turcica contra*
Agmina victrices excerpsit bellica palmas. Hungari
Sed quanto Hunniades *animo! quàm Numine fausto!* fortes.
Quâ virtute micat? vix vnquam in Turcica *castra* Hũnniadis elogium.
Dum pleni in medio pugnauimus æquore campi
Arrisit nostris victoria plenior armis

Et ni Europæos *atrox discordia Reges*
Vinxisset, non Tu nostris Mahomete *ruinis,*
Non damnis, spoliisue diu gaudere valeres.
Argolicum imperium, tot diruta sceptra, tot urbes,
Quas tua diripuit, rabies inuise referres.

Cap. 6. De cæteris populis.

Quid recolam Graium *mores.* Asiãque Minorem
Olim delicias Charitum, *sedemque Mineruæ,*
Virtutúmque lares, vbi clara scientia fulsit,
Floruit eloquium, & facundæ gratia linguæ
Isocrates *ibi dixit, ibi* Demosthenis *artes*
Et cultus nituere, Plato, *doctúsque* Cleanthes,
Hippocratésque *suos hic explicuere labores.*

Græcia

Hic magnus Basilius, *ibi* Chrysostomus *ingens*
Hic tres Gregorij, Melitónq;, *atq; ambo* Cyrilli
Nectareúsque Rhodon, *& rore* Synesius *ipso*
Dulcior, eloquii gemmas, & balsama produnt.

Asiâ minore.

At iam barbaries, & moribus hirta ferinis
Asperitas, & Turca *nocens in cuncta probrosa*
Membra plagæ incurrit, Gentésque horrore fatigat!

Arabibus.
Indis
Sinis
Ægypto
Persis
Iudæis

Sed quid ego varios populorum inquirere ritus
Tento? quid infidos Arabas? *quid mobile dico*
Indorum *ingenium? argutos quid concino Sinas?*
Cur Ægyptiacæ *motus & murmura Gentis?*
Quid molles refero Persas? *luxúque fluentes?*
Iudææ *quid torua fero præcordia plebis?*
Pœnorum *quid culpo fidem? quid dura* Scytharum
Pectora, vel tellus quos gignat inhospita mores

Scythis.

Quid meditor memorare? truci nisi carmine quaram
Funestare meæ candentia marmora charta?
Describi feritatem optas? da sæua cruoris
Flumina, describi cultus in Numina poscis?
Da lacrymas; si duritiem, immanémque rigorem
Da ferrum liquefactum; alio neque tanta liquore
Exscribi malefacta qeeunt; neque pictus ad illa
Optetur stylus; hasta ferox atque ærea cuspis,
Et formidati poscantur acumina ferri.
Lætius ingredior regnum potiora saluto
Italiæ sola, non aliam clementiùs oram

Spectauere Poli, mollis cui fluxus Olympi Cap. 7.
Ridet, & ambrosii fauet indulgentia cœli. De Italiâ.
Fertilis herbarum tellus, & amica Lyæo,
Frumentíque ferax, collis lasciuit oliuis,
Mella ferunt valles, dites pomaria fructus,
Aurea in extentis malus producitur aruis, Laus Italiæ
At tantis opibus par est natura colonis.
Non iam se tamen illa regit, quæ maxima quondam
Mundo iura dedit, varii sed Principis armis
Subditur, & multi nouit moderamina sceptri. Quæ diuiditur in multos principatus.
Hetrusco *pars magna Duci, pars grandis* Ibero,
Pontifici *pars multa datur, pars illa* Sabaudum
Vrbinum *pars illa colit, committitur vni*
Mantua, *supremas* Mutinæ *tenet alter habenas,*
Alterius dominas admittit Parma *secures,*
Hoc mare quod suprà est Veneti *tenuere, quod infrà*
Hoc Ligures *rexere, breui ditione coactas*
Dirigit in Latio *Respublica tertia* Lucas,
Diuersos igitur vario pro Principe mores,
Et variâ pro sede tenent; Tamen ista Quirites,
Et circumfusi Italicâ regione coloni Itali
Plerumque ostendunt; Titulis recreantur auitis, Alti
Et magnúm spirant, atque ardua vota potenti
Mente fouent, cum nempe altos meminere parentes
Virtutésque, quibus fulsere nitentiùs, & cùm
Subiectum videant dignis Maioribus orbem,
Hinc splendent, & iure Patrum præcónia iactant.
At si terrenas Itali *amisere secures* Summo pontificatu nobiles
Mortali decussi apice, in maiora vehuntur
Imperia, ínque animos, quotquot Deus æthere ab alto
Respexit meliore oculo, quos fonte salutis
Absterfit, sacrásque fauens immersit in vndas,
Protendunt cœleste pedum, quod Tu arbiter orbis
Magne Pater, Tutela hominum, custodia mundi
Iam Princeps sine labe *regis; Non solis habenæ*
Non terræ fines, vasti non vltima Ponti
Littera, Riphæi *non alta cacumina montis,*
Non æstus Meroes, non Promontoria Lunæ

Imperium clausere tuum, protenditur vltrà
Solémque, & tumidas iacitur trans æquoris vndas.
Illis ingenium, & culto solertia sensu
Ingenio. Affluit, hinc biiugi vernantia culmina Pindi,
insignes. Et doctos latices, Permessiáque antra frequentant.
Nec mihi iam veterum canitur turba aurea vatum
Naso tener, Gallúsue potens, aut Statius audax,
Pindarijsue modis assuetus Horatius, aut qui
Silius Hannibalem cecinit Tibi Roma subactum
Poeseos Nec Te quem peperit sanctissima Mantua, dicam.
studiosi. Ingenii sublimis apex ô maxime vatum,
Numinibus cognate, Ducum, Regúmque Magister,
Heroum tuba clara, Phrygum tutissime ductor,
Virtutum decorisque parens, lucentior astro,
Altior Oceano, vitreoque serenior amne
O diuine Maro, sed vos quibus vltima vitam
Sæcula concessere, feram; Generose Fracastor,
Et Pontane nitens, & Stroza, & Bembe, sacérque
Sannasari æterni cunis clarissime Verbi
Et Te Tasso sacri tuba facundissima belli,
Artibus Et Te, non impar priscis Petrarcha Poëtis.
omnibus Omnis eò doctrina fluit, seu candida legum
dediti. Cognitio, & vasti spatiosa peritia iuris,
Theologiæ seu celsus apex, seu docta Galeni
Quæritur Ars, seu digna graui facundia pompâ,
Cap. 8. Historiæ seu plenus honos, miracula mille
Elogia Heroum Italica solertia protulit ora.
magno- Quis vos ô Themidis, digno canat ore, Prophetæ,
rum vi- Accursiue potens, & Barthole firmior ære,
rorum Firmior elatis in sidera celsa columnis?
Accursij Quis Te Balde canat? quis Te, qui mente politâ
Bartholi Vniisti rigido iucunda Emblemata iuri?
Baldi At Te Veronæ præsul dignissime Zeno,
Sãctorũ Quæ par lingua canat? quo ros sudantibus astris
Patrum, Durius ambrosii respergit iugera veris,
& Theo- Quo Zephyrus volat asperius, quo nectar Hymetti
logorum Durius in molles descendit amabile cellas.
Zenonis Effusas Ciceronis opes, dulcémque Suadæ


Lacteus Ambrosiam, & teneros Lactantius *orbes.*
Circuitúsque legit, mellitum plenior ambit Lactantij
Dicendi genus, & nitido splendore coruscat.
Hic vitreæ fluit instar aquæ, quam mollis origo
Secreti saliens viuo de viscere saxi
Prata per & flores vllo sine murmure voluit.
Ille quoque è iusto factus qui præside Præsul,
Rhetoricas effudit opes, non suauius illo Ambrosij.
Ambrosiis fluxere fauis aluearia, nunquam
Æther vernanti stillauit dulcius vndâ
Quod medii in loculo Victoria *prisca senatus*
Non stetit, Ambrosiij *facundior efficit astus.*
Sed quid in angustas tento tua scripta camœnas
Mittere? quid magnum compendia in arcta Colossum?
Oceanum exiguos quid cogere conor in amnes?
Floruit & celto in Latio, *quem proximus auro*
Et stylus, & sermo, & lectarum gratia vocum Chrysologi.
Chrysologum dixere, suas nunquam Attica cellas
Tam blandè stipauit apis, cùm munera veris
Congerit, & florum legionem importat in ædes
Nunquam bombycum labor, aut subtegmina Serum
Cùm Phrygia texuntur acu, radióue suuntur,
Tam molli fluxere operâ, quâ verba venustat
Chrysologus, *verbísque sales, & acumina iungit.*
Illo nobilior Romæ fuit aurea Siren
Si voces, cuiúsque modos miraberis oris,
Sin animum, noménque, Leo; *non plenior exit*
Euphrates *de fonte suos cùm despicit alueos,*
Exsuperátque tumens præscripta obstacula ripæ;
Segnius & Tu Nile *ruis, cùm fluctibus auctis* Leonis
Ostia per septena cadis, volat alite pennâ
Parthica lunato quam dextera torserit arcu
Tardiùs in domitas lethalis arundo cohortes.
Huic grauitas generosa sedet, quam copia rerum
Et vincta vbertas Numeris comitatur, & altis
Maiestas innexa modis. & feruidus ardor,
Et longâ sequitur productus spiritus aurâ.

Quis Te sidereo Thoma canat æmule cœlo,
D. Thomæ. Theologiæ vertex altissime, celsior astris,
Angelicis par penè choris, Mens enthea, cui quot
Articuli de mente fluunt, tot sunt quoque mentis
Prodigia, & magni tot sunt oracula cœli.
D. Bonauenturæ. Quis Te, quem faustam materno idiomate sortem
Dixerunt Galli, doctrinæ illustre theatrum
Virtutisque ferat? cœli quem mille fauores
Insignem fecere, sacro quem murice Roma
Vestiit, in Francisci adytis, domibúsque probatum?
Bellarmini Quis Te, magnanimo ducentem prælia Marte
Hæreticos contrà, tumidúmque Acheronta domantem
Pandentémque dolos, debellantémque Ministros
Bellarmine canat? Geneuæ quem Lerna nefanda,
Saxonicæque timet frendens Academia secta.
Quis Te conspicui replicantem tempora Christi,
Et longos numerantem annos, sed quo ordine? sed quâ
Baronij Maiestate tumes? quanta est reuerentia veri?
Scriptorum quàm certa fides? Quâ voce Tyrannos
Arguis? inuictos quo Martyres euehis ore?
Quâ pompâ fidei splendentia lumina nostræ
Concilia euoluis? Quo grandia gesta piorum
Pontificum extollis calamo? quibus impia verbis
Hæresewm portenta premis? Quâ luce reuelas
Obscuras? dubiis adhibes quos rebus Atlantas?
Quis Te, inquã, Historiæ magnum decus Inclyte Cęsar
Clarior Ausonio quo circumfunderis ostro
Digne senex, æquo referat splendore Baroni?
Si forte eloquii Proceres, quos Itala tellus
Protulit, euoluam, venient in carmina nostris
Pauli Affines annis, tenero qui Galla labore
Æmilii Æmilius monumenta refert, Iouiúsque, niténsque
Iouij Longolius, florens & vterque Manutius amne
Lõgolij Dulcior, & priscos referens sermone lepores
Manutij Bẽbúsque, & Magius. fusúsque Sigonius, & qui
Bembi Herodiane tuos Latio dedit Attice libros.
Sigonij Nec vos quos idem mihi coniugat ordo, silebo
Maffæi. Vel Maffæe micans, gemmis quem ditior Indis

India *ſcripta polit*, *vel* Turſelline, *vel ingens* Turſellini
Orlandine *feram tacitos*, *quos clara Parentum*
Historia inſignit, *viuoſque Nepotibus infert.* Orlandini
Sed quo Te calamo, *quo Te generoſe canemus*
Eloquio Famiane, *Tibi cùm maximus ipſe* Famiani
Decedat Tacitus, *nec* Farneſiana *Neroni*
Inuideat Gens alta pares ſortita cothurnos
Sin autem antiquæ relegam Capitolia Romæ
Eloquiíque canam heroas, *quæ meta laboris?*
Præſcriptus quis finis erit? bella ipſa tulerunt
Palladis digna excubiis monumenta, *poténſque*
Cæſar *adeſt*, *pugnáſque manu quâ geſsit, eadem*
Scripſit, *& hac calamos poliit*, *quâ tela vibrauit.* Cæſaris
Tùm quoque conſpicuo Salluſtius *extitit ore* Salluſtij
Quem clarum Catilina *nocens*, *captúſque* Iugurtha
Lectorum manibus commiſſus vterque nepotum
Reddidit, *& noſtris*, *quantus foret*, *obtulit annis.* Liuij
Quid Liuij *calamum referam*, *venamque potentem?*
Fragrantes quid melle libros? Ros parciùs agris
Incubat, *eois cùm naſcitur Aura quadrigis*,
Parciùs in concham gremio cùm concha patente
Soluitur éque alto gemmas expectat Olympo
Decidit axe liquor, *cúmque ignea ſpargit acerra*
Thura Diis, *fumantque ſacræ ſuffitibus aræ*
Parciùs halat odor, *tua quàm facunda voluptas*
Inſpergit monumenta Liui, *quàm thure tuorum*
Ex operum promanat odor, *recreátque medullas.*
Hinc Plinius *ſcrutator opum*, *quas ampla feraci* Plinij
Includit Natura ſinu, *ſua ſcripta ſuperbis*
Diſtinxit gemmis, *generosóque extulit æſtu.*
Nec Te equidem Tacite *indictum ſine laude tacebo* Taciti
Qui ſenſus grauitate tumes, *verbíſque triumphas*
Cui ſudant ſcripta apta Cedro, *non Te altior alter*,
Non alius tanto qui turgeat autor honore.
Nec Te Rhetoricæ cultor facunde ſilebo
Æternùm memorande Fabi, *Tu maxima doctæ* Quintiliani
Tu penetras in templa Deæ, *ſecretáque luſtras*
Delubra, *ínque ſacras admitteris intimus ades.*

Sed quid ego tantis ambagibus abdo tuarum
Eloquii sublimis apex præconia laudum?
Quæ Musam formido tenet? Iam Te ergo Latinæ
Rhetoricæ diuine parens accedo, tuúmque
Nomen, & augustas attingo carmine dotes
Ciceronis. *Nascentem* Charites *gremio cepere, manúmque*
Admouere Tibi faciles, lætoque volatu
Ad tua Rhetoricæ venere crepundia Musæ,
Teque suum fecere, Puer, fusáque dedere
Dona manu, ínque sacros cultæ duxere recessus.
Te dicente scelus domitum stetit, & sua victæ
Spreuerunt alimenta Tribus, exhorruit audax
Ingenium Catilina *tuum, Te* Lentulus *amens*
Te Verres, *Te* Piso, *ferox Te* Clodius, *& Te*
Dicentem rabidâ demens Antonius *irâ*
Expauit, validaéque exarsit fulmine linguæ.
Imperium Tu sponte labans, patriámque ruentem,
Et Capitolini vertenda palatia montis
O nunquam moriture parens, plus robore linguæ
Quam dextrâ, plus eloquio, quàm fascibus, & plus
Firmasti Orator, lectis quàm Consulis armis.
Extendent alii Romanum longiùs orbem,
Ausoniisque nouas supponent legibus oras,
Tu mentem Tulli *alte cole, ingeniumque latinum*
Latiùs amplifica, quàm sceptra Quirina *ferantur,*
Quem Antoni⁹ morte sustulit. *Dignus in æternos vitam producere soles.*
Et tamen horrendæ percussus cuspide dextræ
O nunquam moriture iaces! Quid barbare ferrum
In venas immergis? atrox absiste, manúmque
Retrahe, quem ferro dirissimus impetis, ille est,
Si nescis, heros, qui Te capitalibus olim
O Popyli *vitiis, & aperto crimine opertum*
Defendit, iustáque reum de morte redemit.
Ille tamen demens meditantem, & verba parantem
Dicere percussit, gladiúmque in guttura condit.
Ausoniæ vbertim turres, atque Itala tellus
Rostráque lugubria, atque Equites mœrénsque senatus
Extinctum fleuere, manus & nobile rostris

Affixum vt videre caput, nam triste Tyrannis
Et caput, & palmas præfixerat impia rostris.
Tum quoque, qua Tygres sæua inclementia vicit,
Fuluia *facundo diuulsam à gutture linguam*
Crinali confixit acu; O vbi debita Diuûm
Tela! vbi pœna scelus castigatura cruentum!
Sed nimium ne exulta, acres dabi improbe pœnas
Antoni, *crudele nefas vindicta sequetur,*
Teque per Actiacas *vltrix premet vmbra ruinas*



LIBRI DECIMI SEXTI PROLVDIVM.

SI tam facile foret intra ingentem Europæ laxitatem voluntate, animis, & armis Francos Hispanósque coniungere, atque morum, quibus ipsi imbuuntur, narratione, intra libelli vnius angustias coniugare, non esset cur tot legationes instituerentur, tot comitia coirent, tot Principum curæ sudarent, vt inter ingentes illos & nobiles populos iniretur stabile societatis pacísque commercium.

Sed quoniam ista inter vtramque gentem suscepta certamina, sint potius contentiones honoris & gloriæ quã inimicitiarum, aut odij, cùm vterque populus gloriæ primas exposcat; Alter quidem, tanquam prædiũ & possessionẽ sibi à parẽtibus iam ex lõgo transmissam, quam ne perdat, vita prodigitur; Alter verò tãquam

præmium virtutis in medio positum, quod vt adipiscatur, vita negligitur sperandum est æmulationes illas, riualitates & gloriæ quasi æstuationes tam multo vtriusque Gentis effuso sanguine citò extinctum iri.

Fuit equidem aliàs tempus, cùm Iber sequanæ sponte decederet, nec Hispanus de gloriâ cum Franco pari iure certaret: Ætatẽ illam meminimus, cùm ad Galliam Hispania tanquam ad asylum confugeret, cùm illam tanquam arbitram controuersiarum eligeret. Scimus ab Hispanis illum honorem Francis esse delatum, vt cùm certaturi alter in alterum concurrerent, iámque propè esset, vt se mutuis hastis ferirent, Hispani subito elatis hastis cursum & ictum inhibuerint, fatentes se non posse ferire Gallos, à quibus vincti forent, vincti quidem non funium ligaminibus, aut manicarum acerbitate, sed gratiarum officiis, & beneficiorum prolixitate.


Iam verò ex quo ad tantam prouinciarum atque regnorum seu armorum virtute, seu affinitatum & cognationum beneficio euolauere potentiam, vix pati possunt pares, quos olim venerabantur, vt patronos, suspiciebant vt superiores; Franci verò Hispanos eminere cupientes non sustinent, quos antè si non despiciebant vt inferiores, certè defendebant vt infirmiores.

Coite Gentes Numine prospero
Coite, blandæ fœdera pangite,
Quid igne? quid nitro? quid armis
Belligeræ laceratis orbem?
An non cruentis immaduit satis
Tellus ruinis? num satis æquora
Turbata tot pugnis cruore
Heu miseræ! rubuere vestro

Iam

Iam quinta nobis fluxit Olympias
Ex quo feroces arma prehendimus,
Intérque Bellonæ furores
Funereas agitamus artes.
Heu Christiani copia sanguinis
Heu quanta fluxit? psallite Barbari,
Sonísque festis exilite,
Sanguis enim fluit iste vobis
O quanta fleres funera Thracia!
Quantâ tuorum cæde tumesceres
O limes infelix Canopi!
Si sociis animis coïrent
In vos Iberus, Gallus *& inclytus,*
Coïte Gentes agmina Martia,
Et ferte Turcas *in feroces*
Quos animis alitis vigores
Audin, serenæ Pacis amabile
Nomen resultat, Pax venit, ecce Pax
Radice laurorum reuulsâ
Substituit faciles oliuas

Quidquid sit, hoc libello mores Gentis vtriusque describam, vt eos meus Orator agnoscat.



LIBER
DECIMVS SEXTVS
De Ingenio & Moribus Francorũ & Hiſpanorum

Inuacatio.



OS mihi fatidici felicia Numina Pindi
Clementes aperite vias, id iuſtius opto
Quam cùm aliàs veſtri pultaui ad limina tecti
Sollicitans, veſtraéque petens ſuffragia turba

Propoſitio.

Nunc etenim Francæ *ingenium ſpectabile Gentis,*
Quâ nil ſolertes in magno cultius orbe
Compoſuere poli, canimus, vos pingite verſus,
Æqualéſque modos Francis conferte canendis.

Cap. I. De Hiſpanis.

Ante tamen memorabo viros, quos amnis Iberus
Tingit, & Heſperias labens quos Phœbus in vndas
Extremos videt; Hos magnæ conſtantia mentis
Altior, & vaſta ambitio ſpectabilis altrix

Sunt generoſi.

Virtutum impellit, validíque induſtria ſenſus
Ipſa quidem tales Natura immittere mores
Imperioſa poteſt, & nobilis indolis ardor
Tot deuicta tamen ſceptra, & tot regna ſubacta.
Tot Gentes domitæ, tot & addita littora ſceptris
Tot collecta recens paſsim diademata poſſunt

Ad bellum apti.

Hos ſenſus alere, & tantos augere vigores.
Gens prona in bellum tacitaéque inimica quietis;
Vix etenim Hiſpano *Pediti par ulla cohors eſt,*

Assueto tolerare famem, excubiásque frequentes,
Algorémque pati, atque niues, pluuiásque minaces,
Excipere, & calidi perferre incendia cœli:.
Robustus quem neruus habet, quem carnea moles
Non onerat, vel pinguis adeps, sed quem ardua firmat
Ossa, grauésque tori, & compacti corporis artus. Ingeniosi.
Illis acre quoque ingenium, & procliue sequendis
Artibus, & doctos aptum versare labores, Cap. 2.
Quid geminos memorem Senecas *charúmque Poësi* Elogia magnorum virorum in scientiâ.
Lucanum? *aut patriâ quid natum è* Bilbile *Cycnum?*
Sed leuia hæc; iam sunt studiis melioribus apti,
Cœlestésque petunt curis potioribus artes.
Non referam innumeros quos sæcula prisca tulerunt,
Eloquio grandes, & plenos Numine, non Te
Isidore *nitens, ipso cui ditior auro* D. Isidori.
Vena fluit, cui cœlorum è subtegmine peplum
Fulgentem gemmis, & apertâ luce micantem
Gestorum in mercedem operum, vocúmque sacrarum
Virgo parens è stelligero submisit Olympo.
Quid dicam Eulogium *cuius facundia mille* D. Eulogij.
Martyres ad pugnas, & honorum scamma vocauit;
Nec solùm, sed & ipse truci certauit arenâ. Tostati.
Nec generose tuos referam Tostate *labores,*
Cui curæ ingentes, studiúmque immane lucernis,
Et longa vigilatum operâ, nisúsque frequentes
Sudatíque dies, & commentatio flagrans.
Intima diuini pandunt mysteria libri.
Sed Te, Ferreri *ferro violentior, auro*
Purior indictum non transeo, verba profundis
Grandia, commotas vertis sermonibus vrbes.
Non ita montano decussus ab aggere torrens S. Ferrerij.
Præcipites deuoluit aquas, cursúque minaci
Plana per & valles descendit in æquoris vndas.
Non ita fulminei cum tempestate coactâ
Aer immugit, vastóque horrore laborat,
Ardores & tela volant; non impete tanto
Ater inhumanâ nubis conceptus in aluo
Descendit per inane lapis; nec murmure tanto

Fistula sulphureas intorquet ahenea glandes,
Ferreri ceu verba volant, penetrantque mouéntque
Euertúntque truces mii pietate medullas.
Ferreri quid gesta canam? quid missa diserto
Gutture verba loquar? quibus agmina mille virorum,
Ante prophanatis scelerum damnata tenebris
Ad pia diuini reuocauit lumina solis.
Illum millenæ deserta per inuia turmæ
Stipauere, illum cœli de Rege loquentem,
Ipsa antra, ipsæ etiam nemorum stupuere cauernæ.
Granatensis. *Quid verò* Granata *tuæ locupletia linguæ*
Ornamenta canam? veteris Tibi culta Suadæ
Gloria, & antiquæ cedit facundia Romæ.
Tu puros fidei latices, Tu casta pudoris
Flumina, Tu fontes sacræ pietatis alumnos
Exundare iubes; sed quâ vbertate? tumente
Tygris aqua, plenas cùm voluit ouantior vndas,
Coniunxítque suos fluuio cum fratre canales
Ille mihi exili præ Te Granata canali est.
E stygio Tu mille animas, & mille barathro
Quos propè tartareos deuoluerat error in ignes,
Aut Venus, aut dirâ sæuissima rixa phrenesi,
Fortunatorum blandâ pietate librorum
Ardua siderei reuocasti ad limina cœli.
Perpiniani. Perpiniane *tuo tandem quis versus honori*
Par erit? Erecti Tibi corporis ardua forma,
Splendida vox, laterum contentio firma, decora
Actio, conspicui gestus fauor, incita verba
Hyblæis meliora fauis, & qualia nunquam
Conchæ in diuitibus finxere monilia testis.
Quod si Theologiæ primos tentauere fontes,
Quis par ex omni Tibi nobilis orbe Suarez
Suarij. *Cui* Tagus *ipse, vel amplus* Iber *cum fauce patente*
Neptuno è magno tumidos hausere canales
Cum fluctu cessére suo, nil abdita clausum
Theologiæ secreta sinu tenuere profundo,
Quod Tibi non pateat, mentíque occurrat apertæ.
Magnus idem sectatur iter, similésque triumphos

Ambiit, ille tui dignus collega laboris, Vasquesii.
Æmulus an laudum Vasquesius; *Ille superbo*
Ingenio fretus mentisque sagacibus ausis
Hostiles cuneos, inimicáque castra potenti
Virtute aggreditur, fortíque oppugnat elencho.
Vos quoque vos longo nec dissitus interuallo
Æquali propè mente Ruys *& diuite Patrum* Ruys.
Tutelâ effultus sequitur, quem copia cingit,
Doctáque multiplici componit pagina sensu.
Hispanis *Romana fides, synceráque cordi est* Cap. 3. De Religione Hispanorum.
Relligio, quamquam hos olim Gothus, *impia labes,*
Ariusque nocens rabidis infecerit hydris,
Et Reges ipsos lethali sparserit aurâ.
Hispanas *etiam* Mauræ *contagia fraudis*
Afflauere plagas; Testis Tu Corduba *cladis,*
Cladis, at erro, nec illa fuit deterrima clades,
Sed fortunatis victoria plena triumphis
Mille etenim generosæ animæ mandante Tyranno Fortes in martyrio perferẽdo.
Maurorum, *eductis in fata nocentia cultris*
Sanguineas iniere vias, & calle cruento
Æthereos petiere polos; Me turba volentem
Athletas validos generoso includere versu
Impedit, & nimio modulos examine turbat.
Ex quo autem Mauri *Regum cogentibus armis* Addictissimi fidei catholicæ.
In Libycos *rediere sinus,* Hispania *Christum*
Huc defert quósceptra, procax huic Hæresis omne
Flagitium est, & nil quæsitor acerbiùs vrget.
Quàm scelus hæreticum, & falsæ periuria sectæ.
Illam summus apex, & Regia sceptra gubernant, Cap. 4. De ratione regni.
Ad quæ Regali si forté é stirpe superstes
Recturus mas nullus adest, tùm iura Puellis
Dant aditum; iustâ Hispanum *ttùm lege Puellæ*
Imperium tractare solent, quas forté remotis
Principibus si iungat Hymen, tùm Rector Iberus
Hospes, & externis tractatur Iberia *sceptris.*
Sic ex Austriaco, *cui Nympha Ioanna, Philippo*
Nupserat, Hispani Austriaco *de sanguine Reges*
Exorti, Hispanos *domin.i ditione gubernant.*

Cap. 5. De Frãciâ

At dispar Francos *regimen tenet, aurea regnant*
Lilia, quæ molles calathos, fusósque repellunt,
Sic quamuis solas gignat Rex fortè puellas,
Non tamen his sceptrum, non his diadema paratur
Vi legis Salicæ, *Regi sed proximus ostrum*
Induit & summas Princeps moderatur habenas.
Hinc fit vt ad Gallas *pateat via nulla secures*
Regibus externis, Francâ *sed ouantia semper*
Sceptra manu sedeant, & amico iure regantur.
Et decuit; Gens Franca etenim nil charius ambit,
Ac Regem generosa suum, quem gestat in vlnis,
Cui desideriis, votísque flagrantibus hæret
Est autem valida sedes animosa palæstra
Francia, *pugnarum statio, quam gloria Martis,*
Quam belli commendat amor, quã dextra chalybsque
Promouet, & crebra victoria splendida palma
Hostiles acies Francus virtute fatigat.
Non furto, vetitísue dolis, nec proditor vsquam
Fraudibus incubuit, vilésue exercuit artes.
Huic corpus molle, atque animi præstantibus impar
Viribus, & longi pondus graue ferre laboris
Nesciit; at primis agitur si assultibus, olli
Ferrum, Acies, Rigor, Arma, Vrbes, & castra, minæq;
Et Maria, & Montes, & Regna coercita cedunt.
Nec probrum tolerare potest, & dedecus omne
Morte ipsâ grauius subit, hinc lugubre duellum,
Hinc consanguineos inter, charósque sodales
Iniecto irati tenui vel murmure verbi.
Ardescunt crebræ turpi certamine rixæ,
Effusíque natant cognato sanguine campi;
Ne Franci, *ne dura truci certamina dextrâ*
Vlterius tentate, animos seruate viriles
In Regis, Patriæque bonum, quid more leonum?
Iurgantum quid more canum fera bella fouetis?
Et patriæ meliorem auido mucrone cruorem
Funditis? hæc rabidis hastilia ponite dextris,
Vertite in externas animos & vulnera Gentes.

Cap. 6. *Nec minus ingenium, quam bellica gloria Martis.*

[Margin notes: In quâ lex salica viget — beside "Vi legis Salicæ"; Franci. — beside "Et decuit"; Animosi & validi — beside "Est autem valida"; Quibus quid obsistat? — beside "Viribus"; Singularũ certaminũ appetẽtiores. — beside "Vlterius tentate"]

Fauit, & vt Martem, *præfectáque Numina bello,*
Sic Pindi *coluere Deas, & pacis alumni* De Iustitiâ Frãcica.
Ornarunt cultas fœcundis dotibus artes.
Hic sedes Astræa *suas elegit, vbi omnes*
Explicuit prædiues opes; Hic námque supremus
Iustitiæ Princeps, idem Rex maximus æqui Vbi Rex Princeps Iustitiæ.
Arbitrium iuris certa in delubra diremit,
Inque nouem sedes diuisit, & inde per vrbes,
Pérque omnes excurrit agros; ceu rector aquarum
Oceanus cunctas per se telluris obire
Cùm nequeat venas, cæcósque intrare meatus, Quam diuisit in nouẽ supremas sedes.
Primùm diffusos deuoluit in æquora fluctus,
Flumineos subit inde tubos, hinc stagna, lacúsque
Donec in exiles tandem se diuidat alueos.
Sic in supremo Themis *integra Principe regnat,*
Hic statuit leges, hic iura potentia condit,
Hic mandat decreta, vigent, quas ille probarit,
Defluxere, velit quas ille refigere leges.
Post illum summo decernit Curia *iure,*
„ *Alma salus populi, Mens publica, cardo sagacis*
„ *Iustitiæ, integri statio celeberrima iuris,*
„ *Templum consilii, recta custodia legis,*
„ *Arx libertatis,* Franci *flos aureus orbis,*
„ *Diuinæ solium Themidis, decorísque theatrum:*
Constituunt quod mille Patres, laus ardua Regni, Elogium senatus Gallicĩ
Totius regionis honos, vnde integra crebra
Iura petunt Gentes, illi iura ardua reddunt,
Atque omnes summo dirimunt moderamine lites.
Nec deest Franciadis legum doctrina, nec alii
Doctores desunt, & si vel solus adesset Cuiacij
Cuiacius, *seges ampla tamen foret ille, frequenti* Cap. 7.
Solus par numero, turbámque vel vnicus implens. Elogia
Sed mihi Theologici clarissima turba lycæi quorũdã
Panditur, innumeri veniunt, quos regia fouit Theologorum
Fœcundo Sorbona *sinu,* Sorbona *supremæ* eminentium.
Doctrinæ mater, disciplinaéque magistra
Non'é mellifluis aluearibus aurea plures
Tempestas educit apes, pluresue lapillos Sorbonæ

Effundit placido locuples Piſcaria *Ponto*
Quàm Sorbona *amplum dignos Heroas in orbem.*
Mittit, & Europam *excelſis doctoribus implet.*
Gerſonij *Gerſoni imprimis fulges, cui ſacra ſigilli*
Credita cura fuit, Princeps Tu gloria tanti
Ordinis, éque tuo ſplendet Schola lucida cultu.
Quid reliquos memorare velim, niſi meſsis ariſtas?
Et nemorum frondes? pelagique ſonantis arenas?
Et tempeſtiuæ fulgentia ſidera noctis?
Et florum croceos nitar numerare capillos?
Perronij *Sed tamen vt cunctos ſileam, tacitóſque relinquam;*
At Te Franciacæ *celeberrima gloria Gentis*
Doctorem cui priſca parem vix protulit ætas,
Seu grandes ſenſus, cultæ ſeu philtra Suadæ.
Seu caſtigatæ momenta feracia mentis,
Hiſtoriæ ſeu notitiam, ſeu Palladis *altæ,*
Quâ tua ſcripta tument, oleóque imbuta liqueſcunt,
Intueor, ſeu delicias, calamíque nitorem,
Perroni, *tacito nequeam Te mittere verſu.*
Quæ vel Ariſtoteles, *doctus vel ſcripſit* Aquinas,
Aut veteres ſcripſere Patres, ſtrictíſque ligarunt
Articulis, amplâ complecteris omnia mente,
Diffundíſque tui pulchra in monumenta laboris.
Vos quoque quos grandis doctrina inſtruxit, & in quos
Intulit æthereum diuina ſcientia ſuccum
Sirmondi. *Largius, & pleno ſapientia proluit amne*
Indictos tranſire vetor; Sirmonde *refertum*
Petauij *Gymnaſium, cuius locuples Academia mens eſt.*
Te Petaui, *cui res eſt nulla incognita, cuius*
Palladium ſinus eſt, & bibliotheca, librorum
Altor, & ingenuæ cuſtos omniſcius artis.
Martinoni. *Et Te Martinone, ferax cui copia rerum*
Affluit, ingenium cui cœlica Pallas *amomo*
Afflat, & æthereæ conſpergit amabilis aurâ,
Theſauríſque ſacris, & relligione ſciente
Diuitat, in doctos ſpargis quam deinde labores,
Quos operâ, ſtudióque colis, quos ordine miro
Diſtinguis, methodóque regis, quibus arte politâ
Authorum

Authorum superas monumenta electa priorum
Te verò quâ voce canam? quo carmine laudem
Herois Annate *modis, grandíque cothurno*
Dicende? arcanas superûm quâ luce medullas?
Enthea diuinæ mysteria mentis, & vmbras Annati
Quo splendore aperis? quâ nobilitate recludis?
Quo libros sermone polis? quo pondere rerum,
Argumentorum quâ maiestate triumphas?
O vos qui Mediam *diri clamore latratus*
Notitiam *impetitis, vos vt premit! vt terit ora!*
Quem sibi conciliat vestrâ de clade triumphum!
At Te non referam prisci flos aureæ sæcli
O lux Pictauij, *clarum ô decus, inclyte Præsul* D. Hilarij.
Qui columen Latij, *domiti qui victor Arii*
Qui Pietatis honor, propugnatórque fuisti.
Qui tua per magnum desers vestigia cœlum,
Ducis & incolumes Triadis *per lubrica gressus.*
Nec Te, Phocensi Gallorum *præsul in vrbe,*
Qui varios casus, & lamentabile defles Saluiani
Fortunæ nutantis onus, modulamine tellam:
Cui luctus inter, lamentáque, florea vernat
Dictio, & eoi gemmis contermina Ponti.
Insignem nec Te celebrem Bernarde, *sed altæ* D. Bernardi.
Insignem cultu virtutis, & indole morum;
Quem duræ quercus, circumfusæque miricæ
Creduntur docuisse, polis & lapsa serenis
In pectus fluxisse tuum Sapientia *fertur.*
Sin autem eloquii Genios, teretísque Suadæ Cap. 8. Elogia quorundã Oratorum insigniũ.
Euoluam Heroas, venies in carmina primus,
Qui Cheronæos Francis Amiote *labores*
Tradis, & illustri chartas tener allinis auro
Quin & Te Matthæe canam, quem proxima Phœbo
Scriptio commendat, studii cui multa supellex
Et rerum thesaurus adest, & copia vocum
Vt primum patet, illum omnis mirata Iuuentus Amioti
Excipit, & magno laudat de Rege loquentem.
Qualis honorati per ouantia iugera circi Matthæi
Spadix cæsarie, titulísque superbus auitis

A populo spectatur equus, cùm cœpit arenas
Tangere, & in medio primùm decurrere circo,
Illum spectantum fauor vrget, & incitat vltrò
Plausus, & effusi speciosa corona theatri.
At Duuairæus, *virtus cui condidit vlnas,*
Duvairæi. *Cui strauit fortuna gradus, cui publica rerum*
Cura data est, sanctique fides commissa sigilli,
Eloquium totum ore hausit, mollémque Suadam
Transmisit doctis in culta volumina curis.
Non sic Hyblæi per Hymettia *gramina succi*
Leniter axe cadunt, non ætheris humor eoi
In pictos sic manat agros, fragrantia sudant
Duriùs excisa de stipite balsama matris,
Asperiùs fluit vnda tubis, & in aureâ Diuûm
Pocula nectar iit, non sic prædiuite venâ
Flauens è viuis fornacibus exiit aurum.
Tu quoque Aquitani *Princeps Auguste Senatus*
Nesmōdi. *Fortunæ quem mollis apex, quem grandis honorum*
Gloria, nobilium quem lōgior ordo parentum,
Quem largus suggestus opum clarauit, at ardor
Ingenii, & solidi partus doctrina laboris
Altiùs euexit, nomẽnque insigne parauit,
Nesmonde, *in nostro ceu gemma nitebis Elenchu*
Segniùs in magno Delphin natat incitus amne,
Segniùs hasta volat, velox it tardiùs ales,
Segniùs & campo sonipes procurrit aperto.
Nec Te Patriciâ veniens è Gente Senator
Remūdi *Prænomen qui è flore trabis* Remonde *tacebo.*
Hæreseos cunas, & busta nocentia, sed quâ
Maiestate refers? quàm plena oratio? quantâ
Vbertate fluit? non tanto vortice turget
Euphrates sociis tumuit cùm Tygris ab vndis,
Et multas collegit aquas, non maior in igne
Impetus. hæreticos quàm quo ruis acer in hostes.
Nec Te France Liuii tacitum plexæe *relinquam*
Francorum historiam primo qui texis ab ortu
Plexæi. *Sed quâ luce? quibus philtris? quo denique cultu?*
Nituntur quâ scripta fide? quos adiicis omni

Ornatus, pompámqxe operi? Tibi finxit amœnum
Pieris ipsa stylum, placidóque illeuit amomo,
Aspersitque libros, nec sepia nigra tuorum
Scriptorum seriem, monumentáue candida pingit,
Est sanus, est purus pretiosi Nectaris humor.
Nec Te transierim Geneuæ dignissime Præsul Salesij
Nec florens Cofetelle, pari quos copia cultu
Maiestásque polit, quorum diuina leguntur
Scripta, per & puros quæsita volumina flores,
Heroes saluete, alti noua sidera cœli
Rhetoricæ diuinæ apices, pietatis alumni, Cofetelli.
Virtutum ingenui altores, meliore cothurno
Dicendi, & grauiore tubâ, neque enim æquora tantæ
Laudis Musa subit, vestros neque tentat honoress
Tu verò æqualis Latijs, *æqualis* Achiuis
Rhetoribus, dominâ quem splendida Regia turmâ
*Dieentem est mirata,*Coto, *haud indictus abibis.* Cotonis.
Tu Reges, primósque Duces, Tu Gallica dictis
Oppida Tu magnas mulsisti vocibus vrbes.
Molliùs è tenero manabant verba palato,
Quàm de maternâ nitidus fluit vnio conchâ,
Aut quàm mellitus roscis é floribus amnis,
Aut matutino quàm depluit humor Olympo.
Téne inter Sophiæ Proceres, intèrne reponam
Eloquii heroas studiorum antique meorum?
Baioli collega, animis sed ouantior altis, Baiolij
Sed curá melior, mentísque potentior ausis,
Cùm Vita Interior *tanto quam cultus oliuo*
Imbuis, & placidæ doctâ colis arte palæstræ,
Obiicitur populo spectanda, quis altiùs effert
Eloquium? aut tantâ assurgit cui dictio pompâ?
Cùm verò abstrusi mysteria grandia sensus,
Arcanásque preces, secretáque veta reuoluis
Excessúsque sacris animi, & commercia cœli
Abductâ cum mente, Tibi quis denique par est?
Sed quis Rhetoricæ cunctos percurrat alumnos?
Iustiùs innumeras cœli numerauero flammas,
Et guttæ quot in æquor eant, quot campus aristis

Turgeat, & vernis tumeant quot prata coronis.
Nam tandem quis finis erit? quo limite claudar?
Amicorum. *Si Te compositâ* Rosimelle *facillime lingua*
Ferre velim, Francæ *quem non modò pulcra* Suadæ
Eloquentium. *Cura, sed & Latiæ decorat Facundia linguæ.*
Nunquid & effusis pateat mihi campus habenis
Si Te Solisuerne *loquar? quem nobilis ardor*
Ingenii cultúsque animi, & facundia vocis
Reddidit, eloquii studiis præstantibus aptum.
Sed Te Martis honos, & dulcis gloria belli,
Et Patriæ syncerus amor, quam turbidus hostis
Quamuis incassum numeroso milite tentat
Et *A* Musis *reuocauit, vbi tamen agmina longè*
Reppuleris, fractásque procul remeare cohortes
Iusseris, ad studia alma redi, facilémque reuise
Sociorũ. Rhetoricã, *Eloquiúmque altis virtutibus imple.*
Si vos egregiæ quos igneus indolis æstus
Excitat, ô cultis legio gratissima Musis
Rhetoricæ laus prima, sacri flos aureæ pindi,
Sensa quibus, mentémque sagax effinxit Apollo
Eloquar? ô Chariton *&* Arethee, *Lampeponique,*
Licolnique *micans,* Lothesique, *Astérque pudoris*
Virtutísque tenax? si vos Florelle, Thymíque
Et Ferenæ *canam? si vos productior ordo*
Pãcalle, Anthinax, Philocleie, Technis *& Æmĩ*
Et Polythalle *feram? studii quos viuidus ardor,*
Quos mens Phœbœæ *impellit contermina menti.*
Tu claudes agmen, claudes, sed vt igneus aurum
Tornatum claudit carbunculus, ardue Præsul
De Raconis. *Flos Pindi,* Vauræ, *suas cui contulit artes,*
Commisítque suos Princeps Facundia cultus
Et calamos dedit ipsa suos, tua pensa relegit,
Incubuitque tuo præses per seipsa labori
Ipsa etiam quam Tu validæ modulamine laudis
Extollis, vultúsque suos, cultúmque decentem.
Diua Psyche, *& teneras voces vix cultius ornat,*
Quàm tua Tu pictis varias monumenta figuris.
Cap. 9: *Quod si Castalios versu meditabor olores*

Imprimis dicere, modis Godelle *disertis*
Auree, cui puro manantes melle sagittas
In calamos suffecit Amor, cùm scribis Amores
Sed castos, niueísque pares candoribus, & cùm
Pascua, & appositas teneris pastoribus vmbras.
At Te si meritâ paterer sine laude relinqui
Sim reus, ô Vates elatis apte theatris,
Quíque Sophocleos *vincis grauitate cothurnos*
Arduus Euripides *cui cedit, &* Æschylus *ingens,*
Corneli, *Nec Te vatum de classe* Scuderi
Excludi patiar, scenâ qui primus in altâ,
Aut certè primo qui proximus esse mereris
Medeam *Senecæ lugens Mariamna vel æquat,*
Vel grauior superat, quid magna Tragœdia maius
Ambiat, ingenii quàm tanti æquare laborem?
Sed quo Te plectro tenerum? quo carmine dicam
Mollior effuso Zephyrorum in germina rore
Culte modis Hessæe, *Charis quem cepit in vlnis*
Nascentem, faciléque Helicon *impertiit artes.*
Nec fas excelsi modulos reticere Malherbi
Nobilior cui vena tumet, cui plectra laborant
Semper in Heroum gestis, Regûmue canendis.
Ah mihi non liceat claros celebrare Poëtas,
Ni Te inter primos Moinæe *præalte reponam*
Pindaricis assuete modis, cognate Camœnis
Teia *cui cithara, & cantus numerosus* Horati
Obsequitur, plectróque Linus *facundus eburno.*
Te verò, Ronsarde, *sacræ fouere sorores*
Et lauro implicuere comas, animáque fauente
Infudere Tibi proprii modulamina cantus.
Arrisere Tibi Charites, *Te sanctus* Apollo
Virgilio, *magnóque parem Te reddit* Homero
Tu dotes vnus cunctas complexus, & vnus
Quod reliqui tenuere, tenes; si facta Deorum,
Nobilium si bella Ducum canis, ara, tubásque
Afflatu meliore animas, & ad alta Maronis
Carmina, & ad magni cantus assurgis Homeri.
Si pastoriciá numeros modularis auená,

Elogia quorũdã Poetarũ illustriũ

Godelli

Cornelii

Scuderij

Hessæi

Malherbij

Moinæi

Ronsardi

Si molles agnos, pecudésque in pascua ducis,
Si rastros & aratra moues, Tu Idillia *vincis*,
Hesiodique dies *radiis melioribus auges.*
Pierium *si pellis ebur, si plectra, chelynque*
Tangis, & in lyricas cithara Te coniicis artes,
Non modò Thebanæ *cantor cultissimus vrbis,*
Non modò Lesbiacis *natus* Terpander *ab oris*
Assurgit, sed & ipse tener Tibi cedit Arion
Si sacros Elegis addicis amoribus æstus,
Et lessis, lacrymísque vacas, & culta Tibulli
Carmina, Callimachiq; *modos, numerósq;* Philetæ
Et Pelignæi *superas spiramina vatis.*
Mordaces calamos si felle seuerus acerbo
Imbuis, & satyras, & amara poemata condis,
Hæreticósque truces, & dira venena Ministrorum
Impetis, & falsa ludibria noxia secta,
Nec Tibi par Iuuenalis *erit, nec* Persius, *& so*
Molliùs exceptum vesanus sentiet Ibis.
Argutos si fortè sales Epigrammate claudis,
Et bis septeno constringis acumina versu,
Et mollem Antiphilum *tenerúmque* Bianora *vincis*
Alcæúmque *grauem, natúmque è* Bilbile *vatem.*
At quid Romuleâ Te carmina voce canentem
Sammarthane *feram? celebri quem spectae alumno*
Sarmathani. Mantua *penè suo ire parem? Quid Te alte* Thuane,
Qui celeres qui scribis aues meliore volatu
Thuani. *Vincis, & in celsas Te subuehit altiùs auras?*
Quid Te Ecculismæ *magnum decus, auree* Thoma
Qui iuris doctos apices, Themidósque *tribunal*
Ad cithara deflectis ebur, quo duriùs imber
Thomæ. *In sata verna fluit, quo carmina culta canente*
Æacus exacto mitesceret ipse rigore.
Quid Te iterùm eiusdem patriæ lux altera fabor
Garassi *Ingenii flos, mentis honor, Charitúmque* Garasse?
Pindi *equidem Tibi apertus apex, Te pectore toto*
Nobilis infusum docti capit vnda canalis,
Et laurum pleno ore molis, sed Te inclyta mentis
Dexteritas, vastique capax industria sensus

Altiùs extendens studii potioris honori
Addixit, sacrósque dedit versare labores,
Tu qui Mæonia fretus testudine Mosen
Hebræásque Tribus Erythæa per æquora ducis,
Quos versus! quàm laurigeros! quàm plena triumphi Miliæi
Carmina! quam pompam laudis Miliæe mereris
Cui vel Arionij delphinia musica plectri,
Ipsa vel Eunomiæ cedit dulcedo cicadæ.
Vos autem vnanimo socii, quos fœdere mecum
Mollis Aquitanæ iungit Prouincia terra,
Quo vos ore canam? Non si mihi conferat omnes
Pindus opes, Heliconque meas fluat omnis in artes;
Non mihi si facunda suos Polyhimnia cantus
Fundat, & ipse fauens modulos immittat Apollo,
Vos digno tamen ore canam, quos Entheus ardor Ausonij.
Excitat, & laurus mediis innascitur vlnis.
Nec primùm Musas iam Gallia nouit, at illas Alcimi
Ex longo colit; Ausoniâ quin Gallus in vrbe Venātij
Incessit vates trabeatus, & infula multos S.Pauli-
Induit, & claros vittæ texere Poëtas. ni.
Alcimus & Clani incumbens Venantius vndis, Victoris.
Paulinúsque tener, vernóque Drepanius ore, Sidonij
Et Victor, doctáque potens Sidonius arte, Cap. Io
Testantur Gallas Musis placuisse medullas. De Frā-
Iam verò quàm sancta fides! quàm pura subiuit corum
Relligio Francorum animos! quos integra semper intactâ
Astrinxit Pietas, & summi cultus Olympi. fide
Sed Reges quis cultus habet? quàm semper in illis Reges
Effulsit syncera fides? quos nullius vnquam omnes
Ex quo diuinum coluit Clodouæus Olympum maximè
Insecere malæ deliria perfida fraudis Catho-
Illi etenim, quoties aut Hæresis improba terris lici
Incubuit, mentésque virûm delusit inanes, Hæreseō-
Deuia vel quoties fallacis opinio fraudis ion im-
Dissidium iniecit, toties sua tela, suásque pugna-
Opposuere acies, & lecto flore phalangum tores &
Aut illas iterum magni sub iura Tonantis dissidio-
Duxere, aut domitos meritum misere sub Orcum rum.

Quos nisi Franciadum *certa in tutamina Reges*
Romulei legere Patres? si quando tumultum
Scandinia, *aut tetris* Insubria *saeua tyrannis*
Pontificum defensores *Exciret, primáque sacras ex vrbe thyaras*
Proruerct, quæ tuta illis nisi Francia *sedes?*
Securúsue fuit Latio, nisi Gallus asylus?
Si quando Fridericus *atrox, si quando rebellis*
Et sedis Apostolicæ propugnatores. *Communem* Henricus *diro premit agmine Mystam,*
Quis tùm illi auxilio populus nisi Gallicus? & quam
Sensit opem? nisi quam fidis dat Francus in armis?
Pro multis mihi testis erit Gelasius, ille
Antistes sacris imponitur, aurea crines
Cap. II. Gelasius Pontifex. *Vix dum composito religauerat infula nexu*
Decutit impositas rabies cùm barbaria vittas,
Et superest fuga sola piis, ille vnus asylus,
Vna salus; Casto fugiunt cum Præsule Mysta,
Limosásque legunt Tiberini *fluminis actas.*
Passus multa ludibria *At Tu purpureis patribus qui iungeris* Hugo
Præ reliquis memorandus ades, Te nulla silebit
Posteritas, noménque ferent, & gesta nepotes.
Gelasius *nimiâ gressus tardante senectâ*
Ire nequit, mora lenta nocet, nam perfidus hostis
Insequitur, tunc, Hugo, meis ceruicibus, inquit
Chare parens incumbe, lubens onus illud obibo,
Et si quis est, adimet Pietas mihi blanda laborem
Illius in collum Mystes imponitur; ô qui
Portitor! ô qualem nancisceris optime currum!
Quæ melior quadriga fuit? quæ vectio? quantus
Succollator adest? quod ludicra fabula finxit
In Duce Dardaniæ *veram in rem transtulit* Hugo.
Interea ruere in stragem, rabiémque, furorémque
Vrbs omnis, fremit infelix lapidatio, clades
Editur, & magnâ nihil est nisi luctus in vrbe.
Hæc vbi Mysta videt, Latiis excedere campis
Destinat, & tali alloquitur sermone sodales.
Et grauiora veritus *Cernitis ô fidei pugiles, ô debita cœlo*
Pectora, quæ dominâ nos fata sequantur in vrbe.
Luctus vbique, & vbique pauor, dolus asper, & horror,


Iráque nos circumstat, atrox pro mitibus aris,
Armorum nobis est vsus, & infula diram
Vertitur in galeam, & frendentia castra, minaéque
Murorum, validis & propugnacula pinnis
Templorum tenuere locum, canonésque, libríque
Cedunt in Chalybem, & stridens tuba concio Romæ est.
Quis furor hic? quod mõstrũ vrbis? rursúmne redimus
In bellatricis crudelia tempora Romæ?
Testor Te Pietas, & vos æterna polorum
Numina, si nostrâ sisti tot iurgia cæde
Sperarem, funesta lubens ego fata subirem,
Expleremque tuos rabies ô barbara cultros.
Sed furor in tetros grauior descenderet hostes,
Cedamus procul ergo, istis abeamus ab oris,
,, *Quò nostri cessere Patres; est* Gallia *portus*
,, *Pontificum, illa altrix fidei, hæc pietatis alumna,*
,, *Perfugium hoc solemne Patrum est, hæc vna salutis*
,, *Anchora,* Francigenæ *mea sunt fiducia Reges*
Sic ait, & pelago se credidit, incita vela
Impleuere Noti, fugit Itala *terra, propinquat*
Gallia, *festiuis Patrem exceptura triumphis,*
Excepítque fauens; Francis quàm grata fuerunt
Hospitia! ô quanto riserunt oppida sensu!

Tãquam in portũ tutissimum.

Exẽplũ secutus anteriorum Põtificum

Se recipit in Frãciam





LIBRI DECIMI SEPTIMI PROLVDIVM.

QVemadmodum in corpore omnia inculta & inania ſine vi, ſine honore, ſine vitâ labuntur, ſi ab Animæ virtute deſerantur; ſic & Oratio langueat neceſſe eſt, ſine cultu, ſine ornatu, ſine dignitate eâ, quâ auditorum animos incendere debet, niſi animâ ſuâ concitetur, qui Affectus aut Motus eſt. Itaque præceptiones noſtras mancas & mutilas exiſtimaremus, niſi motuum conciliandorum rationem vltimis his libris Rhetoricæ illigaremus. Iſto autem qui proximè ſequitur Amorē inter Motus nobiliſſimū deſcribemus.


Amor primus eſt vitæ noſtræ gubernator, lætitiæ altor, mœroris abactor, cordis nutritius, ſenſuum titillator ſuauiſſimus. Helepolis eſt, & machina potentiſſima, quæ ſine ſtrepitu, ſine tumultu, ſine tyrannide non ſepta, ſed corda, mentes non montes infringit. Inſinuat ſe molliùs, quàm imber in herbas, quàm ros in conchas, quàm flos in mella, quàm muſica in aurem, quàm nectar in guſtum, quàm ver in hortum.

Stringit amantes firmiùs, quàm arbores inſitio, quàm ignis metalla, quàm calx ſaxa, quàm clauus ligna, quàm natura familias. Voluntates gubernat potentiùs, quàm ratem nauta, quàm ductor arma, quàm ventus maria,

quàm chloris prata, quàm anima membra. Liberalis est Amor, & largiùs sua profundit, quàm fons riuos, qnàm odorem rosa, quàm balsamum suauitatem, quàm nitorem adamas, quàm pretium monilia.


Fer pictor colorem,
Quò pingas Amorem,
Fortem, vixidum,
Dnlcem adde cultum,
Expressurus vultum
Mollem, candidum.
Horis matutinis
Sol binis, & binis
Vectus orbibus,
Cùm surgit ab vndis,
Non ita fœcundis
Sit nitoribus.
Hortus speciosis
Interpunctus rosis
Vernis mensibus
Optem vt minores
Effundat decores
Blandis floribus.
Ætheris tepore,
Hortorumque rore
Delicatior,
Maii tempestate,
Sit amœnitat e
Ipsâ mollior.
Lilium colorem
Ferat nigriorem,
Rosa pateat
Crine decolore.
Si cum hoc Amore
Stare audeat

Nos illi palatium ædificabimus, ipsumque in solio constituemus.



LIBER
DECIMVS SEPTIMVS
De Motibus Amoris & Odij.

Proposi-
tio.



Vnc mihi in extento dabitur decurrere campo
Latiùs, effusísque viam describere metis,
Iam Motus secreta iuuat penetrare, sinúsque
Scrutari, cæcásque animi tentare medullas
Quidquid & arcana condunt penetralia mentis,
Omne mihi reserandum, animi iam sacra patescunt
Inuocatio. *Limina, & occultas irrumpo admissus in ædes*
Affectus iam cerno, suis qui sedibus hærent,
Vestibulúmque animæ & cordis prætoria seruant
Cap. I. De affectibus in genere *Circum* Rhetoricæ *speciosa palatia Nymphæ*
Tecta patent augusta, sedent vbi diuite pompâ
Affectus, *variíque tenent habitacula* Motus.
Hos animæ supremus apex, excelsáue mentis
Sedent in parte inferiori animæ. *Non peperit matrix; Aer qui proximus astris*
Vicinúsque polo est, nec mobilis impete venti
Concutitur, trepidi premitur neque turbinis æstu,
At tantùm inferiora tonant, & ninguidus imber.
Et Notus in citimâ tantùm furit horridus aurâ.
Non aliter suprema animæ pars provima diuis,
Excelso cognata Deo, contermina cœlo
Affectus generosa pati Motúsque recusat.
Inferior Motus igitur pars procreat, aut quæ

Sentit, vt Irascens, cupiénsque, *nec altera nobis*
Nomina ferre licet, non altera ponere verba,
Sermonis patitur quæ pagina laxa soluti.
Alter ab Irascente *fluit; fluit alter ab imâ*
Parte animæ Cupientis, Amor, *mordáxque seueri* Alij in
Asperitas Odij, Desideriúmque *serenum,* irascibi-
Et Fuga, *cúmque truci iûcunda* dolore voluptas li.
A sensu cupiente fluunt; Senarius alter
Et Spes *læta, ferox &* Desperatio, *truxque* Alij in
Ira, *placensque etiam tenero* Clementia comptu concu-
Et Metus, *& grandi assurgens* Audacia *corde* piscibili
Irascente *fluunt à semine; nempe feruntur*
Non plures quam bis seni, námque alta Cupido, Sunt
Et Pudor, *&* Fastus, Liuorque, *animique tumentis* duode-
Ambitio, *& magnæ grauis* Indignatio *mentis* cim.
E primis oriuntur; Vti ab radice paternâ
Cui præpingue solum fœcunda alimenta ministrat A quib9
Surculus exurgit vicino multus in agro cæteri
Aut veluti è magnâ turgentis origine fontis
Extenta in multos deducitur vnda canales.
Ergo Rhetoricæ *circum prætoria* Motus
Extruxere suas gemmis è ditibus ædes.
Prima serenati sedes occurrit Amoris, Cap. 2.
Materies quam blanda struit, multúsque coacto Palatiũ
Vnio rore ligat, surgunt è flore columnæ, Amoris
Pro tignis, trabibúsque domum fulsere micantem vt affe-
Lilia, multifores intrat lux plena fenestras. ctus est.
Ad primos aditus, & eoæ ad limina portæ Cuius
Ver *radians florente comâ,* Zephyrúsque *sereno* Ianito-
Rore tepens faciles pandunt venientibus ædes, res Ver
Admittuntque intrò, quos excipit alma Iuuentas Zephy-
Tecta peplum læuem, mollique tenerrima vultu. rus Iu-
Stat lacer in medio falsorum truncus amantum, uentus
Qui pactam rupere fidem, dextrásque scelesti Vbi ficti
Retraxere datas, ignobilibúsque medullis amantes
Immites aluere dolos, & numen Amoris puniti.
Sunt ausi violare, quibus Rhamnusia *vindex*
Instat & inflictis premit impia crimina pœnis.

Intus in ingentem ſedes extenditur aulam
Componit quam diues onyx, iunctáque venuſtat
Maieſtate decor, ſolii ſtat candor eburni,
Intus eſt Amor *Pulcher vbi* Charitum *partus, quem plurima cingit*
Gratia, puniceos cui nobilis infula crines
Illigat, & teneros ambit flos textilis artus,
Innixus ſpectatur Amor, *cui flammea pendent*
Miſſilia ex humeris ignita intexta pharetræ.
Circumſtant Regem Proceres, quos candidus olim
Illuſtres effecit Amor, *dat brachia* Niſo
Iuxta quem Veri amantes Euryalus, Pyladéſque *manus coniungit* Oreſti,
Damonem *teneris* Pythias *pius implicat vlnis,*
Dauidem Ionathas, *neque enim Patris obſtat acerbũ*
Ingenium, tenet, & placidâ dulcedine languet:
Tandem omnes, quos purus Amor, *dum vita manebat;*
Vinxit, ibi caſtâ celebrant conſortia mente,
Et curas ſolantur, ibi feſtiua canentes
Carmina, ſyncerum ſociis teſtantur amorem.
Vt viridi in campo cum ver ſata pulchra coronat,
Amoris ſui illecebras canunt *Agricola expurgat quam ſedulus, arbor adhæret*
Matri legitimæ, ſtrictóque ligamine terræ
Iuncta vireſcentes pleno parit vbere fructus
Æterno ſic noſter Amor *ſe iure ligabit.*
Vt murum complexa hedera, aut ſinuoſa per vlmum
Brachia protendens ſe nectit, vt vuida vitis
Plenius effuſos elargitura racemos
Firma pedamenta, & fixos premit vndique palos
Æterno ſic noſter Amor *ſe iure ligabit.*
Vt ſibi florilegæ variata per arua viciſſim
Auxiliantur apes, & dum borealis ab axe
Irato deſcendit hyemps aluearibus imis
Condunt ſe patulæ, & contra fera frigora ſeruant
Æterno ſic noſter Amor *ſe iure ligabit.*
Qualis ad electri ſpeciem confertur amœnus
Argentíque, auríque liquor, qualíſque Lyæus
Infuſæ miſcetur aquæ, cùm ſobrius optat
Pocula conuiua atque ſitim depellere tentat
Æterno ſic noſter Amor *ſe iure ligabit.*

Qualis pubentes ros matutinus in agros
Labitur, & lætam lapsus se immittit in herbam,
Qualis & æthereo vernus flos iungitur imbri,
Cùm molles operantur apes fragrantia mella
Æterno sic noster Amor *se iure ligabit.*

Circum mille lyræ, circum millena rosarum Cap. 3.
Tubera, mille hederis iunctæ felicibus vlmi, Quædam
Et mille ingrato volitant sine felle columbæ. Amoris
Mollia texuntur ridimicula, florea vincla symbola
Captiuas strictura manus; Ibi pinea poma
Ignis, & accenso candens in fomite carbo
Diductis aperit tali cum lemmate testis,
Qui firmas spernit vires, hic cedat Amori
Turris in elatos assurgit candida muros,
Quam multi impugnant crebris assultibus hostes,
Sed tela alati Iuuenes immissa retorquent
Defendúntque suo fortes munimine turrim,
Hic autem appictus notat omnia signa character,
Munimentū ingens, & inexpugnabilis Arx est
Quam circumpositi validè tutantur Amores.

Hic igitur stat pulcher Amor, *blandissima cordis* Cap. 4.
Lætitia, humanæ dulcedo tenerrima mentis, De necessitate
Ecquid enim è vitâ mollem qui tollit Amorem, amoris.
E magno nisi solem orbe, & fulgentia tollit
Lumina, & obscuro cælum funestat amictu?

At verò rerum bonitas vel vera, vel illa Cap 5.
Affixam falsò quàm fingit opinio rebus Vnde
Omnis origo sacri est, & fons syncerus Amoris. oriatur.
Quod si peruersi quandoque cupidine voti
Triste malum, damnúmque petat, petit illud opertum E rerum
Veste boni, sanctaéque habitu virtutis amictum bonitate
Sponte tegi vitium omne cupit; nisi crimen inanes
Blanditias asciscat, iners à mente virorum Et si forte vitia
Respuitur; quis Auaritiæ? quis seruiat Iræ? amentur
Quísue Dionæo præcordia torreat igni?
Ebria quis madido poscat carchesia Baccho?
Sæuitiam quis toruus amet? quis furta latronum
Ambiat? aut vetitos prærupta mente tumores?

Natiuâ si fronte patent? nisi turpia condant
Ora? nisi externæ exhibeant mendacia formæ?
Quippe malum grauiora animo quò damna nocenti
Sub veste virtutis amantur. *Inferat, ínque imos grassetur atrocius artus,*
Tegmina virtutis speciosa, boníque colorem
Induit, & tali specie lucratur amorem.
Non secùs ac piceo densatus in aëre turbo,
Vel nubes, quam cogit hyemps, licet aspera ventre
Fulmináue, aut glaciẽ, aut pluuios circũferat amnes,
Si tamen in solis radios cadat, inde colorem,
Inde decus speciémque trahit, quâ lumina mulcet
Spectantum, placidúmque oculis inducit amorem.
Cap. 6. De studio amoris erga amicum *Sed quid* Amor *tandẽ est? placidi quid gratia motus?*
Quid? nisi velle bonũ? *mollem nisi propter amicum*
Ferre laborifera discrimina grandia vitæ?
Æquoreæ subeundus aquæ si turbo, grauísque
Excipienda maris discrimina, lætus adibo
Naufragia, & sæuas Maleæ *tentabo procellas.*
S*i mihi vel* Libycæ *calor excipiendus arenæ,*
Æthiopúmque *plagæ*, Meroes *vel trames arandus;*
Si mihi Sarmaticæ *feralia frigora terræ,*
Propter quem omnia subit discrimina. Riphææque *niues, gelidíque iniuria cæli*
In Scythicis *toleranda iugis, tolerabo pruinas,*
Riphæas *tolerabo niues, & busta* Sienes
Excipiam, & Tropici fines vtriúsque subibo.
Si noster versetur Amor *tela inter & enses,*
Et rigida implicitis gemat inter vincla lacertis,
Si formidati scelerata in busta Perilli
Incidat; inde illum per mille pericula, pérque
Crebra cruentatæ eripiam discrimina mortis.
Ibo per aduersas Equitum, Peditúmque cateruas,
Modo virtus sit illæsa *Ibo per informes tenebrosi carceris umbras,*
Ibo, nec vlla meos teneant obstacula nisus,
Lædatur nisi fortè meo conamine virtus.
„*Virtuti nam cedat* Amor, *nec creditur ille,*
„*Quem virtus non nutrit,* Amor; *vel factio demens*
„*Prædonum vel quæstus erit, vel fœda voluptas,*
„*At verus non stabit* Amor; *nam mollis* Amoris

Stat

„ *Stat virtus futura tenax, vel glutine visci,*
„ *Vel laqueis capiuntur aues, inuoluitur hamo* Sine quâ amor non est
„ *Piscis, & intortâ capitur panthera sagittâ,*
„ *Induitur fera cerua plagis, pulcherrimus vnâ*
„ *Virtute irretitur* Amor, *quâ temuit inanes*
„ *Fortunæ rixas, longi vel temporis annos.*
Hos verò contingit Amor, *quos mollior vsus*
Indolis, & faciles natura benignior ornat, Cap. 7 Qui facilè amantur.
Quos idem nobiscum animus, similísque voluntas,
Quos ætas eadem, pariúmque affectio morum,
Quos eadem studia, & sociæ coniunctio vitæ
Stringit & è nostro capiunt incommoda damno,
Aut è felici salientia gaudia sorte,
Qui nobis bona chara parant, nil quippe medullas
Arctiùs, aut mentem vinclo meliore ligabit,
Quàm magni cultura boni; quin ipsa cruentis
Moribus, & duris animalia nata cauernis,
Ipsæ etiam tygres, ipsi feritate leones
Indomiti, se crebra sinunt per commoda flecti.
Primũ igitur quod gignit Amor, *cõformis amãtũ est* Cap. 9. De vnione amoris
Vnio, sic geminas nunquam strictissima plantas
Vniit insitio, stirpes cùm doctus arator
Stirpibus adiungit, validóque senilia cultro
Membra sagax secat, ínque nouos fit adoptio ramos
Vt syncerus Amor *charos coniungit amantes,*
Fortiáque implicitis immittit vincla medullis
Hinc aliena petens dulcis solatia vitæ In amicò viuit amicus
In seipso non viuit Amor, *sed viuit in vlnis*
Alterius, vitámque trahit de pectore amici.
Quod si vitali discedat Amicus ab aurâ,
Illum ardens comitetur amans, nec dira recuset
Funera, ni timeat, ne si moriatur & ipse, Extinctũ quẽ vult sequi
Id totum quod erat reliquum moriatur Amici.
Si tamen extincto non commoriatur Amico,
Mille vias inquiret Amor, *quò se vniat, & se*
In chara extincti consortia fundat Amici,
Sic Carum *Regina, suo quò viua marito,*
Etsi illum extinctum iam funera mœsta tulissent,

Aut illi vniri.

Hæreret, cineres, raptásque ex igne fauillas
Transtulit in cyathos, haustúque obduxit eodem
Quo potum, lacrymásque suas, vt & ipsa sepulchrum
Viua foret, chari quo coniugis ossa cubarent
Molliùs, ínque suis requiesceret vmbra medullis.

Cap. 9. Lacrymarum author est amor

Est & Amor *lacrymarum author, nec sæpius aër*
Stillantes emittit aquas, quàm lumen amantum;
Quin lacrymæ teneri pastus creduntur Amoris.
Ac veluti florúmque parens, atque author odorum
Maïus, *vbi clibani septo est inclusus aheno,*
Suppositis vbi flamma focis accensa calorem
Emisit, ferrúmque flagrans efferbuit æstu,
Extemplo mollesue rosæ, vel candida peplo
Lilia, vel violæ, vel caltha coercita claustris
Soluuntur, stillísque cadunt, lacrymísque liquescunt,
Et clibani per rostra fluunt, sic purus Amoris
Ardor, vbi calidis cordis penetralibus hæsit
Educit lacrymas oculis, & lumine fletus.

Cap. 10. De fortitudine amoris

Secretum nil claudit amans, sic membra Poëtis
Nudus Amor *quod cuncta suis arcana recludat,*
Effusósque sinus, & pectora credat amicis
Parua loquor; maiora audet, vitaque minatur,
Fata iubet, tenerísque etiam dat tela puellis
Fœmineas armátque manus, & candida ferro
Pectora, & ardentes stricto fodit ense medullas
Pantheam *confecit* Amor, *cùm námque maritum*
Extinctum in mediâ lugens cepisset arenâ,
Ingemuit, lacrymisque viam concessit apertis.

Vitam prodigit audacter

Nec satis est, nam plura dolor, nam plura requirit
Non communis Amor, *sólos neque luminis imbres*
Expetit, effuso gaudet quoque sanguine pasci
Illa igitur confossi hærens propè funus amici
Exanimésque dolens querulis singultibus vmbras,
Eiecit de corde metus, gladiúmque prehendens,

Etiã imbelles manus armat

Hic dilecte, inquit, Coniux, syncerus Amoris
Testis erit, comitémque tuis me deferet vmbris.
Nec plura intortáque manu confixit acumen
In pectus, læua qua se erigit vmbe papillæ.

Occubuit, charúmque petit comes vmbra maritum.
Ille sed humani tantùm est effectus Amoris
Maiorem diuinus habet, nec vulnera solum — Cap. II. Amorē diuinum humano fortiorē
Imperat, aut mortem præscribit, at imprimit ipse
Vulnera, sed mortem ipse infert, neque tela, neque enses
Sumit, at ipse suo, quâ vi valet, impete cadit.
Italiæ Assisiâ *natus* Franciscus *in vrbe*
Diuini incubuit studiis Seraphinus Amoris.
Non illi par alter erat, cui charior Æther, — D. Franciscus
Cui Pietas, dominâ cui Christus *in arbore pendens*
Dulcior, huic animos, curas huic fixerat omnes,
Hunc desideriis, hunc totâ mente petebat.
Et quoniam diuinus Amor, *non viuit in imâ*
Parte animæ, sed in arce sedet sed regnat in altæ
Acropoli Rationis ouans, illíque voluntas
Nobilior solium est, se iam Franciscus *ab omni*
Corpore, & à licito carnis secreuerat vsu
In totum abscindens vani commercia mundi
Purior æthereo quo victima staret Amori.
Iámque fatigatos macies exederat artus,
Et quidquid terrenum aderat sacer hauserat ardor,
Exuerátque hominem, sancto cúm in monte sedentem
Ardua flammatis pulsantem sidera votis
Angelici splendore habitus, senóque volatu
Diuinus conuenit Amor; *verbísque salutans* — Vulneratur ab Amore ipso
Noster es, ô Francisce, inquit, Te missa pudico
Vota sinus, crebraéque preces, lacrymaéque fluentes,
Et gemitus, & ducta pio suspiria corde
Iampridem fecere meum; Tibi multa fauoris,
Multa animi tibi signa mei; Quid enim igneus ille,
Quo flagras, calor? atque altæ seductio mentis?
Quid lacrymæ, quibus ora rigas? quid sedula vitæ
Regula? quid Pietatis apex dignissimus? in Te — In Seraphinum mutato.
Regnantis nisi signa mei? sed pluribus illa
Conueniunt; Iam signa Tibi cape propria, nostrâ
Vulnera facta manu, atque meum exhibitura fauorem.
Dixerat, & Francisco *hærens manibúsque foratis*
Contingens, plantísque, manus, plantásque patentes,

Et effigies fit amoris

Apponénsque latus lateri, plantásque, manúsque
Sauciat, & lateri quoque vulnus amabile fecit.
Hinc expressa fuit sancti Franciscus Amoris
Effigies, sacríque flagrans ardoris imago.

Cap. 12. De violentiâ eiusdem amoris.

Fortior est quoque sanctus Amor, *nec stigmata tātùm*
Externis adhibet membris, sed in ossa sinúsque
Transit, & in viuas torquet sua tela medullas.
Omnia vincit Amor; *quis sancto obsistat* Amori?
Non gladii, non scuta queunt, corda ipsa penetrat
Intima, & ardenti flammantia fata sagittâ
Mittit; ó optatam diuino afflamine mortem!
Quis fato meliore mori? quis morte perire
Nobiliore velit? sacris quàm ardescere flammis?
Phœnicísque instar mediis in odoribus auras
Linquere? & æthereo vitam committere Amori?
Bustum est sanctus Amor, *calidis vbi pectora flammis*
Cœlitibus viuunt, superásque feruntur in auras.

Cuius exēplum nobile est.

Nobilis occiduis degens in tractibus, illum
In versum transferre vetor, nam liuida nobis
Inscriptum cœlo subtraxit pagina nomen,
Ille ergo flammis, æstúque accensus Amoris
Ardentésque coquens cœlesti fomite sensus

Nobilis ille Frācus

Deseruit natale solum, sanctósque petiuit
Hebrææ *telluris agros, vt amantia* Christi
Lustraret merita, atque suum sequeretur Amorem;
Huc vbi securis feliciter appulit vndis,
In Nazaræos *gressu plaudente penates*
Tendit, vbi posito regni diademate Christus
Vestiit humanos artus, seruíque figuram
Induit, intactáque infans inclusus in aluo est.

Qui lustratis omnibus locis.

Hinc Bethleemiticæ *petit antra beata cauernæ;*
Hic fusus pietatis opes, largósque fauorum
Thesauros meditatur, ibi præsepe verendum,
Et tenues tyrio meliores murice pannos,
Et matrem, & sancti lacrymas Infantis adorat.
Inde sacras Iordanis *aquas ingressus, ó amnis!*
O vos felices repetitis vocibus vndæ
Inclamat, quas ipse nitor, glacieque niuali.

Purior, ingrediens illaſos abluit artus.
Poſt ſaltus, & vaſta petens deſerta, labóres, Terræ ſanctæ.
Et quadragenis ieiunia tracta diebus,
Et victas Furiarum artes, cœlíque fauentis
Sancta miniſteria, & diuinas conſpicit eſcas.
Quos verò cùm celſa Thabor *iuga montis adiuit,*
Affectus animo? voluit quas pectore curas?
Quos ſenſus hauſit pietatis? vbi ignea Chriſti
Lumina ſolares ſuperantia lumina vultus,
Mutatóque togam vidit ſplendeſcere cultu.
Ille quidem hic hærere velit, ſed fortior illum
Vlterius compellit Amor, *greſſúſque, pedéſque*
Vrget, & in mœſtum deſert veſtigia montem
Quas hic heu lacrymas? triſti quos guttnre fletus?
Fudit? vbi vitæ finem morientis, vbi artus
Confoſſos, & membra feris diſcerpta flagellis,
Cogitat, & multo conſperſos ſanguine crines?
Quas voces, gemitúſque dedit, cùm fellis acerbi
Senſit amaritiem? lateris cùm vulnus aperti
Vidit, & hiſcentes violato in corpore plagas.
Mœſta quoque in foſsi ſe condidit antra ſepulchri,
Inter & exanimes animo componitur artus.
Lætior hinc ſurgente Deo ſurrexit, & illi Tandem in mõte Olіueti.
Hæſit vbique, Emaunta *videns, littúſque propinquũ,*
Pérque Tiberiadis *charas iter egit arenas.*
Tandem diuinâ coctus præcordia flammâ
In montis fœcundi oleis ſacra culmina tendit,
Vnde peragratos victor ſe Chriſtus *in axes*
Intulit, atque impreſſa pedum veſtigia fixit.
Ille vbi fixa ſui veſtigia ſpectat Amoris
Oſcula nunc ſanctæ defigit amantia terræ,
Nunc illam ſpargit lacrymis, nunc corpore fuſus
Procumbit ſuper, atque ſuos accendit Amores.
Vt verò nullos ſibi iam, quo quærat Amorem
In terris ſupereſſe locos conſpexit, & illum
Sidere & æthereâ regnare potentiùs aulâ
Deſpexit terrras, altíque palatia cœli
Ambiit, & iunctas tollens ad ſidera palmas;

Quæ plaga iam mihi restat, ait, peragranda? quis vltra
Quærẽdus mihi Christe *locus? quò Te alma voluptas,*
Inueniam? aspectúque tui fruar oris? & ad Te
Aspirem? atque tuo felix in Amore *quiescam?*
Nunc igitur cùm terram omnem transcendis, & altum

Vi immodicâ Amoris diuini subactus

Victor despectis penetras mortalibus axem,
Me facilis tibi iunge ô Amor, *quid enim infima nostrũ*
Vlterius cor terra trahat? preme quidquid Amori
Obstat, & æthereas, quò Te sequar, assue pennas
Huic animo, & tecum sublimibus inseram astris
Sic ait, & vires animæ, cordísque vigorem

Animam flagrantẽ reddidit.

Colligit, extremúmque sacri spiramen Amoris
Efflat, & ardenti vitam cum flamine fundit
Córque petit violentus Amor, *penetrátque, foditque*
Et mortis de more ferit, nam in corde reuulso
Exscriptæ patuere notæ, & viuentis Amoris
Signa, gerebat enim mediis hæc verba medullis,
Non alius mihi viuit Amor, nisi solus Iesus
Ergo arcem hanc Animæ spatiosam ingressus Amoris
Spectabis, Calliste, *domum, & numerosa videbis*
Effecta, & validas formoso in principe vires.

Cap. 13. De Odio

Extra aulam portentum ingens, & dirus Auerni
Occurret tibi partus, atrox quem fouit Erinnys
In nostros quem deinde sinus inuexit, Amoris
Tetrum hostem; hunc stratis cernes stabulare lacertis
Monstra inter, furiásque truces; huic tristior hæret

Eius comites

Seditio, *scissoque furens* discordia *crine,*
Vibrataque Minæ. *& diris asperrima telis*
Vltio, *& appositis instructa* Calumnia *verbis.*
Insidiaéque, Dolúsque *ferox,* Astúsque *maligni.*

Eius habitus & deformitas

Torua illi vultus species, & turbida frontis
Asperitas, tetrôque oculi liuore rubentes,
Triste supercilium, & strigosis aspera villis
Cæsaries, omnésque abiens serus horror in artus,
Olli nomen inest, Odium, *quod funus* Amoris,
Mollis Amicitiæ clades, Auersio frendens
A rebus quæ damna creant, sic lumina noctem,
Infames sic blanda, lupos, vrsósque rapaces

Detestatur ouis, miluos gallina, columbæ
Accipitres, Damæque canes odere cruentas.
Hoc odium *ipsius naturæ in semine primum* Aliud naturale est
Nascitur, & teneris ortus adolescit ab annis:
Quin & in exanimes auium protenditur alas,
Insidet & viuax brutorum arentibus extis.
Námque columbinas Aquilæ cum tegmine plumas
Concordem in fascem si iunxeris, ala columbæ
Paulatim perit, atque aquilâ rodente friatur.
In citharam si fortè agni simul exta, lupíque
Imponas, neruísque velis discordibus vti,
Viuit adhuc post fata odium, *atque exanguia tangit*
Viscera, nam vel muta fides hærebit ouina,
Aut ad prima manus sese conamina franget.
Ast alia humanis odia *increuere medullis,*
Exterior quæ causa parit, nutrítque fouétque Aliud additum à causis externis
Quæ tam altè crebrò penitis in sensibus hærent
Vt nullo deleri æuo; aut ratione reuelli,
Extingui vel morte queant, sed in ipsa sepulcra,
Inque ipsos manes, exanguiáque ossa ferantur:
Illi autem stant digni odio, *quos deuia morum* Cap. 14. De iis qui digni sunt odio
Improbitas, prauaéque premunt contagia vitæ.
Degeneres odere magis, quibus inclyta non est
Excelsi natura animi, quia cuncta pauescunt
Ignaui, metuúntque vmbras, sic mente malignâ
Tiberius, *dirúsque* Nero, Phalarisque *cruentus*
Imperia, immani funestauere tumultu.
Odimus & bifidæ quos dira calumnia linguæ,
Inuidiæ quos atra lues, quos improba fœdat
Impietas, quos sæua animi natura gubernat.
Quod si fortè ipsum vecors dilectus amantem Cap. 15. Historia Timagoræ & Meletis Desūpta ex Pausaniâ
Oderit, hoc vltrix Odium *vindicta sequetur.*
Immanem casto constringit amore Meletem
Timagoras, *Illi verbis, & pectore toto*
Blanditur, Iuuenémque auidis complectitur vlnis.
Sed frustrà; violentus enim fastidit Amorem,
Timagorámque *& philtra* Meles, *vultúsque seueros*
Induit, & sancti votis non paret amici.

Timagoras quid spretus agat? studeátne Meleti
Vlterius? charóque sinu deuinciat? At se
Contemni dolet; An temnentem spernat? At illum
Vrit Amor, *penitásque vorat sacra flamma medullas*
Hæc ergo tacitá crebrò cum mente reuoluit

Timagoram spernit Meles

Timagora *quid stultus agis? quid inania perdis*
Tempora, quid misero vanum quatis aera luctu?
Quid tones fusis respondet vocibus Echo?
Quídue tuâ toties tecum percussa loquelâ
Incassum deserta gemunt? Da fræna dolori;
Surdus enim est Tibi semper Amor, *nec flectit amati*
Pectora, nec faciles aperit singultibus aures.
Perge tamen, Iuuenémque Tibi vel iunge, vel vnum
Fac tandem quod restat, obi; nec mollius vnquam
Occumbes, quàm si iussu moriaris amici:

Querelę Timagoræ.

Illum ergo extremo conamine denique tentans
Quorsum, inquit, me sæue tuis ab amoribus arces?
Cur abigis violente Meles? si forma petatur,
Quæratur niuei si gratia pulchra coloris,
Gratia me, vel me crystallus & vnda fefellit,
Ornat, & egregio vultum candore coronat.
Si multæ spectantur opes, mihi multa supellex,
Et gazis opulenta domus; si regia Virtus,
Si dotes animi, celsaéque industria mentis
Quæruntur, nunquam Virtus Te casta negaui,
Mendaces vetito fraudes errore secutus,
Ni Te fortè nimis quòd amem, si namque nocens sum
Illa omnis mea noxa, Meles, *quod Te ambio, quod Te*
Insequor, inque tuos nimis heu effundor amores.
Verba proba dilecte Meles, *iussa aspera manda,*
Quænam cumque tuo mandata iniunxeris ore
Expediam, mora nulla meum tardabit Amorem.

Cui Meles necē imperat

Dixit, at impatiens Iuuenis, cui nexus, Amorque
Timagorásque *odio est, tacito iussa horrida sensu*
Cogitat, & misero funus molitur Amanti.
Saxum ingens, infame, aspris è cotibus horror
Spectantum pendebat, ibi iuga vasta patebant,
Et circum ingentes scopulosa abrupta cauernas.


Hoc

Hoc vbi Timagoræ *Iuuenis proponit amanti*
Timagora *generose*, Meles *ait*, *Ecce theatrum*
Illius, *quem tot verbis ostendis*, Amoris;
Si me igitur non vanus amas, *é rupibus illis*
In Præceps rue; Timagoras *ibi*; *latus obibo*
Id quoniam dilecte iubes, *& nomen Amici*
In bustum, tumulúmque feram, *iuuat horrida rupis*
Ire per antra, *per & saui crudelia montis*
Brachia, *& in diras scopulorum illidere cautes.*
Hæc dicens, *se præcipitem detrudit ab alto*
Vertice, *& horrendas funestat morte cauernas.*
At verò lugubre Meles, *quod iusserat ipse*
Vt funus conspexit, *hebet*, *nec iam vlla vigoris*
In membris scintilla micat, *suspirat*, *& illum*
Quem nulla obsequia, *& nulla*, *dum viueret*, *artes*
Præstiterant acceptum, *horrens in corpore vulnus*,
Et fusus cruor, *& sordentia sanguine membra*
Optatum fecere, *cupit*, *quem fugerat ante*
Timagoram, *viuúmque velit*, *quem triuit acerbus.*
Ille ergo vt tenuis spiramina frigida vitæ
Collegit, *querulis impleuit planctibus auras*
Timagora *ergo tuus viuax Te perdidit*, *& Me*
Idem perdet Amor, *non dura superbia*, *non Te*
Contemptus, *non Te crebræ vicere repulsæ*
At scelus ipse manu, *& fastidia perfida vindex*
Vlciscar, *manésque tuos satiabo cruore*
Hæc dicens, *saxo sese deiecit eodem*
Ingentem irati vindictam expertus Amoris.

Quam subit miser

Sed non sine vltione.

Quam in seipse exercet Meles



LIBRI DVODEVIGESIMI PROLVDIVM.

AMoris & odij naturam causas & effectus libro superiore conclusimus; Desideriũ. dolorem, & voluptatem sequente constringemus. Cæteri quidẽ Affectus in vitâ hominũ aliquem locum tenent; Isti dominantur. Cæteri quorundã sunt, Clemẽtia Principum, Audacia militum, Verecundia virginum, Inuidia malignorum, Isti omnium. Quotus enim quisque est, quem non vel desiderij motus impellat, vel stimulus doloris exagitet, vel voluptatis amor studiumque titillet?

Quis enim adeò à vitæ illecebris lenociniisque remotus? quis est, cui cornea fibra ita obduruit, quis tam austerum diuortium cũ philtris omnibus blanditijsque fecit, vt voluptatibus omnibus bellum capitale iurauerit? sed finge aliquem id velle, nec poterit. Tam suauiter enim sese in hominum sensus voluptas insinuat, (non hic loquor de voluptate illâ infami quæ serpentis in morem irrepit vt mordeat, quæ sirenum instar blanditur, vt lædat) sed de illâ quæ germana est innocentiæ, affinis securitati, virtutisque progenies, tam suauiter, inquam influit, vt aliqui etiam Philosophi summum in eâ bonum collocauerint, cuius causâ om nia etiam mala sint toleranda. Quid enim tam amabile esse potest, quàm vo-

luntatis in bono ſuauiſſimè conquieſcentis tranquillitas? & hæc voluptas eſt.


Quid verò de dolore Voluptatis æmulo, amœnitatis hoſte dicam, quæ conditionis humanæ præcipua portio eſt? Tot enim nos caſus, labores, & fata circumſtant, vt felices illi habendi ſint, nō qui doloribus nō premũtur, ſed qui minoribus tentantur. Quem enim in tantâ vitæ noſtræ imbecillitate calamitas immunem caſúſque præterijt? Illi parentes infeſtum funus ademit; illum facultatibus iniuria hoſtilis excuſſit, illius famam calumnia vulnerauit, illum ſanitate ſpoliatum ægritudo & morbus afflixit.

Deſiderij autem quàm ampla ditio eſt? Omnis vita noſtra deſiderium eſt. Quod videmus, quod guſtamus, quod audimus, plus dicam, quod viuimus, deſiderium eſt. Nullius vnquam vota ita in tranquillo & quieto collocata fuerunt, vt deſiderium non impulerit. Da ambitioni terminos ſi potes, & deſiderio præſcripſeris. Impone frænos animi agitationibus, & deſiderium coercueris Nullum tam in alto fata locauerunt, vt illi ſpem ad altiora præcluſerint; nullum in tam prærupta detruſerunt, vt illi votum inde emergendi negauerint, & id quid aliud quàm deſiderium eſt? Nos itaque Deſiderium in Iuuenem componemus candidum, ardentem, ambitioſum, inertiæ victorem aut Fugæ, quæ hoſtis eius eſt.

Non ſic vere nouo roſa relucent,
Non ſic fulgida nocte candicante
Mittunt ſidera peruios nitores.
Non Thaumantias ingruente rore
Cùm nubem polus inuehit coruſcam
Sic oſtro niueum induit colorem.
Non alter fuit impotens Achilles,

Cùm victos Phrygas Hectorémque magnum
Victor pelleret, & domaret hostes.
Non alter fuit inclytis sub armis
Ledæ filius hic & ille, talis
Phœbæi rubor extitit decoris
Cùm fortißimus impium draconem
Arcus robore fixit & sagittis.

Cum ergo illi motus tantum in vitâ nostrâ possint, & penes Oratorem sit illorum vel lenitatem inducere, vel grauitatem remittere, quid in iis complexum sit, carmine sequenti dicemus.



LIBER DVODEVIGESIMVS

De Motibus Desiderij, Doloris & Voluptatis.



Propositio.

Vid mihi ad incœptos, Charites *fauisse labores*
Profuit? & nostras oculis ridentibus artes
Vidisse? & primas operâ iuuisse Camœnas?
Si vestram iam aufertis opem? cùm diua Voluptas,

Inuocatio.

Illecebraéque, & vester honos, & fama feratur?
Hic vester celebratur honos, iam quippe canetur
Et Desiderium, *atque animi pretiosa* Voluptas,
Et placabilium medicina benigna Dolorum
Hic igitur si quando aliàs iuuistis, adeste

Fortiùs, & Musam meliori afflate fauore
Postquam amplã, Calliste, *domũ splẽdentis* Amoris
Atriáque, & pulchri florentia tecta palati
Videris, ínque altas oculos conieceris ædes;
Vicinos inuise lares, quos vitrea pangit
Materies, quos pro tecto crystalla coronant.
Ædes colle tumet, leuibus fit peruia ventis,
Cippus in ingressu duplex; quibus insidet inde
Desolata Fames, *hinc &* Sitis, *vtraque languens,*
Vtrique exiles macies premit arida neruos.
Area vasta patet, membris vbi grandibus astant,
Ambitióque *tumens, & aquosâ* Hydropisis *aluo*
Illa quidem elatis altum petit æthera pennis
Et rerum floccos, & honoris inania captat,
Hæc contrà sectatur aquas, limosáque quærit
Stagna, nec ardentem potis est sopire calorem.
Intus in extentâ cumulus ditissimus æde
Irradiat gemmis, auro flauente, coronis,
Atque ebore, atque altis exuberat aula triumphis
Negligitur tamen illa omnis, quia certa tenetur,
Pompa, nec in pretio est etiam secura supellex;
Curritur ad dubios census, & amantiùs istic
Non possessa placent; tutis quod clauditur vlnis,
Spernitur, ambitur votis, cupitúrque medullis
Quod procul est, & sponte fugit, fallítque sequentes.
Hæc etenim est natura domus, hoc Principis huius
Ingenium, nam qui Princeps hac æde moratur,
Ora quidem speciosa gerit, pulcráque iuuentâ
Conspicua, ínque habiles currit decor integer artus;
Sed tamen incerto semper suspensa tumultu
Corda micant, nec se, quamuis florentea regna
Possideat, ditésque auri componat aceruos,
Et ramenta Tagi, *atque* Hebri *corrodat arenas,*
Exsatiat tamen, inter aquas vt Tantalus *alter*
Et sitit, & medias inter malus esurit escas;
Hoc Desiderium *est quo commoda nostra paramus,*
Ambimúsque bonum, quod abest, & abesse dolemus
Duplex illius solet esse Cupidinis *ordo*

Cap. I. Quid sit desiderium

Palatium desiderij.

Cuius comites.

Quæ iam tenẽtur, non placent.

Sed quæ incerta, & ea quæ fugiunt.

Cap. 2. Diuisio desiderij. Aliud naturale & moderatum

Et geminus gradus; Vna imis innata medullis,
Ast aliam nostra fingit discretio mentis
Hac cuius Natura Parens in iusta coercet
Se spatia, & gyros vltra non exit, at illa
Quam nos arbitriis volumus decurrere nostris
Nec metas, scriptásue tenet vastissima leges,
Nec fines iniusta capit, peiórque virorum est
Ambitio, peiórque sitis, quàm bruta ferarum;
Quas tandem exsatiat natura astricta cupido.

At sitis infinita hominum est, non sufficit illis
Vnicus, innumeros extenditur ardor in orbes;
Non illis sua iura placent, maiora requirunt,
Et plures sectantur opes, & crescit habendo
Æstus, & adiectis insana Cupido talentis

Aliud ascitum

Vt vastâ cùm magna flagrant incendia flammâ,
Quò magis aut nitrum, calidósue bituminis æstus
Addideris vel ligna, rogus vehementior ardet
Et fiunt alimenta, noui constructio ligni.

Et insatiabile

Contentus quis sorte suâ est? quis munera votis
Non petit meliora? auro coniungitur aurum,
Atque opibus iunguntur opes, pomaria syluis,
Syluæ hortis, horti domibus, castella fluentis,
Flumina iunguntur stagnis, stagna ardua pratis,
Et Desideriis *hominum quò seruiat æquor,*
Et tellus, mare fit tellus, & terra fit æquor.

Cap. 3. Excẽpla cupiditatis immensæ

Nec metas vani tenet igneus ardor honoris
Ambitióue micans, terris dominetur, & vndis,
Et cælo regnare volet, nec fræna, nec vllum
Admittit spatiosa iugum, Hic numerosa videbis
Magnorum simulacra ducum, & splendentia Regum
Agmina, & hiscentes ad proxima sceptra Tribunos.

Ninus

Assyrias *hic* Ninus *opes, &* Medica *regna*
Possidet, & tantis latissima Bactra *coronis*
Addit, & in plures tendentem abruptiùs oras

Cyrus

Mors premit; Hic subigit Medos *&* Persica Cyrus
Imperia, & domitas intrat Babylonis in arces.
Nec satis est tamen, æstus enim, vecórsque libido
In Scithycos immittit agros; hic pendulus alis

Magnus Alexander *rapitur, similisque volanti*
Ambitiosa noui spirat moderamina regni.
Iámque & Thessaliam,*&* Peneia *sceptra tenebat*
Graiáque *deuictis submiserat oppida* Thebis,
Armeniãque, Caramaniãque,*&* Mẽpheos *vrbẽ*,
Cappadocásq; *truces, &* Hebraica *iura*,Syrósq; Alexander.
Albanósque, *duósque inter quod stringitur amnes*
Imperium, atque vtrôsque Arabas,Tyriósq; *potẽtes*,
Æthiopásq;, Afrósq; *omnes*, Phasimq; *tumentem*
Persidáque,*& gelido quà culmine* Caucasus *alget*,
Et quà sidereas sua cornua Taurus *in auras*
Iactat, *&* Euphratis *fluctus*, Indum que *patentem*,
Assyriásque *arces, domitósque regebat* Iberos.
Nec desiderio factum satis, amplius optat
Imperium, fingítque nouos auidissimus orbes,
Et pauper stetit inter opes, quantúmque sitibat,
„ *Tantum ipsi deerat, par est penuria votis.*
Hic & Alexandro *coniunctus origine* Pyrrhus Pyrrhus
Pingitur. adiungens primis noua regna coronis,
Semper auens & semper egens; hic Cæsar,*ibi omnes*
Quotquot inexpletis suspirauere medullis. Cap. 4. De dolore.
Hæc vbi sollicitâ lustraueris omnia mente,
Perge vltrà, Calliste, *etenim potiora videbis*;
Maiores & adibis opes, quæ proxima námque
Tecta petes, sunt tecta, quibus subit alma Voluptas.
Ante tamen tua quàm grandi vestigia templo
Immittas; Tibi monstrum atrox, & squallida pestis Doloris descriptio.
Occurret, cui vultus inest teterrimus, & cui
Ruga genas informis arat, cui sicca per omnes
Tantus adest horror, macies effunditur artus.
Arescit sine carne cutis, sine sanguine vena,
Et sine vitali cordis penetralia motu,
Nullus & in trepidis habitat pulmonibus ordo.
Illam luctus alit, vestit color ater, & armat
Lima, nigris assueta riget pupilla tenebris,
Horrescítque diem, nec solem admittit, at omne
Fulgori secludit iter; Tu prospice solers
Ne qua tuos tangat Furiæ *miseratio sensus.*

Illa quidem occlusas irrepere tentat in ædes,
Non tantis fruitura bonis, sed vt omnia turbet,
Gaudiáque infaustâ pessundet ouantia formâ.
Hîc etenim est Dolor, *alma animæ quo gaudia nostræ,*
Lætitiæ quo philtra ruunt, quo diua Voluptas
Destruitur, quo mœsta hominum præcordia languent,
Et venit humanæ crebra in commercia sortis.

Eius definitio

Est verò Dolor, atra mali perceptio, languēs
Amissi iactura boni, quæ pectora turbat,
Et sensus affligit edax; *sic luget auarus,*
Cùm dites amisit opes, sic anxia mater
Luget, vbi charam mors abstulit impia prolem.
Sic queritur mercator, vbi luctantibus Euris
Infidas expertus aquas, sua vota tumenti
Ludibrium videt ire salo, mersáque carinâ
Aspicit eoas sub hianti marmore gazas.

Cap. 5. De doloris effectibus.

Illa autem clades hominum est affectio, tabes
Pectoris, exesos macie qua conficit artus,
Et terit afflictas limâ rodente medullas.

Confundit animum.

Illa potestates animæ constringit, & instar
Captiua nodis, & diro carcere vincit;
Illa sinus, & corda premit, vitámque dolentem
Obruit, & misero venas langore fatigat:

Obruit mentem.

Illa animum tanto violenti verbere motus
Percutit, & tales iacit in præcordia curas,
Vt mens ad reliqua peragenda negotia vitæ
Torpeat, & rerum stupefacta relinquat habenas.
Non secùs ac vasto deprehensus in æquore Nauta,
Quem tristes pepulere Noti, & discordibus auris
Tempestas insueta quatit, cùm fracta tuetur
Carbasa, & indomito ruptos Aquilone rudentes,

Immodicus oculos arefacit

Illisa conuulsa ratis cùm membra, nec vllum
Auxilium superesse videt, tùm protinus artem
Abiicit, & docti posito moderamine claui,
Omnem commotis vitæ spem ponit in vndis.
Præcipuè dolor ille, grauis quem incursus, & atrox
Accendit fortuna, & inexpectata lacessunt
Ærumnæ tormenta, animum torpore iacentem

Occupat, & lacrymis oculos, atque ora querelis
Subtrahit, & tacitos vorat intra pectora luctus.
,, *Nam dolor inclusus sæuit magis, & ferit artus*
,, *Acriùs, & grauiore fodit præcordia telo.*
Cambyses, *vbi Regnum* Isis, *Regémque subactum* Cap. 6. Historia psãmeniti Ex Herodoto.
Cepit, & ingentes Nili *sibi subdidit vndas,*
Ambiit affectas Regis tentare medullas,
Et sæuum patrii stimulum explorare doloris.
Illi progenies erat vna virilis, imago
Martis, *amor patris, & regni, nisi fata vetarent,*
Imperiique hæres, primâ cui menta iuuentâ
Florebant, tenerísque decor regnabat in annis;
Cambyses *Patris ante oculos illam ære grauatam,* Qui videns filium capite. diminutum
Euinctámque manus, & atroci reste rigentem
Impius ad mortem duci iubet; aspera nati
Vt vidit tormenta Pater, non ore querelas,
Non oculis lacrymas, gemitus neque pectore fudit,
Inuasit sed corda rigor, similísque pauenti
Afflauit quem excussa truci de sidere flamma,
Immotus stetit, atque solo sua lumina fixit.
Post natum, venit ante oculos quoque nata; sed eheu
Qualis erat! non cincti aureo diademate crines, Filiam ancillari habitu
Purpureâ nec amicta togâ, nec pendulus aure
Vnio, nec tenero præfixa monilia collo,
Seruili sed tecta habitu, sed paupere lanâ
Ancillæ in morem puteis haustura liquores.
Quid fecit Pater? An fletu miser ora rigauit?
An querulas voces dedit? an suspiria duxit? Non fleuit.
Non ita; sed mutus dolor hæsit, & intima pressit
Viscera, nec lacrymis, querulo neque soluitur ore.
At postquam Rex idem inopem conspexit amicum,
Mendicantem obolos, atque æra minuta petentem, Fleuit antè vidẽs vnũ è suis mendicantem.
Ingemuit, lacrymísque viam concessit apertis,
Oráque in explicitas permisit abire querelas.
Nam leuior dolor ille fuit, quem luminis imbres
Digerere, effusæque queunt mollire querelæ.
Ac veluti cùm tristis hyemps armata procellis,
Arctoo strigosa gelu, & frigentibus astris

Comparatur cũ hyeme

Iampridem constrinxit aquas, licet aurea Titan
Lumina, & imbelles inter nigra nubila flammas
Emittat, glacies non se tamen alta resoluit,
Nec fluit in liquidos constrictior vnda canales.
Sin nondum asperitas Boreæ *, nec frigus acerbum*
Incubuit, sed prima hyemis conuicia tantum
Currentes remorantur aquas, vbi primus ab alto
Ostendit sol axe faces, se molle remittit
Frigus, & in faciles fundunt se flumina cursus.
Sic dolor hic, quem plaga aperit vehementior, & cui
Dat grauior fortuna viam, mutescit, & intra
Comprimitur, nec verba facit, nec rore genarum
Soluitur, at miseris mœrentum pascitur extis.
Te decet huic linguá medicamina debita morbo
Ponere, & exangues dicendo reuellere fibras.

Cap. 7. De remediis doloris

1. Est præuisio mali

Prima mali medicina, grauis præuisio damni est,
Quâ prudens vigili ventura incommoda sensu
,, *Præcipies, & lené feres, præuisa lacessunt*
,, *Mollius, & mentem leuioribus ictibus vrgent.*
Sic casus, lethúmque tibi, sic aspera rerum
Ludibria, & Natorum obitus, & fata tuorum.
Et morbi, demptíque gradus, & sortis acerbæ
Impetus, exitiúmque domus, & damna bonorum,
Et patrii iactura soli, ratione frequenti
Stent præuisa, tuas veniens né forté medullas
Incursus premat, aut inopino territet ictu,
Nam quodcunque potest hominem percellere quẽquam
Id quemuis tentare potest; Si dira cecidit
Pompeium *fortuna, ducem, quem totius orbis*
Ornarat terno victoria crebra triumpho;
Quis dux perpetui palmam sperare trophæi
Audeat? aut virides semper præsumere lauros?
Socraticam *pepulit si sæua calumnia vitam,*
Insons inuidiæ patuit si Symmachus, *& si*
Illius gener in tetro castissimus antro
Ingemuit, cui non vel sæua calumnia mortem,
Inuidiæ vel tetra lues inferre valebit?

2. Est

Præcipué syncera tuæ solatia menti

Conferet, hæc tractare, hominum cum sorte iugari
Multa pati, fatísque malis, & mille periclis
Exponi mortalem animum, seu grandia norit
Stemmata, seu vili stirpem de sanguine ducat.
Nullum etenim Fortuna suis ita dotibus vnquam
Instruxit, coluítue sequax, quin tristia lætis
Misceat, & rebus contraria fata secundis
Admoueat, sæuoque sinus exasperet ictu.
Sic Croeso *tolluntur opes, sic agmina* Cyri
Fœmineâ iugulata manu, sic Crassus *ab hoste*
Caditur, & Parthis victus fit præda superbis.
Sic magnus post victam Asiã, *& superata* Niphatis
Culmina, & edomitas Libyæ Pompeius *oras*
Fortunâ abscedente perit; Quid magna theatra?
Quid referunt tragicæ spectacula tristia scenæ,
Quàm varios Fortunæ astus? leuat ergo dolorem
Communis natura mali, & meditatio sortis.
Præterea premitur dolor, & cura ægra leuatur,
Voluamus si mente, feri dispendia casus,
Fortunaéque vices, & desolata bonorum
Naufragia, & nostri funesta cadauera census,
Et laceros artus, ærumnosósque labores,
Exsiliíque probrum. miseraéque pericula vitæ
In nostrum cessura decus, modò pectore forti
Stemus, & indomitâ sortem virtute feramus.
Non in pacatâ tranquilli fluminis vndâ
Ars nautæ perfecta patet, sed vbi aspera pontum
Versat hyemps, tumidásque ferox ciet aura procellas
Nec miles generosus erit, quem prælia nusquam
Quem nullæ videre acies, quem nullius hostis
Tentauere minæ, sed quem tela inter & arma
Expertum fecere hostes, quem crebra forarunt
Vulnera, & extantes aduerso pectore plagæ.
Magnanimos petiere viros aduersa laborum,
Degeneres tempsere, premit fortuna Catonem,
Attilium *tormenta, grauis penuria torquet*
Fabriciũ, *Spartanum* Agidẽ *mors sæua,* Cimonem
Carcer, Aristidem *funesta calumnia pellit.*

meditatio conditionis. Humanæ quæ obiecta est multis casibus.

3. Est, incommoda, esse virtutis experimẽta.

Vt nautæ tempestates

Vt militi prælia Et viris magnis calamitates.

Diuino iniustum pugnat cum Socrate *virus,*
Scæuola *cum flammis crudelibus*, Arria *forti*
Cum chalybe, immani Thraseas *cum funere pugnat.*
Marceret magno sine nomine fama Cleanthis,
Ni vixisset inops, & paupertate coactus

4. Est cogitatio æternorum præmiorum.

Hausisset multas altis è fontibus vndas.
Sunt meliora tamen nostro fomenta dolori;
Illa parit Natura, fauens potiora ministrat
Christus, *& æterni merces pulcherrima Regni.*
Propterea mala mille, cruces, & fata, feráśque
Sustinuere, truces expugnauere tyrannos
Magnanimi Athletæ, & generosis Martyres *armis;*
Hos amnes mersere vadis, hos mucro cruentus
Messuit, hos torsere fides, hos aspera nodis
Vincula, & immanes ferro strinxere catenæ.
Illos indomiti modò discerpsere leones,
Nunc strati frixere rogi, nunc lamina candens,

Quâ muniti martyres.

Et nunc effosis tentauit terra metallis.
His tortor nudas ferrato pectine costas
Carminat, his dentes, teneros his erruit vngues;
His quassat teretes mammas, his lumina cæcat.
Illis sanguineæ distendunt membra catastæ,
Malleus his terit ossa, pedes his clauus adactos
Perforat, his geminæ terebrantur acumine palmæ.
Hos tamen insanæ medio in certamine mortis
Horrendas intérque cruces, & Erinnyas inter
Indomitus vigor, & constantia nobilis ornat.

Omnia victores domuerunt.

Vulnere ab imposito, venisque fluebat apertis
Sanguis, & in laxos exibat plaga canales.
Sicca tamen pupilla fuit; de corpore toto
Factum vulnus erat, non vox tamen vna querelæ,
Non luctus audita fuit, dissecta cadebant
Membra, cruentatos & mucro furebat in artus

Cap. 8. De lætitiâ aut voluptate.

Illibata fides semper tamen hæsit, & inter
Tormenta, & sæuas regnabant gaudia mortes.
Victor vbi horrendum placido lenimine monstrum
Mollieris, facilémque viam tibi panderis, ædis
Interiora petes; illâ non mollior vnquam

Aula fuit, non Veri *vnquam, nnn tecta* Carini
Fragrantes licet illa rosa, suauésque Hyacinthi
Extruerent, peponũmque lepos & poma pauirent,
Mollitie fluxere pari, felicibus illam
Auspiciis, facilique manu est fabricata Voluptas.
Dulcia pro firmo fundamine Gaudia *substant,* Descriptio palatij voluptatis
Læta pauimentum sternunt Bona, *Parietis instar*
Stat felix Fortuna, *tegit fastigia* Risus.
Defluus ex altis stillat laquearibus humor,
Purior eoo vernis in mensibus imbre,
Mollior & roseo clibani per rostra liquore, Vbi
Et flores rigat ille cadens. quibus vndique tellus
Turget, & ambrosio vestita superbit amictu.
Exilit hinc pretiosus odor, cui thurea messis, Odores suauissimi.
Aut Arabum, Cilicúmue *seges, nemorísue sabæi*
Conferri nequit aura, color spectabilis ædem
Pingit, & irradians niueis appulsibus ardor
Inclusas ostendit opes, variumque colorem
Explicat, & positas distinguit in ordine gazas Colores amœnissimi
Intrat & in teneras concentus amabilis aures,
Et suauis dulcedo chori, quem musica turba
Alituum, spinísque loquens, & mollis Achantis,
Et cantus philomela parens, & veris alumna Voces iucundissimæ.
Amplificat, placidóque locum modulamine mulcet.
In primo ingressn Charitum *ternarius astat,*
Euphrosynéque *parens* Charitũ,*quas aura fauoris*
Blandior, & lenis Zephyrorum *spiritus afflat.* Lætitiæ
Illis frons hilaris distenditur æquore molli,
Et labra purpureâ splendent insignia vittâ aut
Et faciles oculi, pronaéque in munera dextra. comites
Areolæ in medio se nobilis erigit arbos
Pulchra comâ, vitreo quam purior vnda canali
Irrigat, illa parit fructus, & pomá ministrat
Citrea, nectareum referentia poma saporem,
Illam molliculi circumuoluuntur Amores, Aut ministri.
Et succo ambrosio spargunt, ramósque frequenti
Vere tegunt, fructum decerpit ab arbore Risus
Et iucunda Salus, *& amœno flore* Iuuenta

Et Iocus, *& læto exsiliens* Victoria *curru*,
Et speciosus Honor, *cultíque* Triumphus *honoris*
Assecla, & augustâ Virtus *dignissima formâ.*
Hic etenim solio quæ stat vicina superbo
Nympha, fluens philtris, mollique tenerrima gestu,
Purpureo vestita peplo, byssóque volante,
Et summos lambente pedes, quam regia cingit
Maiestas, niueóque rubor superadditus ori
Arboris ad tantæ fructus, & poma legenda
Aduocat insontes festiuâ voce cateruas.
Eius largitas. *Illa liquens molli Ambrosiâ, manansque serenis*
Dotibus, illecebrâsque ferens, & commoda vitæ,
Delicias non donat, opes non præbet amœnas,
Sed spargit, plenáque manu, calatisque refusis
Vertit in optatas vernantia gaudia mentes.
Dignitas *Lætitiæ quippe illa parens, quæ diua* Voluptas
Dicitur, ætherei lectissima portio cœli,
Humani Regina sinus, dignissima cordis
Arbitra, iucundæ speciosa ministra salutis,
Author opum, superum prægustatríxque bonorum.
Scire genus Nymphæ, & iustos agnosse parentes
Conueniens, Calliste, *tibi est; vnde ergo* Voluptas
Exit, habe, qualique oriens de sanguine surgit.
Cap. 9. De Causâ lætitiæ. *Cognoscens sensus, bonitásque innoxia rerum*
Fœcundos iniere toros, & fausta iugarunt
Connubia, & socias gaudent accendere tædas.
Ex illo soboles thalamo, pactisque hymenæis
Exsurgit, quam comit honos, quam grata venustat
Integritas, cui pingit ebur spectabile dentes,
Quæ est *Cui crines aurum, murex cui labra,* Voluptas.
Quippe voluptatem & perfusa gaudia mentis
Gignit Cognitio, Bonitásque *in rebus inhærens*
Bonitas cognita. *Seu vera illa, illam seu mentis opinio nostra*
Concipit, & quamuis absentia, commoda fingit.
Nam plus sæpe potest felius opinio mentis,
Seu vera *Quàm possit res ipsa; Rates, & onusta talentis*
Suppara, & appulsas Pyræi *ad littora cymbas*
Aspicit, & summâ patitur sua sensa Thrasyllus

Lætitiâ mulceri, etenim quæcunque vehuntur,
Esse suas merces, & propria commoda censet.
Leuior at postquam cerebro dementia cessit,
Elleborique expertus opem est, euanuit omnis
Sensibus elusis quam cœperat antè Voluptas.

Seu præsumpta

At quis lætitiæ genius! Quid grata Voluptas?
Natura nisi blanda quies, quâ mollia sensus
Percipit, inque suos animi sparguntur amores.
Lætitiam Res ergo creat, quæ sensibus apta est,
Natura quæ iusta placet, quâ nulla quietis
Vis animis infertur, vti spectacula, lusus
Somnus, & implacidi cessatio pura laboris.
Illa etiam iucunda, quibus consueuimus artes,
Blandimenta ferunt, culto sic pingere Zeuxi
Sculpere Prâxiteli *spirantia signa* Timanto
*Ducere,*Pelidi *arma manu tractare,* Maroni,
Phœbœum spirare melos, & scribere carmen
Dulce fuit, sic molle nemus, sic sylua placebat
Hippolito, *cursúque leues præuertere ceruos.*
Lætitiam quoque grata creant, sic floribus horti,
Bullatis sic prata comis, sic syrmate pauo,
Sic gemmæ fulgore, suo sic lympha susurrro,
Sic cœlum stellis, sic pulchra tabella colore
Pellicium, lætáque sinus dulcedine tangunt.

Leuior voluptas percipitur.
Ex licitâ sensuum delectatione
Ex quiete
Ex remissione
Ex artibus placitis.
Ex pulchritudine obiectorum

Cap. 10. De effectibus lætitiæ

Lætitiæ verò sensus sic suauis, vt omnes
Explicet & cordis uenas, & corporis artus.
Si risus sedet ore, rubor si molle genarum
Æquor habet, si frontem hilaris dulcedo coronat,
Mollities si blanda oculos; in fronte nitorem,
In labiis risum, molles in lumine nictus,
Viuacem in vultu flammam parit alma Voluptas.
Ipsum etiam in cor regna tenet, quod iure supremo
Fingit, & ardenti exhilarat præcordia motu

Explicat cor.

Quod si lætitiæ quandoque exuberet æstus,
Et cordis venas nimium diffundat apertas
Spiritus exsiliens numeroso examine cordis
Destituit sedem, desolatúmque relinquens
Ostia funerea insidiis facit obuia mortis.

Tanta esse potest, vt mortem pariat

Vix tamen hæc pura esse potest, dum viuimus, vlla
Cap. II. De breui voluptate mundi. *Tot casus inter, totque inter damna voluptas*
Vt simul dulcis aquæ salsum se riuus in æquor
Mergit, & in vastas se Tethyos induit vndas,
Hoc totum, quod in amne prius dulcedo tenebat,
Ilicet exhaurit pelagus, fit acerbior vnda,
Et par Oceano, & Ponti cognata fluentis.
Sic inter tot amara feræ discrimina sortis,
Tot morbos inter, miseraéque pericula vitæ.
Permittat si fortè suæ dulcedinis vndam
In nostros stillare animos iucunda Voluptas,
Illam continuò crebri mersere dolores.
At certam sperare licet, puráque potirè
Cùm Phlegetontæi deuictis hostibus antri,
Et sanctè exuto terrenæ labis amictu
Æternā esse in cœlo *Æthereos axes, altíque palatia cœli*
Veneris, hic tumidis exundant gaudia venis.
Hic torrens, puróque fluit de fonte Voluptas.
Æternis coniuncta bonis, cui nullius æui
Finem meta dabit, nullus quam diluet angor.
Intereà quascunque Tibi dabit alma Voluptas,
Cap. 12. De vitādâ voluptate fœdâ. *Illecebris fruere, & quantis potes vtere philtris*
Sed tamen, ô Calliste, *caue, ne fraude malignâ*
Et fictis capiare dolis, falsámue prehendas
Lætitiam pro verâ, alia est nam dira voluptas,
Illæsæ prohibet ratio quam prouida mentis,
Quam legum præscripta vetant, & iura coercent:
Illam fœda parens vitio coniuncta creauit,
Nutriit Improbitas, petulánsque Procacia fouit,
Ex illâ fluit omne malum, labésque Iuuentam
E quâ omnia mala emergūt. *Inquinat, ex illâ leges sensere ruinam,*
Regna malas subiere vices, florentia marcent
Imperia, ex illâ Respublica plurima languet;
Militia sacra iura cadunt, robúrque torosum
Corruit, & virtus animi protrita labascit.
Nāque quid Assyrios? *quid* Persica *sceptra? quid altū*
Medorū *imperiū? &* Sybaritica *sceptra? quid ipsum*
Hannibalem? *reliquósque duces nisi fœda* voluptas

Triuit? & incœptos turbauit vana labores?
Hinc parte è læuâ vallem, Calliste, *patentem*
Aspice, quam sedem legit sibi dira voluptas:
Adsunt multiplices hederâ pendente popinæ,
Secessúsque caui, gurgustiáque abdita, ventris,
Infamísque Gulæ tentoria; Cerne micantes Cuius domus popinæ
Has equidem, sed quæ madido iam lumine deflent,
Demittúntque oculos, famulari gausape tectæ,
Captiuæ, geminæ Ratio, Virtúsque *catenis*
Instrictæ ad dominæ plantas meretricis adactæ.
Illa autem intortis meretrix innexa capillis,
Puluereâ perfusa Cypro, *fucique politâ*
Fraude genas medicata, citæ prurigine linguæ,
Luminibúsque procax, dextrâ cratera refertum
Blanditiis, luxúque gerit Circæa voluptas.
Quem succo infami tumidum venientibus offert.
Accedit milléna phalanx, ô dedecus ingens!
O morum labefactus honos! elusa Iuuentus,
Delirique senes, Parasiti, & scurra proteruus,
Lurconúmque greges, effœtorúmque cateruæ,
Famorúmque pecus, quos hinc Cytherea Dione
Hinc thyrso atque hederâ ducit redimitus Iacchus.
Obducunt cyathos, & inertis pocula vitæ, Eius comites
Temetúmque bibunt, sed vix hausere, subinde
Porcorum de more luto, stagnisque vadosis
Immergunt animam viles, lucémque, decúsque
Obliti virtutis haris informibus hærent.
Hanc præceps velut hostẽ abige, & licet improba nutu
Te vocet, & placidis fallax inuitet ocellis, Fugiẽda velis & remis.
Vernantes licet illa rosas, & mollia iactet
Lilia, & ambrosias Tibi pandat amabilis vlnas,
Hanc tamen effuge, nullus enim tibi tetrior hostis,
Aut grauiora tuos vexent contagia sensus
Illa quidem blandis pascet Te subdola technis
Principio, charóque sinu gestabit, & vlnis
Excipiet, somnósque Tibi componet inertes.
Ast vbi mendaci tua sensa fefellerit astu,
Languentésque animos tibi fregerit, ilicet in Te

Insurget tumefacta minis, armata flagellis,
Transferet inque feros fallacia philtra dolores.
Ac veluti cantúque placens, & fronte decorâ
Æquoreo residens vndarum in marmore Siren
Illectos placidâ vocis dulcedine nautas
Detinet, aut cantus blando lenimine captos
Deuorat, aut pulsos ad saxa tumentia frangit

Vera voluptas ex conscientiæ trãquillitate

Illa ergo est, Calliste, animi syncera Voluptas.
Quam virtus, quam illustre decus, quã splendor honoris
Quam vitæ integritas. quam mens innoxia gignit.
Illam præpes adi, & cupidis amplectere votis.
Etsi per varios adeunda sit illa labores.
Quò grauius superabis onus, moléstque laboris,
Et curæ quò maior erit, potiora vigebunt
Gaudia, & vberior regnabit corde Voluptas.

Ex patientiâ

Ipsas quinetiam per atrocia fata puellas
Currentes, validísque animis aduersa domantes
Plenior affecit victo mærore Voluptas,

Cap. 13. Historia Griseldis ex Ex Volfango de mirab. Europæ Puella rustica

Magnus ab antiquâ descendens Marchio gente
Primæuum ætatis florem, formámque Iuuentæ
Ostendens, Italis vitam ducebat in oris.
Non illum Iuuenes qui serpere sueuit in annos
Oblectabat amor, sed in antra domósque ferarum
Venatrix multo clamore Diana *trahebat.*
Forté leuem latâ caperet dum indagine ceruam,
Incidit in teneram roseâ ceruice puellam,
Cui faciem fabricarat amor, molléstque capillos
Compserat, & casti velabant ora pudores.
Sed quæ pistrini concreta é sorde parentes
Turmales traheret, cæcísque oriunda latebris

Ob elegantiam & modestiam.

Duceret ignotam tecto sub paupere vitam,
Et sese trita tegeret squalore lacernæ.
Illa tamen vultus. species, tamen ille pudoris
Exibat niueus per vilia tegmina candor,

Nubit principi

Cesserit vt Princeps syluestri victus amore,
Et quem regales non edomuere puellæ,
Non magnæ vicere nurus, hunc rustica flexit
Griseldis, *retulítque suo de Principe palmam.*

Illa vbi fumoso tuguri de pauperis antro
In tectum regale pedes immisit, & aureum
Deposito tenui velamine vestiit ostrum,
Matrona par tuit, honor quam regius ambit
Griseldi *virgo similis non amplius illi,*
Quam fera pauperies, & stirps obscura premebat. Cōparata cum auro scoriâ ex purgato
Qualiter egestis auri vis ampla fodinis,
Impurum terra grauidis dum sordibus haret
Nec limum reiecit adhuc, fulgoris egenum est
Nec pretiosa graui de corpore lumina fundit.
At postquam exempta terrestria pondera facis
Expulit, & calido sordes purgauit in igni
Artificísque manu, doctáque incude politum est,
Thesauri fit ditis honor, Regúmque supellex
Inclyta, & effusos passim dispergit amores
Non illá Princeps matrona modestior, olli
Fœminea virtutis opes, & digna fauebant
Ornamenta, olli populorum addebat amorem
Gratia, & intactis probitas innata medullis.
Res illi votis semper risere secundis
Hactenus, & vento cessit fortuna ferente,
Nunc luctandum illi tetri cum turbinis astu,
Nunc dolor, & duri scena est peragenda rigoris,
Magnus vbi obliquum Titan percurrit Olympum
Griseldi Lucina *fauet, fit mater, & vno*
Est geminos enixa satu, molléḿque puellam, Parit gemellos Spem suam.
Germanúmque marem, geminos quos sperat amores,
Italiæ *bina astra, decor sic ore sedebat*
Sic & in explicitis mater viuebat ocellis
Iámque ambo incessu faciles, iam ternus vtrique
Annus erat, stupefacta ambos iam Regia cernit,
Penè ambos dilecta parens Griseldis *adorat.*
At Princeps chara quò Coniugis inclyta tentet
Pectora, & egregios animi producat honores, Sed tentatur à coniuge.
His illam aggreditur dictis; & talia fatur
Coniux chara vides, quo Te complectar amore,
Scis, mihi quot fuerint obiecta obstacula, ne Te
Dignarer tantus vinclo sociare iugali.

Perrupi tamen ipse moras, matrísque querelas,
Affinésque meos, populúmque indigna negantem
Coniugia, & gemitus, & cuncta obstacula vici.
Iam verò totâ exoritur regione tumultus,
Seditióque infanda instat, ni partus vterque,
Quem charo fudisti vtero, & iam pulcher in aulâ
Ambulat, aut sontem pelagi mittatur in vndam,
Aut detur populi furiis, neque enim excita plebes
Tam viles patietur heros, quos infimus edit
Sanguis, & obscuris mater prognata cauernis.
Ergo quieta meæ exoptas si commoda terræ,
Communes natos, & nostri pignora lecti,
„ Quamuis heu! nullis sed atrocia fata ligantur
„ Legibus, & nullâ populus ratione mouetur,
Quamquam inuita dabis; dixit, fictóque querelas
Quó magis arcanos matris tentaret amores,
Ore dedit, mœstúmque expressit fronte dolorem.
Illa vbi funereas dilecto à principe voces
Accepit, populique minas, sobolísque nocentem
Interitum, ingemuit, nam quæ nisi tygride mater
Sæuior, interimi prolem sine murmure cernat?
Sed virtus in mente habitans signa omnia luctus
Demit, & hæc illi constantia verba ministrat.
Ipsa tuas equidem, Princeps supreme, medullas
Me fateor nouisse, tuos & si impia sensus
Dissimulem, sum mentis inops; Quod puluere ab imo
Principis ad magnum diadema vocaueris, & me
Extractam obscuri mediis è sordibus agri
Consortem thalamíque tui, sceptríque potentis
Feceris, & magnæ Regum me æquaueris aulæ,
Et memini, & meminisse velim, tantíque fauoris
Nulla vnquam extinguent memores obliuia sensus.
Quod verò miseram petis ad fera funera prolem,
Quid poscis, quod iure tuum est? Tibi natus vterque,
Et viuit, moritúrque Tibi; Tuus ille, tuóque
In nutu est vtriusque salus, & funus acerbum;
Et Te eadem, Princeps, quæ me dispendia tangunt.
Vnum autem peto, matri vnum concede roganti,

Qui matri subripuit liberos

Quasi morti tradendos.

Illa inconcussa perstat

Progeniem saltem liceat mihi mollibus vlnis
Stringere, & extremùm charis dare basia labris.
Dixit, & adductos gremii complexibus ambos
Admouet, & saluete, inquit, mea viscera, matris
Infaustæ partus, & duræ sortis alumni;
Vósne ego iam video primæuæ ætatis in ortu Et valedicit natis.
Insontes ipso pulchri in splendore nitoris
Barbaricæ addictos genti? vos viuere dignos
Regum inter, Procerúmque satus, tam fœda subire
Exitia, & miseros tam tetro occumbere fato?
Ite tamen, vestróque meas in sanguine sordes Opinione suâ morituris.
Eluite, & generis pœnas persoluite nostri.
Sic ait, & lacrymas, quamuis obsisteret, ingens
Ex oculis excussit amor; velluntur ab vlnis
Interea, atque illuc, genitor quò iusserat, ambo
Regali pompâ furtim mandantur alendi.
Occisos igitur iussu Patris inclyta Mater
Credidit, at queruli nunquam tamen vlla doloris
Signa dedit, non flexa altæ constantia mentis,
Non animi tenor, aut species inuertitur oris.
At placidos vitæ calles, morúmque quietas
Sectata est, velut antè, vias, & læta marito
Risit, & illæsi flammam seruauit amoris.
Iámque in bis denos sese protenderat annos
Expers curarum, & tenuis sine murmuris vmbrâ
Continuatus amor, Princeps cùm turbidus iram
Fingit, & hirsuto simulat fastidia vultu. Iterum grauiùs tentatur
Grisesdémque, *illam neque enim iam coniugis ornat*
Nomine, sic miseram verbis affatur amaris.
Iam sat, Griseldis, *me fascina turpis amoris*
Ridendum fecere, tuos nec iam amplius ignes
Demoror, éque tuis iam sanior exeo philtris.
Iam tua habe; quærenda mihi iam congrua coniux
Sanguine digna meo, & titulis illustris auitis,
Me factura patrem, claròsque datura Nepotes. In speciem repudio abiicitur
Hic mulier stupefacta hæsit, ceu quando cadit mons
Conuulsis pridem radicibus, ilicet omnis
Excita turbatur tanto vicinia motu.

Aut quando æstiuus densatis nubibus aer
Horret, & insolito quatitur cœlum omne tumultu,
Stat pauidum per prata pecus, tantique fragoris
Insuetus chara premit infans vbera matris
Sed tamen illa regens fortes constantia mores
Dat robur, viresque grauem firmauit in ictum,
Et victrix vulnus solidat, quantóque grauatur
Pondere, palmæ instar tantò consurgit in altum
Ergo hæc compositâ Griseldis *voce profatur.*
Nunquam Ego magnificos aulæ sublimis honores
Non gemmas, non diues ebur, non ostra, vel aurum
Antetuli optatæ, Princeps Auguste, quieti.
Nunquam ego sic blandæ ridentia munera sortis
Accepi, quin vana eadem, atque abitura viderem
Illâ igitur pompam, illâ aulas, illâ aurea dona,
Illâ ostrum, Tyriósque habitus, gemmásque micantes
Abiiciam, quâ mente tuli; quin forte latebo
Commodiùs secreta domo, casulisque paternis
Quàm fulsi regnans claræ in splendoribus aulæ;
Ergo lubens excedam; vno tamen angor, id vnum est,
Exciderim, quòd pulsa tuo, Dux magne, fauore.
Hæc effata, aurum, sericasque, & candida ditis
Puncta maris, celebrésque peplos, vestésque superbas
Exuit, & tritas, quas liquerat antè, lacernas.
Viliáque incultæ cingit sibi tegmina telæ,
Sublimésque domos, altáque palatia pompâ
Deserit, in vili posthac victura cauernâ,
Quæque prius magnâ procerum stipata coronâ:
Innumerisque choris nuruum præcincta tumebat,
In tenui iam sola domo, laribúsque paternis
Heu latet! & seruos lanâ vel paupere fusos
Induit, aut paruos rastro circumfodit hortos.
Illi omnes procerésque dolent, populúsque, Patrésque
Et primæ indoluere nurus; Illa aspera forti
Excepit tormenta sinu, neque signa doloris
Vlla dedit, rigidas neque Principis increpat iras.
Ecce iterum nouus angor adest, & sæuior vrget
Griseldis *pia sensa dolor; iam fama vagatur*

Non tamen cõstantiã deiicitur.

Sed in vilem redacta cõditionem

Eadem est mente quâ anteá

Additur noua tẽtatio.

Principis in thalamos, spondásque venire iugales
Egregiam genere, & patriâ, formâque puellam
Iámque toros ornari, omnes ad festa parari
Gaudia, iucundo resonare palatia plausu.
Et verò egregio Iuuenis cum fratre puella,
Insignes ambo, claris natalibus ambo,
Ingenti comitatu, ostróque, auróque superbi
Longinquâ è regione aderant; hac Principis vxor
Creditur, hanc Proceres, hanc plebs, crebérque senatus
Vt tantæ ditionis heram dominámque salutant.
Qui Tibi tunc Griseldis *erant ad talia sensus?*
Quísue vsus rationis erat? status illius idem,
Non gemere, aut furere, aut tristes effundere fletus
Impatiens, sed eodem animo, sed sensibus iisdem
Hæc victrix subigit, queis tela priora subegit.
Acrior huic & lucta instat, robustior illi
Incumbit moles, augusta in tecta vocatur
Ancillæ subitura vices, festumque futuri
Coniugii structura torum, quæque antè superbis
Has dominæ in morem pedibus calcauerat ædes
Vile ministerium, & seruæ iam informe subire
Cogitur officium, atque imas euerrere sordes.
Sed tandem extremos Comœdia postulat actus,
Támque laboriferis succedere gaudia rebus
Iam decet; ergo iubet gradibus sublime theatrum
Educi Princeps; illuc Iuuenémque puellam,
Et fratrem crebrúmque omni cum plebe Senatum
Griseldémque *vocat; populis compressa coactis*
Ora silent, Princeps, verbis sic mollibus infit.
Magna equidē, Proceres, magna est mihi causa fluentis
Lætitiæ, magnósque mihi diuina fauores
Effudit manus & multis me dotibus auxit.
Dispersis alios adeunt quæ munera venis,
In me vnum coniuncta pii clementia cœli
Contulit, & blandis mulsit mea pectora donis
Illa triumphali, quam cernitis, ore puella
Solares imitata faces, lunaéque nitorem
Ille Puer croceam describens ore iuuentam,

Fingitur princeps ducere nouam coniugē.

Ipsa vocatur ornatura nuptialē thalamū

Quod sine tumultu sine querelâ præsta.

Cùm tādem

Maiestatis opus, Martísque flagrantis imago,
Non leuir est, non illa vxor; neque enim altera Coniux
Te præter Griseldis *erit; Tum mollibus illam*
Compellat verbis, & blandâ voce salutat;
Detectò mariti artificio *Vna mihi* Griseldis *eris, charissima Coniux,*
Sorte quidem meliore frui, & maiora tenere
Imperia, & potiore gradu considere digna.
Terra tua virtuti arcta est, ille Entheus ardor,
Ille animi vigor, illa tua constantia mentis,
Quâ lacrymas, luctúsque truces, qua funera, quâ Te
Vicisti, fraudésque meas, turbámque malorum
Totius exiguum terræ Tibi præstitit orbem.
Recuperatis liberis & dignitate Plenâ voluptate potitur. *Tu tamen hæc quæcunque potes cape gaudia Coniux;*
Par illud Iuuenum, quos conspicis, illa decoris,
Illa ostri domus, atque eboris, Tibi natus vterque est
Tu flagrans vtriusque parens, cape gaudia matris,
Et partus agnosce tuos, vterique coronam.
Extemplò festis resonat clamoribus aer
Circumstansque fremit populus, Griseldis *in ore est,*
Felicem hanc effusa cohors vocat, illius omnes
Æternâ immensos extollant laude dolores,
Quos tanto exultans cumulauit honore Voluptas.



Libri



LIBRI VNDEVIGESIMI PROLVDIVM.


NIhil est, quod mentes nostras ita sustineat, atque vnius *Spei* solatium, & cùm nos cætera omnia, cùm fortunæ, tùm corporis ornamenta deseruerint, Amici, facultates, robur, sanitas, in subsidium spes vna vocatur, & vix in aliquem vnquam tam impotenter tempestas fortunæ detonuit, vt illi spei radium omnem ademerit.

Spes concha est, rupibus fibulata quibuslibet, Hedera est, omnibus annexa arboribus; Lapillus est omnes inclusus in annulos, Ignis est, in omnia ligna descendens; Astrum est, in omnes terras influens; Sol est, in omnium oculos, & aspectus incurrens; semen est in omnibus campis adnascens, spes tandem est motus in omnium cordibus exultans, sine quâ in tantâ vitæ imbecillitate, & calamitatum frequentiá quid posset esse solatij? Hac igitur orator aut populum ærumnæ tempestate iactatum, aut Senatum impendentis periculi timore perculsum, aut reum calamitatis in ima deiectum subleuabit.


Lenitas autem & mansuetudo licet inermes animi motus, præcipua tamen oratoris arma sunt, quibus reorum salus, honor, & vita propugnatur. Illam ergo libro sequenti describam, sed qualem? Reginæ in morem.

Illi frons niueis candebit honoribus, illi
Ibit in ambrosias aurea vitta comas.
Flos erit in palmis, & risus in ore sedebit,
Scriptus & in placidâ veste sedebit amor,
Gratia compositos ornabit amabilis artus,
Et sinus argutis vnguibus ardor erit.
Lacteus in pulcros candor decurret amictus,
Fusus & extremos serpet ad vsque pedes.
Victa iacebit humi Rabies, furiaéque rebelles,
Et Furor infractâ proteret arma manu.
Stabunt extinctis compressa tonitrua flammis,
Stabit fulmineis Iupiter absque globis.
Candida pro sæuis fulgebit oliua sagittis,
Próque cruentatâ Pallade, Phœbus erit.

Ad illam patronus accedat, quâ rosas, fragrantiam, & suauitatem ad rebelles auditorum voluntates inflectendas effundat; sicut ad eius æmulam. quæ Ira est, Accusator, à quâ ferrum, tela, lapides, aduersum reos & nocentes vibrandos accipiet. Quare nos ea carmine sequenti tractabimus.



LIBER VNDEVIGESIMVS
De Motibus Spei, Iræ, & Mansuetudinis.



Nuia contorti mihi per vepreta do-loris,
Perque Voluptatis *calles, per Amoris & aurea* — Inuocatio.
Templa, per & nigras Odij *penetrasse cauernas*
Iucundum est; nec vos, Charites*, piget, illa fauenti*
Per loca me duxisse manu, via longa tenenda
Illa quidem mihi restat adhuc, sed mitior, & quam
Planities æqualis habet, Spes *quippe videnda est,*
Et quæ de facili Clementia *pectore surgit.*
Exurgunt interdum equidem scopul:que rigentes
Et cautes, durique aditus, & saxa tumescunt
Improba, quæ rabidis armata furoribus Ira — Propositio.
Asperat, & rigido sepit luctamine calles.
Vos igitur mollite vias, placidúmque benignæ
Reddite iter, quæ námque mihi spes certa supersit
De spe digna loqui, nisi me sacra turba regatis?
Et iubeatis opem vestri sperare fauoris?
Iuxta descripta speciosa palatia Nymphæ, — Cap. 1. Spei palatium
Magna domus, Calliste, feris habitatur apertis,
Quo fluit omne hominum genus, & quos dira fatigat
Conditio, & quos nobilior fortuna coronat.
Illa equidem pulchris fulgens micat vndique tectis.

Viride

Electo è lapide, & viridi conſtructa Smaragdo,
Circùm agri, plantaéque virent, & ſerta comantur
Florea, ſed flores ſequitur qui fructus, vbique
Rarior, & raras ſpatioſa noualia meſſes
Emittunt, viduóſque ferunt vineta racemos.
Intra tecta ſonat tinnitus & æris, & auri,

Plenum theſauris licet incertis

Argentíque nitor radiat, ſed & amplior ardet
Theſaurus, multiſque micant æraria nummis.
Hic trabeæ, faſcéſque patent, hic Conſulis arma,
Hic cinctus, Procerúmque fauor, Tyriíque colores,
Sceptrorúmque ambitus apex; Huc plurima tendunt
Agmina, Pars celebres ſibi decerptura triumphos,
Pars primos captura gradus, hic quærit honores,
Hic dites ſectatur opes, hic ſplendida poſcit
Sceptra ducum, ſed penè omnes Spes proxima fallit.
Illa virens induta ſagum, læuáque Tridentem

Cap. 2. Genius ſpei Comites

Illis affinem cymbas qui littore ſiſtunt,
Prætendens, dextrâ funebria ſpicula frangit.
Eſt iuxtà Fortuna Comes, Caſúſque ſecundus
Vtraque læta genis, ſpondentque fauentia vota

Fortuna

Auxiliis implenda Spei, *quæ plena futuri,*
Multa ferens, ridenti oculo, & lenimine vultus,

Euentus

Promiſſiſque frequens, blandaéque fauore loquelæ
Ad ſe omnes accit; veniunt examine crebro,
Et Nympham innumeri cingunt, precibúſque fatigant,

Futurũ

Sollicitántque auidi; illa tamen non excipit omnes;
Nec cunctis partitur opes; Quot luſa videbis
Millia, deceptis fruſtrà langueſcere votis?
Incaſſúmque ægris ſuſpiria ducere venis?

Cap. 3. De deſperatione

Quos Spes *contemptos irata repellit in hoſtis*
Deuenere manus; quæ Deſperatio *ſæuis*
Fœda miniſteriis inſeruit, & occupat inſtar
Carnificis miſeros, & acerbâ cæde cruentat.
Illa in vicini prærupto vertice montis

Eius deſcriptio.

In morem Sphyngis, Sphynge *ipsâ horrentior, apta*
Inſidiis fraudíque ſedet, truculentior illi
Stat facies, funeſto oculi liuore notantur,
Anguineæ riguere comæ, cognata Megæra eſt,

Et gladiis accincta, suas quos vertit in vlnas,
Perque suas vlnas miserorum transfodit artus,
Hic multi, quos Spes propriâ summouit ab aulâ, Cap. 4.
Præ nimio luctu, turpísque pudore repulsæ Exẽpla
Consciscunt sibi fata, animásque in funera mittunt desperatorum
Crudeles, Hic sæua feræ Carthaginis *arma,*
Hannibalémque *trucem, & victricia tela timentes*
Dira Numantini *subeunt incendia Ciues.* Numantini.
Hic Princeps Sophonisba *Italas ducenda sub arces* Sophonisba
Inuisis exspes inseruitura triumphis
Pocula lethiferis obducit atrocia succis.
Hic illum cernes, quem Roma antiqua Catonem, Cato
Suspexit, petit ille suæ quam diligit vrbis,
Et decus, & priscos, quos penè amisit, honores;
Et da, Nympha, inquit, Romana reuisere tecta,
Da libertatis sacra gaudia, Cæsaris *arma,*
Et diras infringe manus, cadat impius hostis,
Da tandem, Regina, piam sperare salutem.
Sic rogat, illa viro non annuit, ille doloris
Impatiens, terebrata fero fodit ilia ferro,
Inuisámque animam per turpia vulnera mittit.
Hic cum progenie frustrata Theoxena *mortem* Theoxena
Oppetit, hic sæuo mucrone Iubellius *ictus* Iubellius
Concidit, & rabido se perditus induit ense. Nero
Hic supplex Nero *poscit opẽ; Hic* Otho *fœdus, vterq;* Otho
Victrices Aquilas, regnúmque exoptat, vtrique
Auxilium negat illa, suum latus vnde feroces
Ambo petunt, cæli lóque trucem cum sanguine vitam
Proiiciunt; Hic sæuit atrox in crimina Iudas Iudas
Sed sua, vbi vanis spem vocibus accit, ô, inquit,
Me miserum! quæ me turbat dementia? quæ me
Circùm monstra volant? Furiæ *vos arceo, flammæ*
Vos detestor, hians Te Styx *quoque abominor, & vos*
O stagna! ô Phlegeton! *ô Erynnyes! & tamen ipse*
Heu miser æternos descendere cogor in ignes!
O mihi transacti si meta recurrreret æui!
Si primos reuocare dies, vitámque liceret!
Quis, qualísque forem? proh quã miserabile! proh quã

Horribile est spectare Deum iam iámque tonantem!
Sauáque in attonitas mittentem fulmina mentes!
O mors quàm furiosa venis! quàm tetra nocenti
Mors tua stat facies! in me mea crimina cerno,
Extra me irati violenta tonitrua cœli
Intueor, post me charissima philtra reuoluo,
A quibus auellor, coram tormenta patescunt,
Ardentésque Pyra, Phlegetōque, *& teter* Auernus,
Nunquid spes iterum allucet? sed sera phronesis,
Sera mihi metanoea; placent delicta, furores,
Eumeniésque placent, nolo reuocare quod actum est,
Cœlum odi, & Diuos, Virtus inimica, decúsque
Displicet, odi ipsas, habitant vbi Numina, sedes.
Hæc dicens, laqueo guttur suffocat, & altâ
Arbore pendet onus, funestáque viscera fundit
Infœlix, hic mille alios diuersa videbis
Per tormenta mori, quorum Spes vota fefellit

Cap. 5. Exēpla sperantium

Contrà alios amplexa fouet, precibúsque benigna
Annuit, & placidis obtemperat obuia votis
Pellæum *Iuuenem strictis amplectitur vlnis,*
Vberibúsque & lacte nutrit, quippe ille superbi
Dispersis thesauri opibus, fusisque talentis,

Alexander.

Diuisâ regione, vnam Spem *seruat, & vni*
Seruit, & indomitos vni dicat impiger ausus.
Sic & Gregorius, numerus quem nominis ornat
Septimus, ante Deam flexo stans poplite, & ardens
Tendit vtramque manum, triplicísque insigne thyara

Gregorius 7.

Postulat; illum, humili quamuis de semine crescat
Spes lactat tamen; & felicibus admouet vlnis.
Quippe illum, dum paruus adhuc genitoris in æde
Viueret, abrasi sordentia fragmina ligni
Collegisse ferunt, & lectis vndique frustis
In sensum hunc duxisse apices; Me pontus vterque
Noscet, & ad nostros flectetur machina iussus.
Ex illo Spes *illum aluit, mollíque papillâ*
Nutriit, & sacras iussit sperare coronas.

Cap. 6. Spei effectus

Non prius æquoreos audax conscendit in amnes
Nauta, nec indomitis committit vela procellis;

Non prius infesta tentat discrimen arena,
Nec Martem *generosus init, vel prælia miles;*
Coniugium non antè viro, non ante puella
Contrahitur, iungúntue vel illa, vel ille hymenæos;
Non prius in domitos mittit sua semina sulcos
Agricola, aut cultis plantas disponit in aruis, Est fultura actionum humanarum.
Quin à Spe *diploma petant, quo nauita portum*
Attingat, quo fata sero dux inferat hosti,
Mollibus è thalamis quo sponsus vterque Nepotes
Speret, & iniecto cultor de semine fructus.
Spes etenim est, quâ vita alitur, quâ cuncta reguntur
Quam semper spectant nostri vota intima cordis
Ac velut immensi sulcans freta deuia ponti Est veluti Cynosura
Nauta, polo vicinum ignem, stellámque marinam
Spectat, & ignotos cælesti è lumine cursus
Dirigit, & tutis immittit carbasa ripis
Sic nostri Cynosura *animi, sic ignea voti*
Spes Helice *est, nec vita hominum se ex lege mouebit*
Ni spes humana descendat in intima mentis?
Luxissent quot regna malo pessumdata casu? Solatium in calamitatibus.
Quot bello deletæ vrbes? quot & oppida versas
Fleuissent prostrata domos? nisi commoda mœstis
Spes rebus fecisset opem, contráque labores
Constantes animos, & fortia corda dedisset?
Spes ergo est luctus solamen, & vltima mentis
Anchora, vitandi fiducia certa doloris, Anchora in fluctibus.
Stringendíque boni, qnam sensibus indidit Æther,
Non fudit Pandora *suæ de pixidis aluo.*
Sed Deus hanc nostris infusam adolescere venis Quam Deus infudit in mentes
Iussit, & in mediis hominum regnare medullis;
Absentis quâ philtra boni, quâ sortis amicæ
Commoda, venturi quâ dona petuntur honoris.
Non tamen omne bonum Spes ambit, at improbat illud
Quod vires excedit, ouans nunquam indigus ostrum, Cap. 7. De præsũptione
Aut regum sperabit opes, nec Cæsaris *arma.*
Nec celebres Pompeii *ausus, nec splendida* Cyri
Æquare agrestis præsumet facta colonus.
Propterea elati supremo in vertice tecti

Cernis vt emineat, greſſúque exultet inepto
Eius deſcriptio. *Ampullis leuibus, ſcalíſque innixa caducis,*
Circumflata Notis, vanis tumefacta cothurnis
Fœmina, quam circum ſtabulant fallacia noctis
Somnia, & extincta volitant ſine lumine nubes:
Illa manu captat, ſed nil, niſi futilis vmbras
Cuius comites Ixion & Phaetõ *Aeris, at tenues abeunt, quæ captat in auras.*
Ixion *ipſi comes additur, additur ipſi*
In comitem Phaeton, *quos ambitione nefaſtâ*
Et niſu informi Præſumptio *vana feſellit.*
„ *In ſpe æquus conatus erit, vel ſi ſit iniquus*
„ *Non eſt ſpes, ſed ſtulta feræ* Præſumptio *mentis,*
Sed cordis tumor, atque animi temerarius ardor.

Cap. 8. De Irâ *Hinc pete vicinas ædes, & proxima tecta*
Sed tutâ, Calliſte, *viâ, ne forté premaris*
Inſidiis, & fraude loci capiaris iniquâ.
Sylua ferox horreſcit, vbi ſpelunca draconum,
Eius habitatio, *Serpentúmque domus, tygres vbi pabula quærunt,*
Pantheræque truces, & quæ fera cædibus inſtat,
Hic ſedem fera talis habet, dominatur in omnis
Imperia nemoris monſtrum furialius hydra,
Tetrius immani, quam nutriit Africa, tygre,
Deſcriptio. *Excetrâ horridius; rubor illi flammeus ora*
Occupat, ardenti flagrant fera lumina buſto,
Stat ſanies ſpumoſa labris, quatit impetus artus,
Oſſa tremunt, crebro reſonant ſtridore molares,
Editur in geminas vehemens comploſio palmas
Voluuntur ſtrepero ore minæ; Hæc germana furoris
Ira, *tumens quam ſenſus agit, quam ſanguinis ardor*
Excitat, & mœſti mouet anxia cura doloris.

Cap. 9. De diuiſione iræ Vna leuior *Ira duplex, leuis vna, leui de ſemine nata;*
Vt citò feruet, ita illa citò quoque deficit, & ſe
Temperat, extinctôque tepens ardore quieſcit.
Non aliter quàm cùm paleas, & ſulphur aduſtum
Ignis edax contingit, vbi primùm ignis adhæſit
Ilicet in ſiccis regnant incendia culmis,
Et ſtipulas, ſulphúrque vorant; vis attamen ignis
Non hæret diuturna, ipſi ſed languida nitro

Immoritur, paleásque leues depasta, tepescit:
Altera deterior primâ est, quam tempus adultam Altera ¶ grauior.
Nutrit, & in venis ætas productior auget,
Extenditque dies, globulos imitata niuales,
Quos alto de monte trucis vis sæua procellæ
Deiugat, & curuæ proturbat in infima vallis.
Illi principio tenues, & molis egentes
Impulsu leuiore cadunt, sed vbi addita longo
Descensu nix multa niui est, tùm in grande volumen
Crescentes in plana ruunt, nec iam amplius hærent
Exiles, tumidis similes sed rupibus ipsis
Magno subiectas extirpant impete syluas.
Ille ferè populos motus dominatur in omnes, Cap. 10 De Iræ effectib⁹.
Incumbitque feris, neque tantùm sæua leones
Ira mouet, vel tentat àpros, aut armat echidnas.
Ipsi etiam formicæ ira est, sua bilis & ipsis
Vermibus, & tenues tenet ira asperrima muscas.
Quid dicam populorum iras? per lata vagatur Causa est bellorum
Imperia, & vastas motus ferus occupat vrbes.
Vnde graues toto consurgunt orbe tumultus?
Vnde ferox tumidis regnat Bellona *cateruis?*
Vnde cruentat à stillantia iurgia cæde? Tumultuum
Ex irá fluxere, graues fouet ira ruinas,
Ira neces agit, Ira vrbes & mœnia delet. Cædium
Trux illi est pro lacte cruor, malus horrida præbet
Nutrimenta furor, vires, & robora præstat
Impietas, pro deliciis mors vna probatur. Ruinarum.
Troianum immani Pyrrhus *si funere Regem*
Transadigit, sanctúmque Iouem, atque altaria tabo
Spargit, & horrendas tetrâ nece polluit ædes.
Si Thebas *hausere rogi, si flamma superbam*
Sæuiit in Babylona, Tyrum *si dira vorauit*
Vindicta, Insubriæ *dominam si perdidit vrbem*
Cæsar, *& excisam salsis consperfit aceruis*
Illorum est trux Ira *parens, ferrum illa cruentat,* Insidiarum
Illa parat chalybem, illa enses struit, illa sagittas
Asperat, & stimulis armat lethalibus hastas.
Illa venenatis admiscet pocula succis,

Illa dolos, fraudésque parat, iura illa, sacrásque
Impia fœdifrago perrumpit crimine leges.
Ipsa etiam est inimica sibi, séque ipsa fatigat
Improba sollicitos sibi procreat ipsa labores
Illa etenim vindicta rigens, quâ funebris Ira
Vindictę *Gaudet, & aceptos quâ reddere nititur ictus,*
„ *Degeneris stat signum animi, neque enim inclyta nomi*
„ *Vlcisci natura, canem leo despicit, etsi*
Latret, & extantes ad atrocia vulnera rictus
Exerat, imbellis vermísque, & musca prementem
Inquinat, indignóque culex se vlciscitur ictu.
„ *Magna illa est vindicta, suum quâ despicit hostem*
„ *Percussus, nec se percussum sentit, ad ictus*
Cap. II. „ *Non quod hebes stupeat. sed nobilis indole mentis.*
De remedio Iræ *Monstrum igitur funestum Ira est, & mille malorum*
Laxetur si fusa, parens, hanc effuge solers,
Aut si forté nequis, validis instringe catenis.
Sancta prius quàm tecta petas, ne deinde soluta
Mansueta turbet penetralia proxima Nympha.
Nec funes immitte leues, leuiora refringet
Vincula, & impositos rabido conamine nexus
Excutiet, nisi firma illos compago ligarit,
Vulcaríque *manus superent, artémque* Cyclopū.
Quamquam autem fremat, & spumoso strideat ore,
Intendátque minas, manibúsque obnixa resistat.
Perge tamen, nam inuita licet, tua vincla subibit,
Agnoscétque tuas astricto corpore vires.
Initio reprimenda. *Ira igitur,* Calliste, *ipso cùm existit in ortu,*
Compescenda Tibi est. frustrà tentabis adultam
Comprimere, & dudum crescens elidere robur.
Planta recèns affixa satis. & fortia nondum
More surculi *Firmamenta tenens, facili conamine velli*
Se patitur, sed postquam altis radicibus hæsit,
Et fibris amplexa solum est. robusta requirit
More draconis elidēda *Brachia, & armatas ad membra putanda secures*
Vt primùm draco natus humum contingere cœpit,
Elidendus, vbi densos replicatur in orbes,
Et spiris, squammísque auctus turgentia colla

Intumuit, trucibúsque iubatus inhorruit armis,
Tunc illum tentare nefas, incendia quippe
Ore vomit, virúsque omni de corpore fundit.
Sic dum infans est Ira, *illam constringere fas est,*
Et leges dare, & impositis frænare lupatis.
At postquam prouecta sui sub iura redaxit
Imperii, mentem, rationémque insuper ipsam
Subdidit, ínque suæ traduxit fœdera partis,
Non illi tum obstare licet, quò hæc imperat, it mens, Nã diffi-
Et præceps rapitur, quò non libet ire, voluntas. cile cu-
Ac veluti grauidâ constantia corpora mole, ratur
Vt semel è summi decussa cacumine montis, cùm e-
In curuam voluuntur humum, licet impete misso ualuit.
Stare velint; nequeunt tamen, hæc vis ponderis ingens
Declinam in vallem, quamuis nolentia, turbat.
Iram ergo compesce. recens cùm efferbuit, & cùm
Bullire incœpit, facies vel cautius, illam
Si fugies. primo quam se formauerit ortu,
Prima insurgentis cùm signa notaueris Iræ.
Non secùs atque altâ cùm nauta peritus in vndâ
Tentat iter, pelagique vias, atque ardua sulcat
Æquora, si validos sensim crebrescere ventos,
Vrgerique hyemem, vastósque tumescere fluctus
Inspicit, extemplò secretâ obsconditur ora,
Aut portum ingreditur, littúsue occultius ambit,
Quò sua venturæ subducat vela procellæ.
Præcipuè irasci faciles, & ad aspera promptos 2. reme-
Iurgia, & armatas cupidos extendere rixas dium est
Effugies, ne fœda suæ contagia noxæ vitare
In te transfundant, & acerbâ peste prophanent. consor-
Illi quippe suum crebrâ assuetudine virus tiũ ira-
,, *Immittent animis, fingunt consortia mores.* cundorũ
,, *Non ita pestiferâ cœlum corruptius aurâ*
,, *Corporibus nocet, atque ægros sic inficit artus,*
,, *Vt vitiosa sinus hominum consortia fœdant*
,, *Multa bibax ad vina trahit; quæ corda, salaces*
,, *Inter, casta forent? Quis largior inter auaros?*
Rixosos inter quis lenia sensa fouebit?

Cap 12. De Irâ licitâ.

Non omnis tamen Ira nocet, nam commoda magni
Stare animi cos Ira poteſt, quæ robur, & audax
Pectus, & egregios in prælia concitet æſtus
Quin etiam virtus iuſtas exſurgit in iras,
In vitiúmque irata ruit, quis enim igneus Iræ
Parcat? & accenſo pectus non incitet æſtu,
Tantâ in nequitiâ, ſcelerúmque furore nocentum?

Contra vitia

Terra nefas immane patret? dominetur in orbe
Crimen? & infando ſcelerata ſuperbia faſtu
In pectus mortale furat? deterrima regnet
Impietas? calidóſque cremet Venus improba ſenſus?
Inſtet auaritia? & ſiccas vorет atra medullas
Inuidia? & diræ maleſana libido rapinæ
In mentes deſcendat? Ego tot Erinnyas inter,
Tot peſtes inter, ſcelerum tot & impia monſtra
Compreſſæ iniiciam frænos ſedatior iræ?
Nec ferar in vitium? nec in improba facta mouebor?
Iraſci quandoque licet; decet ira calentem
Actorem, & fœdos vitiis, & labe notatos
Percutiat ſtimulis, iuſtáque coerceat irâ.

Quam Deus ipſe ſæpe exerit

Ipſe etiam Deus, etſi Iræ non ſentiat æſtum,
Effectus meritæ Iudex tamen exerit Iræ.
Ecquid enim, medias cùm cædem & funus in vrbes,
Cùm peſtem, & ſæui contagia dira veneni
In miſeros immittit agros, cùm bella, necéſque
Inuehit, & trepido premit agmina magna tumultu,
Ieiunâ cùm regna fame condemnat, & aruis

In peccatores.

Infœlix lolium pro cultâ immittit ariſtâ;
Cùm nigro madidas cogi iubet aere nubes,
Cùm tonitru cœlum quatit, & formidine magnâ
Vibrat in attonitas reboantia fulmina terras,
Cùm plenas euertit opes, cùm deſtruit ædes,
Attritáſque domos natorum clade fatigat,
Effectus niſi diuinæ iuſtiſsimus Iræ eſt?
Non igitur monſtrum Ira omnis, quâ parte placebit,
Hac illam procliuis ama, quâ parte moleſta eſt,
Hac illam euita; hinc ædem ſecurus adibis,
Mitis vbi poſuit iucunda ſedilia Virgo.

Illa coronato circumfluit acta canali
Fossa, rotans non cœli imbrem, non Tethyos undam, Cap. 13. De mãsuetudine.
Irriguo sed lacte fluens, vel melle liquente,
Ambrosiáue Deûm, ante fores satus undique lucus,
Quem non illustres sublimi vertice palmæ,
Non abies, non alta cedrus, non erigit ilex,
Sed mites oleæ, *facilíque cacumine myrthi,* Eius palatium
Et quacunque pios enunciat arbor amores.
Ad primos tectorum aditus stat vincta catenis
Sæuitia, immanique furens vesania vultu,
Et manicas, quamuis frustrà, indignatur, & ore
Spumat, & in Nympham voces immittit inanes.
Hic ignominiâ, vinclísque, atque ære grauati,
Interpuncta notis liuentibus ora ferentes,
Elatáque face infames, & reste probrosâ, In limine vincta est sæuitia
Luminibus deiecti, olim feritate minaces,
Mansuetæ ridenda patent ludibria nymphæ,
Procrustis, Phalarísque *ferox, dirique* Nerones,
Cacúsque, *& positâ lugens* Mezentius *irâ,* Crudeles.
Sinnísque, *& rabidâ miserabilis arte* Perillus,
Et Timon, *&* Sylla *furens, &* Carbo, *nocénsque*
Busyris, *rigidáque truces cum* Sphynge Cyclopes
Hic omnis Scythia, *atque inuersis protinus hastis* Vindicta cũ Scythia.
Thracia *victa iacet, trahitur* Vindicta, *sed arctis*
Funibus, & duris palmas innexa catenis.
Hic superûm simulacra Deûm, sed inermia candent,
Pacato nec flamma Ioui, *nec ahenea* Marti
Arma, nec insonti traduntur scuta Mineruæ; Symbolũ Apes
Hic micat ales apum populus, quem cella tepente
Emisit stipata sinu, vagus inuolat aureis
Floribus, exuuiásque refert de vere comante, Sunt splẽdidi
Aut gratis de Maii opibus, quas vertit in aptum
Nectar, & in teneri pretiosa coagula mellis. Traianus
Perge intrò; hic niueâ pictos in veste videbis, Titus
Insontes quibus alma dedit Clementia palmas, Flaminius
Traianum, *facilémque* Titum, *domitísque Pelasgis*
Flaminium, *mollémque* Numã, *clementiáque arma* Numa
Cæsaris, *expertésque infesti sanguinis hastas,* Cæsar.

Ante omnes Lodoicus *adest, quem candida cingit*
Ludouicus 13. *Gratia, & ingenui circum sparguntur Amores,*
Imponúntque comis oleas, & mille coronas
Sternunt ante pedes, domitos quod sæpius hostes
Stare tamen super., & placidas permiserit auras
Ducere, nec iusta fulmen coniecerit ira,

Cap. 4. Solium mansuetudinis Ara est *Tende vltrà, & magni secreta sacraria templi*
Ingredere; hic structam cernes è floribus aram,
Cui super imposita est mitis Dea, candida vultu,
Blanda oculis, iucunda genis, & vestibus albens
Illecebris & amore fluens; non cæditur illi
Victima, nec fusus sacrata altaria sanguis
Commaculat, neque thure sacro, neque farre litatur,
Cui lacrymæ dantur in sacrificia. *Sed lacrymæ, gemitúsque pii, suspiriáque imo*
Ducta sinu, pro cultu omni, libísque feruntur.
Huc afflicta cohors hominum, quos dura fatigat
Conditio, vel casus atrox, quibus aspera vento
Naufragia, aut infamis opes iniuria dempsit,
Quò miseri confluunt. *Quos latrocinium spoliauit, & improba læsit*
Tempestas, quibus atra suos mors vulsit amores,
Quos tristis fortuna premit, quos vrget egestas,
Atratâ in veste, & promissi horrore capilli
Accedunt, lacrymísque fluunt, gemitúque queruntur
Quos facili lenis Miseratio *respicit ore,*
Humentésque oculos, & mollia lumina tergit.

Cap. 15. de naturâ mansuetudinis. *Sed quid* Mansuetudo? *Animi est Affectio casus*
Alterius miserans, & damna ferocia lugens;
Nam quis ab humanis tam dissita corda medullis
Nutriat? etsi illum Massylus *viderit orbis*
Nascentem, & rigidis Zenonia *porticus vmbris*
Texerit, indomitóque animum firmauerit ære,
Humanum esse affectum *Quem tamen istius vis opportuna doloris*
Non subeat? nostra cùm dira cadauera sortis
Tot strages, tot damna, grauis tot signa ruinæ,
Tam grandes luctus, & desolata domorum
Funera, tot versas violentis casibus vrbes
Viderit? aut reliquos fortunæ flebilis ictus?
Nos autem alterius mollis Miseratio *tangit,*

Si qui damna subit, casúsque incurrit acerbos,
Iustitiâ emineat; si obducere Phocio *virus,* Præsertim ex miseriis Præstâtium virorum
Si mortem celerare Cato, *si tetra* Camillus
Fata pati cogatur, atrox si in viscera ferrum
Corbulo, *si calidas in guttura condere flammas*
Porcia, *& immeritos incumbere* Brutus *in enses,*
Si specie, formáque micans in sortis acerbæ
Venerit incursus, si feruidus intret in ignes
Seruaturus opes niuei Spurina *pudoris* Pudicorum
Si misera in nudâ monstro exponatur arenâ
Andromeda, *aut dubiis pateat* Chariclea *periclis.*
In nostros quoque sancta fluit Miseratio *sensus,*
Nobilium è longo veniens si sanguine Patrum. Fortium
Gestorum vel laude tumens, clarúsque triumphis
Incidat in miseræ fatum illætabile sortis.
Marmaricos si forté cadat Marcellus *in hostes,*
Si Cyrus *sit præda* Scythis, *si totius orbis*
Edomitor Pharium Pompeius *imbuat ensem.*
Si Troiæ *euersor, Regúmque exemplar* Achilles
Imbelli fractæ sternatur arundine dextræ.
Iam Calliste, *Tibi è molli patet exitus æde,* Cap. 16 De affabilitate.
Sed tamen antè adeunda, sedet qua proxima Nympha
Blanda oculis, speciosa genis, iucunda labellis,
Compta habitu, cultu facilis, spectabilis ore,
Et verbis tenera, & linguæ dulcedine fragrans Eius descriptio.
Alma Affabilitas, *circumsedere suaues*
Blanditiæ, & Lenes *numeroso examine* Mores Comites
Et facilis Natura, *iacet sine viribus vllis*
Rixa, *iacet discors vinctis* Contentio *membris.*
Antè illam tria signa vides ornata coronis,
Artameni, Xerxíque, Antaphernique *dicantur* Cap. 17. Historia Artamenis & Xerxis ex Herodoto & Iustino
Quos Affabilitas *magno complexa fauore est.*
Excipit Histaspis fatum lugubre Darii
Natorum lis magna, illâ nam lite petuntur
Præmia non ludicra, amplâ de Perside certant,
Perside? parua loquor, mundi de stemmate pugnant;
Litem hac causa fouet; variâ de coniuge fœtus
Artemenem, Xerxémque *pater susceperat, ambo*

Insignes formâ, claros virtutibus ambo,
Ambo animi donis, & mentis viribus auctos.
Artemenes *primis gaudens natalibus ostrum*
Postulat; at Xerxes *sibi sceptra micantia poscit,*

Litigât duo fratres de Imperio Persico

Quod se regnanti mater Regina Dario
Ediderit, Fratrem esse equidem maioribus annis,
Priuatâ sed sorte; Ergo hæc contentio fratrum
Exoritur, sed cæde vacans, non mutua fiunt
Excidia, aut cognata acies vtrinque leguntur.
Non gladii, non arma sonant, non miles in vrbes

Sed affabiliter sine murmure

Insilit, vnanimo disceptant fœdere fratres,
Omnia pacati dirimuntur Iudicis ore.
His Artaphernes *Patruus stetit arbiter, ambo*
Vel verbi vnius tenui sine murmure fratres,
Ius dixere suum, causámque euincere tentant.
Ac prior Artemenes *placido sic incipit ore.*

Oratio Artemenis.

Vellem equidē Artapherne, *mihi, fratríque deesset*
Litis causa noua, nec Tu subtractus obisses
Magne pater, sed adhuc viuens tua sceptra teneres
Et nos cum reliquis regeres pulcherrime Persis?
Sed quoniam sic fata volunt, sic Persica sceptra
Afflixere poli, nobis vt raptus, in astra
Transieris, sociúsque Deûm successeris axi,
In solii si celsa tui fastigia, prima
Effigies, & imago tui, qui Te exprimo, qui Te
Exhibeo, charique prior sum partus amoris,
Conscendam, gaudebis, Amor tuus illud, honórque
Et Natura petit; dirime æquissime causam
Patrue, syncero qui patria viscera motu
Dulcis habes, nósque æquali constringis amore.
Iure coronato frater mihi vendico fasces,

Quâ probat sibi.

Quos tribui Tibi posse nego, si causa petatur,
Naturam incusa, quæ me clementior vlnis
Excepit, natúmque Patri dedit alma priorem,
Præposuítque Tibi, cunctis qui gentibus ordo
Communis placet, vt patrio quæ è sanguine prima
Surgit, & in thalamis crescit primæua paternis
Progenies in iura patris succedat, & hæres

In pa-

In patrii veniat monumenta domestica census.
Naturæ ratio fauet optima, quippe quis alter
Æquius obtineat patrimonia iusta parentis,
Quàm qui contingit propiori iure parentem? Deberi regnum
Quis verò è natis propiori fœdere Patrem
Contingit, quàm qui primis natalibus illum
Excerpsit? primósque hausit de Patre vigores?
Quod Xerxes, *aliquando meum ius extitit, à me*
In Te illud transire nequit, nec ad illud honestè
Eniti potes, at patrio succedere sceptro
Ius aliquando fuit mihi, nam cùm Regia primùm Quod primigenius esset.
Vestiit ostra Pater, nec dum Tu eductus in auras,
Nonne meum ius illud erat? Nam finge parentem
Ante tuos obiisse ortus, Regalia cui tùm
Sceptra reliquisset? certè mihi; Quis mihi sceptra
Nunc adimet, si tùm mihi debita sceptra fuerunt,
Quod nostri fecere Patres, faciéntque Nepotes,
Vt natu maior succedat filius, in me
Id cur antiquare cupis? cur patrue, solus
Non teneam, reliquis quod traditur omnibus, ipse?
At Fratri regnum fastigataéque secures Destruit rationes fratris
Debentur, siquidem clarâ stat frater Atossa
Nobilior de matre satus, Cyrique *potentis*
Splendidus est è matre Nepos; si summus Atossæ
Imperii debetur apex, si propter Atossam
Persica *magnanimo cesserunt sceptra* Dario,
Nil habeo, quod iure petam; sibi regia Frater
Sceptra habeat, iustâque Asiam *moderetur habenâ.*
Sin contrà magno fasces electio patri
Contulit, & parto crines diademate cinxit,
Si Rex antè fuit, thalamos quàm insignis Atossæ
Iunxerit. & per se tulerit suffragia Regni.
Ius in me patrium deuoluitur, ipse parentem
Exhibeo, nec magna potest, nec debet Atossa
Imperii sperare decus, cùm quidquid in illo
Augustum fuit, id concesserit omne Dario.
Sed fueram satus antè, pater quàm sceptra teneret,
Vnde mihi spes nulla, nisi priuata parentis


Prædia, & angusti patrimonia cernere fundi
At Xerxes *nitido felix qui natus in ostro,*
Cui dedit illustris cunabula regia murex,
In regni moderamen eat; nonne editus antè
Cambyses, Cyrus *quàm* Lydia *regna domaret?*
Lydia sceptra tamen non Mergis, *at ipse recepit*
Cambyses, *neque enim mutat ius summa potestas.*
Vt genitor factus Rex est. sic Regis & ipse
Filius, atque adeò successor Regis & hæres.
Plura quidem dicenda forent, sed Tu arbiter æqui
Patrue plura tenes, nec si me causa relinquat,
Propterea lugebo tamen, quod iudice tali
Exciderim, nec me mœstissimus exedet angor,
In tantum venient quod sceptra potentia Fratrem.
Dixerat, immoto stat patruus ore, nec vllum
Indicium dat flexi animi, cùm talia Xerxes
Fatur, & aduersâ Patruum de parte moratur.

Oratio Xerxis.

Ipse equidem vereor, Genitor sanctissime, ne Te
Ne tumulum, Manésque tuos, sacrásque premamus
Relliquias hac lite, tuis qui debita Iustis
Discordes terimus fraternâ tempora rixâ;
Æquiùs ad tumulum nigrâ cum veste sedentes
In luctus meritos iustósque incumbere fletus;
Et lugere tuum demisso lumine funus,
Quàm sceptris inhiare tuis, quàm iurgia litis,
Dissidiúmque alere; Ipse equidem Te patria testor
O Pietas, patrii testor Te Numen honoris.
Id facerem, hærerémque tuo Pater alme, sepulchro,
Ni me magnanimi celeberrima gloria Cyri,
Ni me matris amor, ni me omnis Persia, *ni me*
In litem hanc traheret, Genitor, tua nota voluntas.
Quod facio ergo, iubet Pietas, non aspera suadet
Ambitio, non chari odium lacrymabile fratris,
Quem certé procliuis amo, cuiúsque fauorem
Imperiis præpono; igitur quia Patrue dictis
Annuis, & facili voces quia suscipis aure,
Incipiam. scribámque breui mea iura tenore
Quid petis, Artemenes, *nō debita sceptra? quid ostrū*

Immeritum vestire cupis? succedere debet,
Cui Rex est genitor, Mater Regina, sed in Te Qua
Artemene, *sors neutra cadit, priuata* Dario probat
Non Regi mater Te sustulit, aurea cunis
Defuit hac fortuna tuis; vnde ergo repente
Surgis ad imperium? Quo iure suprema corona
Ornamenta petis? si filius, illud ab ipso
Ius ortu Te habuisse decet, sed maius habere
Non poteras, quàm tunc Genitor priuatus habebat.
At post augusto fasces Electio Patri Sibi deberi sceptra Persica.
Detulit, & regnum suffragia digna dederunt;
Ergo Tibi cum Patre data est suprema potestas,
Et ius seruandi post patria funera regni.
Falleris, Artemenes, *Patri data sceptra, corona*
Vittatus concessus apex, & Persica *regna,*
Patri, inquam, sed tali, extrà quem iam editus, à quo
Iam secretus eras, non Te suffragia tangunt,
Teque à supremis Electio fascibus arcet.
Nullum ius ex Patre Tibi est, concessa Dario
Sceptra, sed vt Regi, & natis sunt tradita, sed qui
Clausi in Rege forent; Tu, Rex cum factus, ab illo
Iam tunc alter eras, sic etsi nullus adesset
Deberet qui in magna Patris succedere sceptra,
Non posses tamen in regnum succedere Frater,
Ni noua Te legerent faustâ suffragia sorte.
At nunc augusti cùm sim diadematis hæres,
Inque locum Patris ius me commune, fauénsque
Sufficiat Natura, apices tenásque corona,
Grandiáque immerito poscis fastigia iure.
At quod ius aliquando tuum fuit, amplius à Te
Amitti nequit, hic equidem semotius erras,
Fac Patri vxorem primis peperisse puellam
Nisibus, illam omnis domus, illam respicit omnis
Hæredem toto patris possessio fundo;
Et si fortè Pater vitali excederet aurâ
Omnia colligeret patrimonia sola puella.
At si post natam potiori prædita sexu
Progenies patri succrescat, & aureus Infans

Rideat in cunis nomen tuiturus auitum,
Quod priùs in natâ certum ius ſtabat, ab illâ
Deficit, inque marem communi ex fœdere tranſit.
Sed quid ego leuiora ſequor? quid inanis in iſtis
Quod ſit nepos Cyri *Diſtineor? fruſtráque moror? Regalia certè*
Debentur mihi ſceptra, mihi ſe Perſicus *vltrò*
Offert, Frater, honos; magnâ ſum natus Atoſſâ,
Eſt mihi Cyrus *auus, ſum* Cyri *è ſanguine cretus,*
Inque meis viuit Cyri *vis ignea venis.*
Sum Cyri *de matre nepos, in me ille reſurgit*
Cyrus, *in Imperium dominos qui nobile* Perſas
Extulit, in varias qui bella potentia terras
Ex matre. Perſarúmque *trophæa tulit, cui templa, ſacráſque*
Erexere domos, & quo ſine Perſis, *& omnis*
Nobilitas dominis ſeruiret Perſica Medis
Hic ego ſum qui ſceptra peto, qui Perſica Cyri
Ambio regna Nepos, Cyri *quis Perſa Nepotem*
E Cyri *regno truſum ferat? Arbiter ergo*
Patrue Iura dabis, Perſarum *ſenſa ſequeris*
Commodus; At ſi qua, Frater chariſſimè, dixi
Aſperiùs, reuocata velim; Tu quippe, tuíſque
Blandiùs hæret amor menti, quàm magna coronæ
Gloria, Regificæ quàm digna ſuperbia pompæ.
Cui adiudicat cauſam patruus. *Cognouit cauſam Patruus, dúmque omnia iura*
Explorat, miſere ambo ſibi mutua fratres
Munera, quin tutâ conuiuia mollia menſâ
Inſtruxere ſibi; Tanti moderatio cultus,
Tam ſuaue ingenium, tam mitis gratia morum
Obtinuit fratres, Patruúmque hac cede reponi.



LIBRI VIGESIMI PROLVDIVM.

INd'gnationem qui è cordis quasi cerâ expungere vellet, mancam profectò Affectuum turbam induceret, & stimulum iusti doloris incautus elideret. Illum sanè assumat Oratot, & Iudicibus auditoribúsque opportunè motum inurat, quô improbis collatos honores, dignitates, fortunas cæteráque ornamenta iniquè patiatur, & ea omnia tanquam vana contemnant, vt pote quæ non probis modò, sed etiam iis sæpenumero, qui in fraudes sese turpiter induunt, transfunduntur.

Timorem autem & metum, qui posset inducere, quàm optimè is rebus humanis consuleret? Quid enim aliud quàm metus, homines perturbat, gaudia diluit, spem affligit, voluptates conuulnerat? Quis ita eorum saluti insidiatur, atque ille qui omnes vmbras & artis folia malorum comitatum existimat, & qui ex commodis ipsis atque blanditiis tormenta sibi conciliat? Quid ita importunum & odiosum esse potest, atque illud quod non mala modò quæ futura sunt, præcipit, sed etiam ea quæ nunquam euentura sunt, fingit, vt ipsâ vel imagine, cùm re non possit, animos torqueat, atque perturbet?

Quæ verò Oratoris esse debet cura nisi vt timorem omnem ex auditorum animis mentibúsque conuellat; Quod sanè non poterit, nisi eius naturam agnoscat, & eius æmulam Audaciam, quâ timor omnis, metúsque comprimitur. Nam

Cui Tu mater ouantior,
Bellatrix trepidi nescia pectoris,
Princeps ardua militum
Heroúmque parens, Visque ferox Ducum,
Fidens arbitra virium,
Nascenti placido lumine riseris,
Illum non labor atteret,
Non hostes subigent, aut furor opprimet,
Tristes inter Erinnyas,
Inter tutus erit mille pericula.
Illum, sol vbi pallidus
Formidat calido currere tramite,
Quò vix ales Olympius
Audet penniferis remigiis vehi,
Tu formidinis inscium
Ductrix magnanimâ firma regis manu.
Illum seu maris impotens
Tempestas tumido vortice turbinet,
Seu trux bella per aspera
Cingat mortiferis rixa furóribus,
Seu morbus terat insolens
Affixúque toro viscera deuoret,
At semper tamen inclytus
Hostes impauido pectore despicit.
Illum nempe potentiùs
Omni vel clypeo, vel chalybe arduo
O Audacia protegis
Quem felix facili lumine videris.

Hæc nos omnia libro sequenti complectemur.



LIBER VIGESIMVS

De Motibus Indignationis Timoris & Audaciæ.



Vdentes infunde animos, & magna ministra Inuocatio.
Pectora, Te dignum quo Diua Audacia *condam*
Carmen, & elato exhibeam modulamina versu,
Da faciles in vota modos, Te namque potentem
Ardua quæ magnas potes ad conamina mentes
Pellere, & egregias animis adiungere vires Propositio.
Magnanimo Diua ore canam; Tuus insuper hostis
Ille Timor, *cui corda pauent, cui pallida frons est,*
Exanimis cui sanguis hebet, cui lumina marcent,
Felici domitus, modò faueris, ore canetur.
Ipsa etiam, tibi, quæ calido Indignatio *motu*
Assidet, in nostras veniet, si iusseris, artes.
Ergo faue, dignúmque tuo me numine vatem
Effice, & audaci decora mea carmina pompâ.
Nondum mansuetæ speciosa palatia Nymphæ Cap. I. De Indignatione.
Exibis, Calliste, *illic spectacula cernes*
Digna tuis etiamnum oculis, Hic nobilis aula est,
Quam tenui tantùm dirimunt discrimine clathri.
Hic formosa quidem, licet aspera Nympha quiescit,
Purpureâ vestita togâ, frons ardua, frontis
Sanguineus color, acri oculi splendore rubescunt,

Cor tumet, extantes apparent sanguine venæ.
In rigidas si mucro manus, & iusta daretur
Libra, potens Astrea *foret, sed inermis in ore*
Eius descriptio. *Tantum expressa patet turgentis pectoris ira*
Illa etenim iusto species adiuncta dolori est,
Quâ se animus mouet, & ferit Indignatio *sensum*
Quæ tunc est, cùm multa malis fluxisse videmus
Quid sit *Commoda, & indignos crebris ditescere donis.*
Præcipuè boleti instar si creuerit, & se
Ex imâ statióne Nocens in culmen honorum
Extulerit, primósque gradus virtutis egenus,
Et meritis, famáque carens, vel fretus amore
Prouenit ex improborũ prouectione *Principis, aut vetita auxilio quæsiuerit artis.*
Nam cui non subeat grauis Indignatio *mentem,*
Augustas cùm spectet opes, & grandis honoris
Nomen, & effusum donis ingentibus aurum,
In turpes cecidisse viros, quos ima deceret
Conditio, & premere infœlix deberet egestas?
Quis, quem vel tenui probitas innoxia cultu
Compserit? aut aliquo imbuerit cui pectus honore?
Non doleat, cùm tot videat diademata, cum tot
Sceptra, tot imperia, atque orbem meditetur eoum
Barbarico seruire duci, quem cultus adulter
Deterit? & cæco corrumpunt crimine fraudes?
Cap. 2. *Hinc primùm egresso, & contermina tecta petenti*
De metu *Tetra lues occurret, inest cui marcida pellis,*
Aridáque exesis languescunt artubus ossa.
Illi continuâ formidine membra pauescunt.
Et se sollicitos mœrens extendit in artus
Pallor, & assiduo trepidant præcordia motu.
Eius genius *Illi nullus adest tutus locus, vndique cernit*
Perfugium, nullíque tamen confidit asylo,
Conatúrque nigrat secedere tristis in vmbras.
Omne illi hostile est, facili vel virga rotatu
Cui in symbolũ cerui & lepores *Strideat, & foribus leuiter vel cardo reuulsis*
Increpet, hostem hunc esse rata est, subitóque pauore
Corda tremunt, gelidúsque coit per viscera sanguis.
Hic crebro pauidi pascunt Examine Cerui,

Et lepores, & Dama frequens, quos ipsa vel vmbra
Terret, & exacta stridens decussio frondis.
Hic geminos mutilat generoso pollice natos
Infœlix Romanus Eques, ne fortia truncâ Cap. 3.
Arma manu, clypeúmue gerant, sed mollibus vmbris Exēpla
Frangant ignauæ Iuuenilia tempora vitæ. timido-
Hic insana Meton *miseris incendia villis* rum.
Iniicit, accensisque offert sua tecta fauillis, Meton
Ne soboles in bella ruat, sed inertia ducat
Otia, & in patriâ deses secum hæreat vrbe.
Nullum ibi cor, sicci tantùm sed cordis imago
Picta patet, telo transfixa in totius aptum
Stemma loci, quamuisque duces, & multa videbis
Agmina, corda tamen languente in pectore desunt.
Hic furcæ Caudinæ *extant, hic pallidus ore* Manci-
Mãcinus, *hic* Trebiæ, & Thrasymeni *ignobile bellũ* nus
Cannarum *hic fugitiua cohors, hic Persa* Darius,
Vltimus Assyriæ *tenuit qui iura coronæ.* Cannæ
Illic fœmineo mentiris tegmine sexum
Sardanapale, *viros inter non digne reponi,*
Et par ignauis, quas educat vmbra, puellis Sarda-
Pensa laborata largiris inertia telæ. napalus.
Hæc autem trepidi statio est inuisa Pauoris,
Pallentísue Metus, *quem nostro in pectore format* C-p. 4.
Suspicio præcepia mali, vel opinio damni, De cau-
Nam quæcunque creant præsentia damna dolorem, ssis metus
Incutiunt ventura metum; sic dira veretur
Princeps prodigia, & crinitos ætheris ignes, Cometæ
Flammantésque comas, stellásque immane rubentes
Sic olim Romanus, vbi vel carne pluisset,
Vel cruor irato lapsus stillasset Olympo Prodi-
Vel peperisset ouis rigidum mansueta leonem, gia.
Aut bos humanæ flexus imitata loquelæ
Ausonios turbasset agros, aut tristis ab imâ
Emissus caueâ renuisset pabula pullus, Omina
Aut vbi pro vitreo fluxissent fonte cruores.
Tristior aut cælo Titan fleuisset aperto
Aut dura in madidos iuissent marmora rores

Turbari tremefacta metu sua corda sinebat,
Inque Sibyllina replicata volumina chartæ
Conijciebat opem ; sic nauta peritus , ubi omne
Vorticibus fremere æquor , æquisque tumescere pontum
Aspicit , & validis cœlum mugire procellis
Naufragii casum formidat , & æquoris iram,
Ventorúmque minas , & atrocis iurgia cœli

Casus incerti

Incertus sic ductor , ubi in certamina cogi
Instructas utrinque acies , atque agmina cernit
Ambiguum cum Martis opus , variamque duelli
Fortunam , sortemque notat , timet anxius , & se
Fundit in ancipites alternans cura medullas
Sic ubi dilectam mater charissima prolem
Tentatam mœsto cernit decumbere lecto
Formidat , ne fortè mali vis improba vincat,
Et premat attritos febris violentior artus.

Naufragia

Propterea hirsuti vicino in limite septi
Plurima monstra sedent , informe minantia damnum.
Hic cymbâ excussum , spumísque infame videbis
Naufragium,*lacerum scopulis, quassúmque procellis*
Et limo pontóque fluens , cui barba pruinis
Horruit, & crebro crines fluxere canali.

Latrocinium

Hic Latrocinium *toruâ stat fronte , minarum*
Infrendens terrore , oculi coniectibus horrens,
Districto mucrone ferox , cæcisque dolosum
Insidiis , tabóque fluens , sparsúmque cruore,
Et multâ , quam diripuit , iam merce potitum

Lites.

Hic lis, *ad vestem cui plurima syngrapha,multúsque*
Assuitur saccus, quam tetra Calumnia,*quam* fraus
Quam comites cinxere Doli, *cui rictus acerbo*
Dente riget , riget ungue manus , semperque cruenta
Imminet, auellens cæcis patrimonia furtis.
Et multâ miseros lacerans feritate clientes.

Morbi.

Hic stat & exesis macie , cariéque lacertis,
Corruptísque genis , exsuccísque ossibus arens
Morbus , *& ingentem secum trahit ipse catenam,*
Et podagram,*calidámque* febrē capitisq; dolorē
Affectúq; latus sanie, Papulásque Phtisimque

Vlceráque, indomitáque Luē, Pestēque, Tumorēque
Et vomicam *&* Scabiem, *& diræ* Pruriginis *æstū*.
Hic & stigmaticis Infamia *liuida probris*,
Cui ferrum candens, frontemque atque ora notauit,
Laudis egens decorisque, ferens Ludibria mortem
Nominis, & fractos famæ languentis honores
Et morsus *hominum, & rabida* dicteria *plebis*.
Et fronte in mediâ satyri de more petulci
Cornua, fœdati temerata insignia lecti
Hic quoque detritis Penuria *fœda lacernis*.
Pauperiesque *iacet, pannosis squallida frustis*,
A tergo pendet cui mantica pane friato
Semiplena, obolus tenuis possessio tota est.
Deest illi mensa, atque penus, paruumque salinum,
Deest torus, atque ædes, ædisque vel arcta supellex
Illa famem, illa sitim secum vehit, illa ruinas,
Conuulsásque domos, deformatásque nouales,
Amissásque boues, miseríque cadauera census,
In partem socii trahit agminis, illa pererrat
Ostia clamosâ poscens solatia voce.
Hæc ibi monstra sedent, séque intratura minantur
In pauidi penetrale Metus; *ibi* Opinio, *quæ stat*
In speculis, ea damna videns, grauioráque veris
Plerumque effingens, instantia cuncta Pauori
Móxque futura refert, Metus *hæc vbi cepit, atroces*
Continuò in pœnas, tormentáque grandia transit.
Ergo fugit Metus, *& cordis secedit in arcem*,
Quod premit, & pauidis miserum terroribus implet;
Sed nec ibi securus erit, fugit inde per omnes
Ingrediens venas, turbatósque obsidet artus,
Et pallor sedet ore, genis stupefactus inhæret
Liuor, & è labiis viuax procul exulat ardor.
Sanguis enim color vnde ardens fluit, ilicet intro
In cordis reuocatur opem, hinc quoque sicca reuulsus
Membra quatit, quatit ossa tremor. subitúmq; medullas
Frigus adit, glaciésque ferox in pectore regnat.
Hinc etiam recti summo stant vertice crines,
Quippe gelu coiere pori, tenuésque meatus

Dehonestamenta.

Detrimenta fortunæ

Quæ omnia opinio auget.

Cap. 5. De effectibus metus

Corpus immutat

Coguntur, stringuntque comas, quin tanta per artus
Formido regnare potest, vt caneat albens
Cæsaries, & versa nouo se crine coloret.

Cap. 6. De metu ob peccatũ cõtracto.

At Metus *ille virûm perterret atrociùs vlnas*
Fortunæ præcepta creant quem damna, vel asper
Sensus corporei dolor, aut præuisio pœnæ,
Quàm metus is, quem noxa parit, quem gignit Erinnys.
Aut animæ lethale malum, licet impia mentis
Noxa malum quodcunque suâ grauitate relinquat.
Námque quid est peccatum? Animæ nisi certa nocentis
Pernicies? Acherontis *iter? nisi partus* Auerni?
Mentis adulterium? sancti ferus hostis Olympi?
Quid nisi diuini cos importuna furoris?

Qui licet membra non cruciet.

Quamquam ergo afflictæ stent crimina toxica mẽtis,
Extremúmque malum, illa tamen cur nostra voluntas
Non timet? aut omni cur non conamine vitat?
Accidit hinc, quia turpe nefas, non afficit artus,
Non dira externis per se mala sensibus infert
Hæret at in solis mentísque animíque medullis.

Sed tamen interior mediis stat tortor in vlnis,
Qui rodat scelerata pauor præcordia, non quod
Induerint sese in fraudes, noxásue patrarint,
Sed quoniam pœnas, & debita fraudibus horrent

In animum tamen altè descendit

Supplicia, & meritas offensi Numinis iras.
Sic quoties strepero reboantia murmura cælo
Coguntur, crebrique micant è nubibus ignes
Mens vitiis addicta tremit; sic prædo cruentus,
Quem latrocinium, multaéque infamia cædis
Sollicitum fecere, ipsas exterritus vmbras
Lictorum ratus arma, fugit, dubiísque cauernis
Abditur, & cæcis etiam timet abditus antris.

„ *Sontem esse & tutum non conuenit, omnia semper*
„ *Etsi tuta nocens timet, olli vulturis instar*
„ *Culpa iecur fodit, & miseri figmenta* Promethei
Vera in se tormenta probat, sed & omnia credit
Testes esse sui sceleris, culicésque volantes,
Crabronésque vagos, tenuíque in murmure muscas.

Cap. 7. Cantabricas *prædiues opum mercator in oras*

Burdegalâ peragebat iter, sibi in apta viarum
Subsidia armatum iaculis asciuerat eheu!
Non comitem, sed vitæ hostem capitísque futurum.
Iámque cauernosos ambo petiere recessus,
Desertósque locos nemorum, sterilésque mirycas,
Solus vbi patet horror, vbi non incola, vbi non
Cultor adest, Libyæ sed sola apparet imago
Aut Ægyptiaci quem Thebais efficit agri.

Historiâ ex annalibus Vibiscorũ.

Hic Iuuenem mens cæca subit, furor impius illum
Incitat, atque, istis quis me è secessibus, inquit,
Deferret? facinúsque meum quis denique testis
Exciperet, si quem valido mucrone forarem?
Huic subiecit herus, Tantis, ne crede, tenebris
Posse diu latitare nefas impunè, premíque,
,, Quin tandem emineat, neque enim sic ignis in alto
,, Concipitur, fumo quin erumpente patescat.
,, Et si nullus adest tenebrosâ testis in vmbrâ
,, Qui sontem premat, & facinus deportet iniquum
,, Testis erit vel musca volans, hunc aspice fucum,
(Asper enim fucus præter tum fortè volabat,)
Flagitii testis foret ille, necémque patratam
Argueret, voces illi Deus inderet, illi
Stridula pro certis fierent crepitacula verbis.

At non infando Iuueni mutata voluntas,
Nec verbis mens flexa, locus semotus, & ardens
Prædandi desiderium, & spes certa latendi
Impulit in dira crudelia crimina cædis
Ergo fatigatum longarum errore viarum,
Dii tam atrox arcete nefas! mucrone cruento
Inclemens obtruncat herum, terrâque sepultum
Condidit, vnà etiam ratus abscondisse pauorem.
Sed frustrà, Metus illum angit, metus anxius illum
Insequitur, quocunque gradus inflectit, & illuc
It metus, & placidam turbat formido quietem.

Seruulúsque herum cædit sine teste.

Sed tamen in patriam rediit, cautúsque perempti
Celat funus heri, iámque omnis penè remota est
Suspicio, augetúrque opibus, iámque ambit heriles
Tædásque, & thalamos, & iniqui fœdera lecti.

Iámque morâ metus ille prior decreſcere viſus,
Et tutos paulatim animos iam longior annus.
Credit ſcelus occultũ *Præſtiterat, mox ecce repens ſe ſuſcitat, & mox*
Fortior, atque aliàs tremefacto in corde reuixit.
Ac veluti in cinere extinctis iam penè fauillis
Si tamen igniti candentia fragmina nitri
Admoris, rurſum viuit cinis, éque ſepulto
Ilicet ardentes erumpunt fomite flammæ.

Sed diuinitùs crâbrone teſte detegitur *Hunc igitur ſomnos primâ ſub luce bibentem*
Aſpera patratæ perterret cædis imago,
Reſpuit extemplo ſomnos, vt lumen apertum eſt,
Crabronem inſpexit circum ſua ſtrata volantem,
Linguoſaéque audit ſtridentia murmura pennæ.
Siue alius, ſiue ille fuit, quem cædis iniquæ
Olim mercator teſtem fore dixit, eundem
Credidit, & ſceleris teſtem cognouit acerbi.
Mutatur color ore, labris è triſtibus ardor
Abſceſſit, venis riguere trementibus artus
Defixíque hæſere oculi, ſtupet anxia coniux
Attonitum mirata virum in crabrone morantem
Obtutúque ſequentem vno, petit illa, quid inſit,
Quo monſtro paueat, quibus & terroribus angi
Se fruſtrà ſinat, ille graui crabrone coactus,
Et Furiis animos, & aperta vrgentibus ora
Hiſtoriæ ſeriem, cædíſque arcana peractæ
Detegit, & pœnas ob atrocia crimina ſoluit

Cap. 8. neceſſariũ eſſe metum *Corrector* Metus *ergo mali eſt, & ſæpe vocandus*
Oppreſſi eſt in fulcra boni, ne candida virtus
Deficiat, ſacríue acies ne iuris *hebeſcat.*
Nam quis tot ſyrtes inter, ſcelerúmque charybdes
Inter tam pronos in crimina noxia mores
Virtutis tentaret iter, niſi pectora iuſtus
Ad homines regẽdos *Vrgeret* Metus? *& legum veneranda poteſtas*
Dilueret meritis portenta nefaria pœnis
Vnde vrbes & Regna piis vt præmia factis
Imponunt, ſic & tetra deliria noxæ
Pœnarum terrore premunt, quò praua virorum
Pectora, cùm ſacros renuant virtutis amores

Virtutis propter decus ipsius, improba saltem
Crimina, & incensi praeludia dira barathri
Supplicii impositi incussâ formidine vitent.
Quinetiam immensi rectissimus arbiter orbis Cap. 9. De Timore diuino.
Constituit leges, sacratáque fœdera sanxit
Æterno signata Metu, *quem fecit iniquæ*
Fraudis abactorem, & iustæ virtutis acerbum
Altorem, laudísque simul decorísque ministrum
Illi adeò Physici prope septa horrenda Pauoris
Extruxit sacrum, sed formidabile templum.
Omnia tecta tenet pullus color, ater in omni
Sternitur æde tapes, ingentia saxa ligantur
Sanguine & è cinere, & lacrymis altaria constant Eius apparatus
Pendent parietibus nigris affixa flagella,
Sanguineaéque Cruces, *& acerbis* Saccus *echinis,*
Et ducta in longos Ieiunia *pallida soles,*
Et iacet in nudâ postrata chameunia *terrâ*
Hic portentosis emblemata mille figuris,
Symbola mille patent, hic fulmen, & Ignis in vrbes
Mittitur, hic vndâ mundus sepelitur adactâ
Hic fortes acies, & magni vota triumphi Imtegines quibus se exhibet.
Excidit ferus vnius vel tempore noctis
Angelus, hic dominæ Princeps Babylonis *ad herbas*
Proiicitur, formáque miser fit taurus ademptâ
Hic populat fera regna lues, hic sceptra teruntur,
Rubra Paraetonios *sorbent hic æquora currus.*
Ergo mille patent diuini exempla furoris Vnde prouenit
Æternum genitura Metum, *quem magna verentur*
Tecta, per & cameras quo personat aula patentes
Ipse autem austeri ingenii mentisque seueræ,
Indutus rubeam chlamidem, sparsámque sagittis Ex mortis consideratione.
Regis more sedet solio, totámque coronam
Defixam tenet, & trepidis horroribus vrget.
Præcipuè tùm cùm Mortem *vocat; Illa per aulam*
Ambulat, aure carens, oculísque, labrísque, comáque
Incuruáque minans feralia funera falce.
Hæc sontes ad spectra tremunt, reuocántque nocentes
Quas priùs instituere vias; sed atrociùs horrent

Cum Timor *has ſtrepero voces denunciat ore.*
Huc ades ætherei ſoboles aſperrima Patris,
Ex Iuſtitiæ diuinæ meditatione. *Cui nullum eſt impune nefas, ades integra cœli*
Iuſtitia*, ô ſcelerum vindex, ades, omnia tecum*
Per tormenta, ſcelus Te ſpectet, & horreat, & Te
Sublimi videat cum maieſtate ſedentem,
Dantem iura, reas animas, ſontéſque prementem,
Tum verò diuina Themis *non cæca, ſed ardens*
Luminibus, flagrans vultum cui flamma colorat,
Ex inferorum contemplatione *Aduenit, & magno populos terrore fatigat.*
Sed quanto motu gelidæ tremuere medullæ,
Cum Timor *è ſtygiis Vmbram fornacibus accit.*
Egredere, egredere ex vmbris, Ereboque ſceleſta,
Infœlix vmbra, æternis addicta caminis,
Egredere, & ſontes animos, vitioſáque terre
Pectora, & horrendâ crimen compeſce figurâ
Quid remoraris iners? veſtigiáque ægra retardas?
Quídue ſceleſtificos dubitas oſtendere vultus?
Exere te, videat ſceleratus, & horreat orbis
Supplicia, & dignas æterno crimine pœnas.
Tum rupto ſtygis ore, vtero diſcedit hiante
Terra patens, manéſque nigris emiſit ab vlnis,
Heu manes piceos! & atroci ſulphure ſeptos!
Nutrimentum ignis! flammaéque voracis alumnos!
His enim homines perculſi timent *Intremuere, quibus licitum hæc portenta tueri,*
Et ſimul æterni veſtigia ſancta Timoris
Acceſſere rei, precibúſque ſalubribus vrgent.
Nos ad Te, diuine Timor *teterrima ducunt*
Supplicia, & vetito repetitæ à crimine pœnæ,
Nos ad Te exangues trepidæ formidine mortis,
Indicii extremi terroribus ignibus orci
Venimus, & valido transfixi viſcera telo,
Suppliciter caſtis Diuorum aduoluimur aris
Odimus infames vitii ſcelerúmque latebras,
Deteſtamur opus, quod amauimus antè maligni,
Tu nos naufragos tuto Timor *excipe portu.*
Accipio, admittóque fauens, fortíque receptos
Subſidio tutabor, ait Timor*. omnia victis*

Flagitiis nocumenta premam, vos mollibus vlnis
Virtutis credam, elutos à crimine Virtus
Vos illibato superûm committet Amori.
Hic geminæ insigni florentes icones arte
Eminuere, seniem prior exhibet, altera præfert
Manantem lacrymis, & amaro rore puellam.
Iampridem in vacuâ cultor degebat eremo
Exactâ iam ætate senex, cui commoda Neptis
Seruierat dudnm, & teneris assueuerat annis.
Illi equidem austersi deserta rigentia dumis,
Assiduæque preces, votísque frequentibus aræ,
Et duræ cautes, atque aspera saxa placebant
Principiò, sed adulto ætas vbi crescere flore
Cæpit, & in calidis sanguis feruere medullis,
Tæduit incœpti, sanctæque exordia vitæ
Rumpere, & à duro statuit secedere cultu.
Deterius quoque mente malum molitur, & illam
Inuitat sordens ad turpia philtra voluptas
Et vesana vocat vetiti sub fornicis antra.
Illa igitur Patrui casulas, & tecta relinquens,
Et sancti fugiens oculos monitoris, & ora,
It, quò non decet, & castos oblita pudores,
Extinguit puros, quos ante sacrauerat, ignes.
Qualis vbi à vigilis ductu pastoris abacta
Se subtraxit ouis, saltus per, & auia longè
Per nemora exerrans in furta indigna latronum
Incidit, aut sæuorum horrens fit præda luporum
Audiit hæc, gemuítque senex, & corde dolorem
Hausit, & arcano fudit suspiria sensu;
Quippe suos frustrà doleat cecidisse labores,
Tot monitus perisse. suæ spectabile gemmæ,
Obstupuisse decus; Quid agat? quò turpibus illam
Eruat è latebris? & primo reddat honori?
Quid non fingat amor? quas non excogitet artes?
Quas non in species? quæ non se in tegmina mutet?
Exuit antiquas vestes, & nota puellæ
Pallia, & attritos senio deponit amictus;
Cæsariem impexam, & promissos vertice crines.

Timore correpti resipiscunt.

Cap. 10. historia ex vitis Patrum Abrahamius & Neptis Maria

Quæ virtutem exosa secedit in obscœna.

Hirsutúmque capillitium detondet, & ora
Abluit, & positâ deserta nigrantia veste
Dissimulat, séque ipse ferè non nouit, & in se
Iam propè decipitur diuinâ fraude dolosus.
Non aliter fallax sinuosis retibus Auceps
Incautas quò prodat aues, atque arte peritâ
Illiciat, sese foliis, syluâque virenti
Obtegit, atque auibus notos assumit amictus.
Illæ autem impauidæ volitant, & præpete pennâ
Circum frondosas exercent ludicra vestes,
Donec in occultos laquei irremeabilis astus
Inuoluunt sese, visci vel fraudibus hærent.
Quam tamen patruus. *Ille igitur mutatus abit, probrosáque Neptis*
Tecta petit non notus, odor pretiosior illam
Imbuit, & digitos amplectitur annulus, & se
Vnio ad infixam nectit dependulus aurem.
Effrani penitus pudor integer exulat ore,
Et grauis ex altâ cecidit reuerentia fronte.
Heu quantum mutata! senex vbi talia vidit
Patruus ingemuit, tacitóque in pectore fleuit
Dissimulans, tamen illam adiit simulatus amator
Et secreta domus irrepere poscit in antra.
Ambo ineunt, & an est aliquod secretius? inquit;
Est equidem, respondet, eò quin tendimus? ambo
Succedunt imis larium penetralibus, & num
Interius quoque habes, & nocte profundius altâ?
Patruus ingeminat simulans, ne fortè quis in nos
Iniiciat furacem oculum; sub talia ridens
Et quis, ait, Neptis clausos nos vndique cernat?
Et quibus id concessum oculis? nos vnicus isthic
Inclusos alti videat Deus arbiter axis.
At nunquid secreta latent, vbi lumina tanti
Iudicis effugias? senior subiecit, at illa
Nulla Deum secreta latent, nos spectat vbique.
Tum molles facienda aditus ad verba prehendens
Hæc in verba senex erupit, & ignea iecit
Eloquia, & iam non voces, sed tela vibrauit,
Terrorémque, metúmque addens, trepidúmque pauorem

Ingeminans, & rubra Dei iam fulmina quassans; Proposito timore.
Tune ergo scelerata Deus cùm crimina cernat,
Quamuis secretis susceperis illa tenebris,
Teste Deo hæc patrare audes? Túne impia Neptis,
Sum námque ille senex Patruus, quem mente prophana,
Solum in desertis liquisti transfuga syluis,
Túne, inquam, hæc patrare audes? Quo sensus abiuit?
Quò monitus cessere mei? quò cura salutis?
Hæc cernet Deus, & facies? hæc iustus olympo
Spectabit Iudex, & tuta patrabis? vbi mens? Et Iudicij diuini seueritate.
Consiliumque tuum? num tela cadentia sentis?
Num rubra fulminea terrent Te spicula dextra?
Quò præceps insana ruis? da angusta furori,
Da sceleri interualla tuo; Tibi grande periclum
Ilicet, ingentíque aderunt discrimina turbâ,
In pœnas voluenda tuas; Num cernis hiantem
Cocytum ô Misera, & mortem in tua damna paratam.
Pondus habent ea verba, sacer nam sensa puella
Inuasit Metus, *huic pænarum occurrit imago,* Pietati restituit
Diuini occurrunt incendia vasta furoris
Thesaurúsque iræ, hinc subitus dolor intima pressit
Pectora, & antiquæ rediit Pietatis in vlnas.
Et quod non monitus, non spes pulcherrima cœli
Fecerat, aut puri dignissimus ardor amoris
Hoc fecit Metus, *hoc rigidi fecere timores.*
Has ideò effigies potiore in parte locauit
Diuinus Timor, *in clari monumenta trophæi.*
Huic postquam erectâ, Calliste *litaueris arâ,* Cap. II. De Audaciâ.
Obtulerísque preces, sacri est nam numinis instar
Carpe viam velox, & magnam tende sub ædem
Limina celsa subi, circumfusámque coronis,
Et lauris accede domum, saluete triumphi,
Saluete effecti è spoliis hostilibus arcus,
Et festi saluete lares: Quæ cerno trophæa? Eius palatium
Quanta per heroos offert se palma penates?
Quàm dignus spectatur honor? quæ gloria surgit?
Arx stat in excelsi supremo vertice saxi,
Securâ fundata basi, quam mœnia cingunt,

Magnificum & palmare

Firmatóque treplex circum implicat aggere vallum.
Arma tholis suspensa nitent, & multus vbique
Miles, & instructæ numeroso flore phalanges,
Armatíque duces, & bello commoda pubes.
Hic palmis vestitur ager, lauróque superbit
Vestibulum, cedrísque antes crispantur in ipso
Limine, & innumeris ornatur porta coronis.
Inflantur pæane tubæ clamore potenti

Eius descriptio & apparatus

Exultans geminatur Io, Victoria pubens
Magnanimis vectatur equis, cui splendida frontem
Maiestas & forma polit, volat aurea collo
Cæsaries, oculi flammis & amore coruscant.
Ornatur splendere caput, diadematis instar
Crinibus insedit sol candidus, aurea vestem
Fila intertexunt, lauri palmaéque virentem
Termitibus, dites gestat manus vtráque cinctus
Heroum capiti quos inserat, ilicet alto
Vertice serta micant, & adorea laurea crescit.

Cap. 12. Illius domus habitatores

Illic qui patriam validis extendere factis,
Qui regni fines, latéque exporgere claustra
Conatus, vel qui resides ad iusta vocare
Ausus bella manus, animíque incendere robur
Et laudum reserare vias, sublimia captat
Præmia & æquales meritis sortitur honores.
Hic turba heroum validis generosa medullis;

Magnanimi Alcides Aristomenes Scanderbertus

Tres primùm custodum instar magna atria seruant,
Fortis Aristomenes, *&* Scanderbertus, *& audax*
Alcydes, *quibus hirta pilis crescentibus extat*
Magnanimo sub corde cutis; micat insuper ingens
Insignis cristâ, galeáque superbus Achilles
Hectora *adhuc, timidósq;* Phrygas *post funera vexãs*

Ex Achiuis

Huic comites & vterque Aiax, *atque acer* Epeus,
Tidydésque *potens, &* Prothesilaus, *& asper*
Spartani regnator agri, cautissimus illuc
Etsi intrare velit, nunquam tamen intrat Vlysses.
Accedunt quotquot quondam inferioribus annis
Græcia magnanimos genuit, quos arduus inter
Emicat, & specie vultus, & frontis honore,

Gestorum quoque flore operum, & victricibus armis
Magnus Alexander; *Iuuenis cui proximus hæret*
Cuius in exscripto cælata hæc dēte legūtur, (*prehēdūt,*
Hinc Βα[illegible]ιλεὺς, *atque inde* λέων, *iámque arma*
Iámque habiles in bella ruunt, quos sustinet agmen
Priamidum, *primos certamen inire videbis*
Mēnonáq;, Hectoráq;, *& forti* Sarpedona *dextrâ*
Deiphobumque *acrem, & validâ virtute* Corœsum
Iámque fatigatis oderunt bella lacertis,
Cúm dux ecce senex ruit auxiliaria ducens
Agmina, & Italiam, Romámque *in bella coactam*
Scribit, & in Graios mouet arma Latina maniplos
Extentúmque potens sibi subdere cogitat orbem,
Æneas *dux ille, globi quem mille sequuntur,* E Romanis.
Insignes Aquilâ, & duodeno fasce superbi
Romulus *hic,* Cæsárque *micant, duo fulmina belli*
Scipiadæ, Mariúsque *ferox, acérque* Camillus,
Et Marcellus *ouans, & atroci* Sylla *vigore,*
Et Fabius, *validísque calens* Pompeius *armis.*
Procedunt contrà Sertorius, Hannibal *audax,*
Pœnorumque duces, Mithridatis *& arma potentis,*
Antiochique *manus, &* Thracis *tela* Philippi.
Hæc postquam in statione Duces, atque agmina mille
Videris, vlterius Te defer, & ardua cerne Multi E Gallis aut Frācis
Symbola, cæruleo flauentia lilia *campo;*
In ternas diuisa acies manus omnis, in vnâ
Dux ingens Pharamundus *honos & gloria gentis,*
Cui dignus comitatus adest, & multa Nepotum
Turba, pares gestans animos, Merouæus, *& illo* E primâ dynastiâ
Nobilior Clodouæus, *alit quem bellica virtus,*
Tollunt prælectæ caput altius ordine turmæ.
Alterius ductor legionis in agmine primo
Nudus Cæsarie, nec regum induitur amictu, E secūdâ
Regibus æqualis tamen, & par fortibus armis,
Audacique manu Carolus Martellus, *& illum*
Ponè cohors longo sequitur clarissima versu.
Ante alios tamen ecce duo, quos inclyta virtus

Incendit, quos laudis amor, quos gloria fouit,
Magnanimis raptantur equis, Pater ille Pipinus;
Filius hic atauo Carolus, *cognominis*, aureo
Coniungens Aquilas, *vexilláque* Romula flori.
Tertius auspiciis Hugonis *Principis ordo*
Militat, innumeræ tanto sub Rege cohortes
Fortia bella petunt è quo ceu fonte perenni
Magnorum emergit series effusa Nepotum.
Hic nonus Lodoicus *adest, vnde aurea proles*
Borbonidum, *clarúmque genus, cui magnus adhæret*
E Tertia Iuste *tuus* Lodoice *parens Henricus, in illum*
Spectantum conuersi oculi, nam vertice binus
Vittatus splendescit apex, & turgida palmis
Circa illum læto ludit victoria plausu.
Hic turba Heroum tantos comes assecla Reges
Insequitur, generosus adest Godofredus, *& armis*
Insignis Guesclinus, *adest Monfortius, vmbo*
Edomitâ cui pictus hydrâ *&* Santrallius, *& cui*
Inuidit Mars ipse decus Terralius *ingens.*
Hic Gasto Fuxæus *adest, cui magna* Rauenna,
Et palmam, mortémque tulit; Tu ah rapte feroci
Funere, & extentâ Auguiani *dignissime vitâ,*
Cui virides Scrisolæ *adhibent in tempora lauros,*
Magnanimo audacis versaris in agmine turba.
Hic fulgent Bullati Equites, Equitúq; Magistri
Montmoranciacæ *præclara examina Gentis,*
Illic Guisiadæ *validis Heroes in armis,*
Et vegetâ virtute micant, Monlucius *illuc*
Armorum splendore, animi præstantibus ausis
Effusum sibi fecit iter; Quid cætera dicam
Nomina? Quid Procerum titulos & stemmata laudem?
Metiar æquoreas iusto prius ordine guttas,
Et quot Sequanico *volitent in flumine cymbæ,*
Et quot in amne Tago *dites voluantur arenæ,*
Ex Hispanis *Et quot* Idumæis *palmæ nascantur in aruis.*
Pauló infrà generosa suos Hispania *Reges*
E Germanis *Hac dignos statione aperit,* Germania *pandit*
Henricos, Carolósque, *suos & pandit* Othones;

Pannonia Huuniadas *profert; extrema coercent*
Arma duo Proceres, Iudaeo é sanguine creti Ex Pannonijs.
Magna suae aetatis miracula, magna sequentis
Exempla, inuictos alter volitare capillos
Imperat, & ventis ludum iubet esse secundis,
Sanso, *quibus tectus validas vel solus in hastas* Sanso
Irruit, & domitos vel solus contudit hostes Machabæus.
Alter fraterno Iudas *examine septus*
Antiochum *è dominâ depellere tentat arenâ.*
Mauortis *domus illa Tibi credetur, vbi omnis* Cap. 13.
Lectorum micat ordo virûm, Heroûmque, sed aedem Audaciæ genius
Nympha tenet, generosa animis, robusta lacertis,
Magnanimis ardens iaculis, & idonea bello.
Illa per intrepidas validâ virtute cateruas
Progreditur, mouet illa manus, hostémque subactum
Proterit, & mediâ moriturum extendit arenâ
Non illi niueo candent iuuenilia fuco Non delicata.
Ora, nec intortos inspergit puluere crines,
Nec iacit in tenerum pretiosa monilia collum,
Sed ferro sepirt comas, & scuta lacertis Intrepida
Insertare solet, validásque infringere turmas.
Illa inter rubras interrita fulminis alas
Perstat, & irato quamuis fragor intonet axe Quos habet famulos?
Intrepidâ tamen aure sonos, & murmura cœli
Excipit, infractisque metus à sensibus arcet
Illa sibi famulas Aquilas legit, illa leones
Asciscit, currúmque trahunt, soliúmque coronant
Iuxtà illam Vigor, *&* membrorum Robur, *& alta* Quos habet socios?
Stat Virtutis *honos, & magna gloria* famæ
Hæc est magnanimæ generosa Audacia mẽtis.
Illam continuus rerum fauor, altaque gignit
Prosperitas, splendórque domus, & stemmata Patrum,
Et multus famulorum ordo, & numerosa clientum Eius causæ
Agmina, perfugiúmque audax, & tutus asylus,
Firmáque praesidia, & praecelsa turribus arces,
Et vis nummorum, & plenis grauis arca talentis.
Hac ducti fortes animi discrimina tendunt,
Et diri superant insana pericula fati.

Et quamuis media cernant se in limine mortis,
Non pallent tamen, at valido luctamine fortes
Aspera fata premunt, sauisque laboribus obstant,
Præcipuè auxilium si patria postulet, ipse
Spiritus, & largo fundatur flumine sanguis.
Tercentum idcircò simulacra augusta Laconum
Thermopylàsque *suis* Audacia *sculpsit in aruis*

Cap. 14 Thermopylæ Ex historiâ Græcâ

Est locus Argolicæ *gelidis in tractibus ora*
Thessaliæ *confinis, vbi iuga vasta patescunt,*
Æthereis vicina polis, vbi claustra, breuésque,
Augusto ore via, strictísque cacumina portis,
Thermopylas *dixere, illic cum Rege superbo*
Insedit Spartana *phalanx,* Xerxémque *moratur.*
Huc multi angusta comitantur in ardua rupis
Ostia Spartanæ *cuneos atque arma iuuenta,*
Quos Lacedæmonius *generoso gutture ductor*
Alloquitur pius, & verbis ita fatur amicis.
O comitum dilecta cohors, quos inclytus ardor,
Quos animi vis alta mouet, quos impetus ingens
In bellum, Martemque *trahit, quos incitat æstus,*
Quos patriæ Pietas, & amor telluris Achiuæ
Sollicitat, vegetísque infert incendia venis,
Hos animos, hæc magnanimæ constantia mentis
Robora, & inuictos valida virtutis honores
In patria seruate decus, vos Patria poscet,
Et vestras lugens exquiret Achaia *vires.*
Hinc igitur socii discedite, sola Laconum
Castra hæc septa tegent, aditúmque, viámque negabunt
Hostibus, & fractis prohibebunt ostia Persis.
Quid vultu abnuitis rigidi? quidue ora, genásque
Contrahitis? quid abire pudet? sed abire, sodales,
„ *Expedit, & quandoque decet fuga, semper honestũ est*
„ *In patriæ cedit quod commoda, cedite, tempus*

Quas tercentũ Lacedemonij

Vos in bella trahet, grandíque aptabit arena.
Discessere omnes, soli mansere trecenti
Spartanorum *inuicta cohors, quos excitat vltrò*
Arduus in bellum positâ formidine ductor.
Ne numerum, ô socii, crebra ne Persidis, *inquit,*
Agmina

Agmina, neu tenuis cuneum spectate phalangis,
„ *Quá* Persas *arcere paro, non agmine multo,*
„ *Non numero, crebrísue Equitũ, Peditúmque cateruis*
„ *Res agitur, sed* Marte *truci: Iuba sola leonis,*
„ *Quid dicam rictus? quid atroci guttura dente?*
„ *Quídue manus, vnguésque? feris quid & ossibus alcen!*
„ *Terreat innumeros per tesqua rigentia ceruos.*
Sed non sola fauet virtus, fauet inuia montis
Asperitas, geminísque loci, vel saxa vibremus,
Vicimus; Ecquis enim tanta in prærupta, iugúmque
Scandat? & obstantis superet conamina molis?
Sed numero oppressi cademur, obibimus omnes
Vt decet, & patriæ vitam reddemus, & ipso
Membrorum opposítu violentum arcebimus hostem;
Et mortem famâ superabimus, inque Nepotes
Ibimus, & nostrum seruabit gloria nomen:
His dictis firmati animi, sedet omnis in altis
Turba iugis, hostémque cupit, Persísque *minatur.*

Xerxes *interea cinctus legione frequenti*
Thessaliæ *peragebat iter, iámque ostia montis*
Thermopyiásque *ingressus erat, cùm maxima telis*
Sparta aditum prohibet, Persásque *hastilibus vrget.*
Incepit certamen atrox, dum Persis *inire*
Thermopylas *contendit, iter dum* Sparta *negare*
Conatur, tegitur Titan, puráque diei
Conditur vmbrosâ telorum grandine fulgor.

Aduersus innumeros Persas tuentur.

Spartano *res illa Duci,* Phœbúsque *refertur*
Abscondi iaculorum vmbrâ, nec territus ille est,
Securâ sed mente, benè est, pugnabimus, inquit,
Sed tuti in clarâ, socii, pugnabimus vmbra,
Nec famam nox ista teget, clarescite vestris
Laudibus, & nigram telorum euoluite nubem.
Inuadunt millena acies, millena repellunt
Agmina tercentum validis Lacedæmones *armis,*
Nec tam armis, quàm animis; insurgere cernin in vnũ
Mille hostes, tamen vnus obest; & millibus vnus
Par est infractis, tanta est audacia, Persis.

In eamque propugnatione.

Non aliter quàm cùm collecti turbine nimbi,

Et quamuis mediæ cernant se in limine mortis,
Non pallent tamen, at valido luctamine fortes
Aspera fata premunt, sauisque laboribus obstant,
Præcipuè auxilium si patria postulet, ipse
Spiritus, & largo fundatur flumine sanguis.
Tercentum idcirco simulacra augusta Laconum
Thermopylásque *suis* Audacia *sculpsit in aruis*

Cap. 14 Thermopylæ Ex historiâ Græcâ

Est locus Argolicæ *gelidis in tractibus ora*
Thessaliæ *confinis, vbi iuga vasta patescunt,*
Æthereis vicina polis, vbi claustra, breuésque,
Augusto ore viæ, strictísque cacumina portis,
Thermopylas *dixere. illic cum Rege superbo*
Insedit Spartana *phalanx*, Xerxémque *moratur.*
Huc multi angustæ comitantur in ardua rupis
Ostia Spartanæ *cuneos atque arma iuuentæ,*
Quos Lacedæmonius *generoso gutture ductor*
Alloquitur pius, & verbis ita fatur amicis.
O comitum dilecta cohors, quos inclytus ardor,
Quos animi vis alta mouet, quos impetus ingens
In bellum, Martemque *trahit, quos incitat æstus,*
Quos patriæ Pietas, & amor telluris Achiuæ
Sollicitat, vegetísque insert incendia venis,
Hos animos, hæc magnanimæ constantia mentis
Robora, & inuictos valida virtutis honores
In patriæ seruate decus, vos Patria poscet,
Et vestras lugens exquiret Achaia *vires.*
Hinc igitur socii discedite, sola Laconum
Castra hæc septa tegent, aditúmque, viámque negabunt
Hostibus, & fractis prohibebunt ostia Persis.
Quid vultu abnuitis rigidi? quidue ora, genásque
Contrahitis? quid abire pudet? sed abire, sodales,
,, *Expedit. & quandoque decet fuga, semper honestũ est*
,, *In patriæ cedit quod commoda, cedite, tempus*
Vos in bella trahet, grandísque aptabit arena.
Discessere omnes, soli mansere treceni
Spartanorum *inuicta cohors, quos excitat vltrò*
Arduus in bellum positâ formidine ductor.
Ne numerum, ô socii, crebra ne Persidis, *inquit,*

Quas tercentũ Lacedemonij

Agmina

Agmina, neu tenuis cuneum spectate phalangis,
,, *Quâ* Persas *arcere paro, non agmine multo,*
,, *Non numero, crebrisue Equum, Peditúmque cateruis*
,, *Res agitur, sed* Marte *truci: Iubâ sola leonis,*
,, *Quid dicam rictus? quid atroci guttura dente?*
,, *Quídue manus, vnguésque? feris quid & ossibus alcen!*
,, *Terreat innumeros per tesqua rigentia ceruos.*
Sed non sola fauet virtus, fauet inuia montis
Asperitas, geminúsque loci, vel saxa vibremus,
Vicimus; Ecquis enim tanta in prærupta, iugúmque
Scandat? & obstantis superet conamina molis?
Sed numero oppressi cademur, obibimus omnes
Vt decet, & patriæ vitam reddemus, & ipso
Membrorum oppositu violentum arcebimus hostem;
Et mortem famâ superabimus, inque Nepotes
Ibimus; & nostrum seruabit gloria nomen.
His dictis firmati animi, sedet omnis in altis
Turba iugis, hostémque cupit, Persisque *minatur.*
Xerxes *interea cinctus legione frequenti*
Thessaliæ *peragebat iter, iámque ostia montis*
Thermopylásque *ingressus erat, cùm maxima telis*
Sparta aditum prohibet, Persásque *hastilibus vrget.*
Incepit certamen atrox, dum Persis *inire*
Thermopylas *contendit, iter dum* Sparta *negare*
Conatur, tegitur Titan, puraéque diei
Conditur vmbrosâ telorum grandine fulgor.
Spartano *res illa Duci,* Phœbúsque *refertur*
Abscondi iaculorum vmbrâ, nec territus ille est,
Securâ sed mente, bené est, pugnabimus, inquit,
Sed tuti in clarâ, socii, pugnabimus vmbra,
Nec famam nox ista teget, clarescite vestris
Laudibus, & nigram telorum euoluite nubem.
Inuadunt millenæ acies, millenæ repellunt
Agmina tercentum validis Lacedæmones *armis,*
Nec tam armis, quàm animis; insurgere cernin in vnũ
Mille hostes, tamen vnus obest; & millibus vnus
Pár est infractis, tanta est audacia, Persis.
Non aliter quàm cùm collecti turbine nimbi,

Aduersus innumeros Persas tuentur.


In earúmque propugnatione.

Et formidatæ nebuloso horrore procellæ
Incubuere mari. fluctus, hyemésque tumescunt,
Sæuáque verticibus perit & redit vnda retortis.
Membra ratum quassata gemunt, & fleta vorantur
Naufragia, infœlix heu tu quicunque laborans
Nauita fluctiuagis incercipieris in vndis!
At rupes mediis quæ prostat in æquoris vlnis
Immanes contemnit aquas. Euróśque furentes
Fixa solo, quamuísque latret circum omnis aquarum
Eluuio, ventíque fremant, tamen obstat, & auras
Negligit, & motis secura quiescit in vndis.
Sic obstat Spartana *phalanx,* Persásque *ruentes*
Sustinet, atque aditu generosis viribus arcet.

Omnes magnanime moriuntur.

Iámque dies, iterúmque dies elapsa, trecenti
Contra mille globos, & mille & mille cateruas
Pugnauere truces, non fugit victa, locóue
Cessit mota cohors, sed quâ pugnauerat antè
Hac moriens statione fuit, quam legit arenam
Certatura, tenet, nec cæsa, sed obruta tantâ
Mole iacet, furor extincto descriptus in ore est,
Qualis erat sanis cùm depugnaret in armis.
Nec tumulus mons ille fuit, sed clara triumphi
Gloria, & augusti species germana trophæi.





LIBRI VIGESIMI PRIMI PROLVDIVM.

TRes adhuc mihi motus in manibus in quibus percurrendis ſtylus impar certè requiritur, quamuis diligentia vbique eadem eſſe debeat, ideſt ſumma. Eorum vnus, quo nihil eſt tetrius, aſperitatem deſyderat, quâ nihil eſſe poſſit aſperius; Duo reliqui, quibus nil eſt candidius, mollitudinem & ſuauitatem requirunt, quibus nihil deceat eſſe tenerius. Ad primum nemo degenerat niſi ignauus & ruſticus; ad poſteriores nullus aſpirat, niſi magnus, & ſummè politus. Primum qui nouerit ſtatim effugiet, niſi cum aura furiarum afflauerit; Duos poſteriores qui non nouerit, omnium illicò aſpectus effugiat, niſi in omnium dicteria & offenſiones velit incurrere.

Quid diutius moror? cur motuum explicãdorũ nomina ambagibus tam longis inuoluo? Eorum primus Inuidia eſt odiorum ſemen, teſtis inertiæ, virtutis hoſtis, æmula dignitatis, quâ nihil vt deterius, ita homine nihil indignius. Duo reliqui ſunt pudor, & Gratia, quibus quid poteſt eſſe elegantius? quid venuſtius? Gratiori fine opus concludere poteram, quàm eo quo Gratia deſcribatur? & gratius illi ſigillũ imprimere, quàm illud quo Pudoris & Gratiæ character exprimatur?

Ingratum non erit illud opus quod Gratiæ quasi stolâ vestietur, nec importunum quod Pudoris quasi flore coronabitur. Peto à vobis, lectores, hanc gratiam, vt quæcunque in libris hisce meis legeritis cum gratiâ excipiatis, quæ & hunc fauorem à vobis hoc in carmine per seipsa requirit Tu verò

O mollis Dea, Gentium voluptas,
Orbis delicia, & parens Amorum,
Leporum decus, & suauitatis
Mater prodiga, proma conda morum,
Hortorum iubar, Architecta florum,
Telluris domina, omniúmque nutrix,
Cœlo labere, méque rore molli
Felix imbue, carmen & sonorum
Immortalibus irriga fluentis.
Te risus vocat, & vocant Amores,
Te carmen vocat, & tuum requirit
Aspectum stylus, & tui fauoris
Cultum, Gratia, *versus omnis ambit;*
Te, virgo, sine, versus omnis aret,
Omnis pagina perditos decores
Luget, Tu nisi perditos decores
Tuo viuere iusseris fauore
Ergo labere, méque rore molli
Tuum, Gratia, *blanda tinge vatem.*

Hos ergo motus sequenti libro quâ poterimus & breuitate & claritate tractabimus.



LIBER VIGESIMVS PRIMVS

De Motibus Inuidiæ, Pudoris & Gratiæ.



Dlua mihi dites in carmina suffice venas Inuocatio.
Gratia, *námque potes, Tu quippe benigna fauoris*
Arbitra, Tu mater Charitum, *Tu proma leporum,*
Ipsa tua in nostro mirabere munera versu,
Et dotes, laudésque tuas, nam liuida quamuis
Inuidia *in nostris pateat descripta tabellis,*
Seruiet ampla tua tamen hac descriptio laudi, Propositio.
Illa catenatis stabit Tibi vincta lacertis,
Inque tuos, inuita licet, iurabit honores.
Hic quoque virgineo Frater tuus ore canetur,
Si faueas, ô Diua, Pudor, *reserabo decorem,*
Dispersus in membra niues, & lactea colla,
Et labia, & pueris infusa corallia labris
Tu linguam, teretésque sonos, ó Gratia, *flectes*
Destituat nostras ne gratia mollior artes.
Securas equidem Tibi magna Audacia *sedes,* Cap. I. De Inuidiâ.
Dum pasces, Calliste, *dabit, sed Te altera dudum*
Inuitat Nympha, ínque suos vocat aurea lucos,
Pratorúmque comas; illuc, vbi veris odores
Perpetui, Zephyrique *domus, florumque corona,*
Ibis, & insignes horti lustrabis honores,

Te tamen antè decet, nam talis euntibus illuc
Lex iniuncta, nigri descendere limen in antri.
Trux vbi larua latet, nunquam deformius illâ
Prodigium, stygiáue luei emissa cauernâ est.
Eius descriptio. *Huic oculi liuere virent, frons pallida, vultus*
Exanguis. cunctos macies dominatur in artus,
Languidáque exesis arescunt ossa medullis.
Marcent exsucca generoso sanguine venæ,
Serpentúmque fremit linguâ, rictúque canino
Frendit, & infames iungit latratibus hydros.
Ipsa suo est inimica bono, ipsa inuisa saluti,
Genius *Ipsa sibi nocet, ipsa suæ contraria vitæ est.*
Vt sol lucifluo dispescat nubila curru,
Et totum radiis fulgentibus impleat orbem,
Non lucet tamen illi, oculos sibi claudit, & omnem
Tristior ingrato fulgorem expellit ab ore.
Vt dubia instructis oneretur mensa catinis,
Malignitas *Cultáque conditis niteant bellaria succis,*
Chia propinato iungantur vina Falerno,
Auertit tamen illa dapes, admotáque temnit
Pocula, vel si epulas, facilémque admittat Iacchum,
Omnia vel modici gustantur egena saporis.
Vt plumâ insternas, & odoro vellere lectum,
Et placidi apponas iucunda ad murmura riui,
Non tamen illa bibet somnos, neque lumine noctem
Afflictio *Hauriet, aut ægros dulcedine molliet artus*
Rodit enim interior languentia viscera tabes,
Comites *Afflictásque comest fortuna aliena medullas.*
Hic propè Cura *sedet marcentibus obsita rugis,*
Cana capillitio, mordaci asperrima limâ
Damna. *Quâ lugubre iecur, miserásque exulcerat vlnas.*
Nec tantùm nocet ipsa sibi, nocet insuper orbi,
Et diuersa vehit læsis dispendia terris
Huc audax descende tamen, Te tutus in antrum
Coniice & in cæcos vestigia defer hiatus,
Nulla Tibi nocumenta feret, nisi forté minacem
Sollicites, nexúsque truces, & vincula soluas.
Quos autem percussit, ibi crudelibus hærent

Addicti pœnis, & tetro carcere clausi
Æterno rodunt ipsi sua viscera morsu Esca.
Inuidia *exultat, (námque hac qua præsidet antro*
Inuidia *est.) pœnásque nouat, trucibúsque nocentum*
Pascitur exitiis, & acerbo tormine gaudet.
Hic adsunt deni collecto examine fratres, Cap. 2. Inuidiæ exempla
In fratrem pubentem auo, & candore micantem
Dilectúmque Patri, quos perniciosa furentes
Excitat Inuidia, *atque istis sermonibus vrit.*
O proles numerosa Liæ, *cui patria semper*
Dulce fuit mandata sequi, tot inanè labores
Effluere, & frustrà patiere pericula fundi.
Quid Te iam benefacta iuuant? quid en arua paternos
Deduxisse greges? quid opimas gramine valles
Quæsisse? & duris pauisse in montibus agnos?
Omnem deceptus Genitor diuertit amorem
In Ioseph, solúmque fouet, solúmque tuetur.
I nunc ingrato præbe Te irrisa labori,
Duc per agros armenta, casis in vilibus hære
Præterea, & vestris Genitoris amasius ille Frater Ioseph.
Vibratus crines, myrrháque & thure liquescens
Præmia furetur meritis? & tollat honores?
Quid stolidi fratres agitis? quid statis inertes?
Vos vigili excubias oculo? vos mente labores
Vos magno impositas fertis conamine moles?
Mercedem patrii furabitur alter amoris?
Vnum igitur vobis, Iuuenes, id denique restat.
Iosephum vincite, cauâ vel condite terrâ, Qui Inuidiâ stimulati illum vexauere.
Aut ferro premite, aut tectis arcete paternis,
Non etenim Genitorem æquum, non blanda parentis
Ora, nec optatos vnquam speretis amores.
Hæc illa; at fratres charos de pectore sensus
Excutiunt, fratríque parant vel vincla, necémue
Crudeles; rogat ille quidem, fratrúmque tumentes
Conatur placidis iras componere verbis,
Hic binos eadem natos quoque matre videbis
Inuidiæ *flagrare lue, quorum alter agrorum*
Culturæ addictus stimulos, stiuámque tenebit

Et viridem sulcabit humum; Alter tectus ouinis
Pellibus, insontes in gramina proferet agnos,
Et pastoriciá curas mulcebit auenâ.
Ambo quidem sacras Diuis cœlestibus aras
Cain. *Ædificant, & dona ferunt, sed Frater opimas*
Iunior ex omni pecudes secernit ouili,
Quæ superis in munus eant, legit alter iniquas
Ex infertilibus totius frugibus anni,
Quas aris imponat, opus Deus æthere ab alto
Aspicit, & tetrici languentia dona Caini
Respuit, at placidi fumos admittit Abelis.
Quem inuidia sollicitat. *Extempló attonitum sentit furiosa* Cainum
Inuidia *incenditque iras, & talibus illum*
Aggreditur; Quid mœstus hebes? quis pectus acerbum
Mœror edit? num forte tui causa vna doloris
Frater? & acceptæ Diis immortalibus aræ?
O vecors! ô iners Iuuenis! Tu maior, & illud
Tranquillo patiere animo? languentia semper
Pectora, & indignos nutries in corde dolores?
Ille Diis acceptus erit? sibi læta videbit
Gramina? & extantes ridere in saltibus herbas?
Et nasci innumeros crebris in ouilibus agnos
Aspiciet? Te, quamquam annum, sacrásque nouales
Obtuleris? dederísque polo florentia farra,
Ad necē fratri inferendā. *Contemnit cœlum tamen, & tua liba recusat?*
Hæc adeóne pati pulchrum est? Ergò ille præibit?
Ille dabit mandata, iugum cui iusta minori
Imposuit natura, aciem quin stringe, latúsque
Transfode, & elatos Iuuenis compesce tumores.
Turbidus Inuidiæ *liuentia dicta* Cainus
Excipit, & sæuam fraterno sanguine dextram
Impiat, & mundi quartæ dat funera parti
Et quibus vna fuit satis aluus, & vna parentis
Viscera, quósque breues vteri clausere recessus,
His angusta fuit lati possessio mundi.
Perge vltrà, si tanta tua est fiducia menti,
Et cernes grauiora, etenim quæcunque fatigant
Humanum tormenta genus, parit omnia liuens

Inuidia

Inuidia, *& tali saliunt è fonte canales.*
Námque vbi compactæ Omnipotens *è puluere terræ*
Humanum finxisset opus, multúmque decoris
Sparsisset per membra, animúmque æquasset Olympo
Angelicisque parem ordinibus statuisset, & olli
Cœlum, & sidereos faciles promitteret axes.
Non tulit Inuidia, *at penitas exusta medullas,*
Cocytum, *nec longa via est, petit, ilicet omnis*
Assurgit Furiarum *ordo, si quis tamen ordo*
Confusas inter Furias; *summásque draconum*
Erexere iubas, quibus illa immania verba
Subiicit, & rabidas his vocibus asperat iras.
Vósne Deûm genus, è supero natalia cœlo
Qui trahitis Genij, *stirps immortalis* Olympi, Demones.
Vósne ideó decussi astris? & vertice cœli
Deiecti? clausíque cauis latitatis in antris,
Ignibus obscuris septi, vt securus in axes
Euolet, & vestros teneat Mortalis *honores?*
Ille ergo vilis figmentum ignobile limi Qui Inuidiâ in genus humanũ accensi
Eque rudi concretus humo super astra volabit
Indiges? & nitidis splendebit amœnior astris?
At cœlo vos digna cohors, mera semina mentis,
Æternique propago Dei sine honore flagrantes
Perpessura rogos, incendia tetra feretis,
Tanariis inclusa locis, dum argilla, rudísque
Limus, in Empyreo sese iactabit Olympo.
His dictis commota ira est, & pectore toto
Inuidiæ concepta lues; Tum maxima Princeps
Eumenidum *squammas, & tegmina dira draconum*
Induit, & trifidæ sibi sumit acumina linguæ,
Humani Generis primos captura Parentes.
Illam inter frondes, & pulchræ brachia pomi
Voluentem spirarum orbes, gyrósque plicantem Illud per Euã funditus perdiderunt
Tetráque pestiferæ vibrantem sibila linguæ
Accinctâmque hominum funesta in damna videbis.
Nec procul hinc stat Virgo genis, & fronte decorâ
Quam propriâ Deus ipse manu fabricauit; origo heu!
Principiúmque mali, spectat pendentia poma.
Kk

Ambit & illiciti non debita munera fructus.
At dubitat tamen, & vetitas formidat in escas
Ferre manum, obstat enim praeceptio iustæ Tonantis
Cùm coluber liuore tumens, & percitus irâ,
Inuidiáque, astúque ferox, fallacibus illam
Aggressus verbis pulchri dulcedine pomi
Allicit, & miseram mendaci crimine vincit.

Cap. 3. De Inuidiæ caussis
Hic coaceruatas igitur diro agmine noxas,
Quas parit Inuidia, *atque ipsam cum prole malignâ*
Inuidiam, *immanésque hydros atque ora notabis.*
Est autem dolor alterius de sorte secundâ,

Paritas
Quem nobis decet esse parem, quem námque vel ordo,
Aut sortis gradus, aut antiquæ gloria Gentis
Longiùs à nobis remouet, nunquam æmula tangit
Inuidia, at magnâ reprimi imparitate necesse est
Non secùs ac magno cùm flamma erumpit ab igni
Ardua, nullus ibi est pulsâ caligine fumus
Sed splendor, claróque micans in lumine fulgor.

Conditionis
Hos ergo Inuidiæ *tabes deterrima fœdat,*
Quos par ætatis gradus, aut paris instruit artis
Officium, Pictor sic lumine cernit iniquo
Alterius pictoris opus, sic ductor ouantis

Ætatis
Agminis, insensos crebris qui incursibus hostes
Triuerit, alterius felicibus inuidet armis
Ni vitium hoc Virtus premat alta, vel ardua mentis

Artis.
Nobilitas, magnaéque fauens terat indolis ardor.
Hanc pedibus, Calliste, *premes, & colla, tuménsque*
Elides guttur, nigro cùm exibis ab antro,
Et decet; Hinc aditus ad proxima prata patebunt
Ambrosiísque Tibi dabitur via mollis ad hortos.

Cap. 4. De pudore. Locus habitationis.
Campus in effusum latè se porrigit æquor,
Sectus vbi areolis, scriptúsque tepentibus herbis
Hortus adest, vbi veris honos, vbi blanda Fauoni
Aura, micantis vbi stant picta tapetia Floræ.
Hos vbi ad insignes felix deueneris hortos,
Areolas molles miraberis, aurea serta,
Et dulces auium cantus, & aromata florum,
Et fluxu faciles, & amœno murmure lymphas.

Hic etenim vitreâ fluis amnis origine Charis
Mollior effusis tumido quem colle volutum
Adiunxit Natura satis; Tu purior ipso
Electro, atque albo, cùm liquitur igne, metallo.
Tu circumfusos fœcunde colone per agros
Curris, & in multos passim diuise canales
Ornatam conspergis humum; Tu floribus addis
In pratis iubar, in mediis candentia campis
Serta colis, sulcósque astris terrestribus ornas.

Hortus instructissimus

At comptus omnes superant, & nobilis horti
Delicias omnes, ipsi duo nobilis horti
Cultores, quos forma polit, quos blanda serenat
Integritas, Germani ambo, quos iungit amoris
Nexus, & hæc puro pulcherrima Gratia *vultu*
Ille autem intacto frater Pudor *igneus ore est.*
His laues rastros, & aratra decora videbis
Ad molles admota manus, quas nulla fatigat
Asperitas, duróque premunt neque tubera callo,
Sed nitidum componit ebur, vel mollior ipsis
Materies speciosa rosis, cúmque ambo laborant,
Et quoties dites ducunt per iugera rastros
Augusto toties tolluntur vertice flores.

Cuius ipse cū Gratiâ est olitor.

Floreus ergo illis labor est, in floribus ambo
Versantur, texûntque sibi de flore coronas,
Vertunt ínque suas florentia vellera vestes.
Ambo autem spectare nequis simul, ambo tuorum
Distraherent oculorum aciem, sta fixus in vno,
Et sacro primùm da lumina casta Pudori.

Illi albens præcincta stola est, quam lilia texunt
Purpureis immixta rosis, rubor igneus ore
Ambulat, & calido candens ebur additur ostro
Ad prima ingressum areolæ de marmore puro
Cœnobium extructum Nymphis, vbi porticus ingens
Et variæ sedes panduntur, at omnia clathris,
Et firmis obsepta seris, ne fortè quis intrò
Obrepat, turbétue domum, noceátue puellis.

Cap. 5. Pudor puellarū custos.

Ad primas stat sancta fores cum Pallade Vesta
Custodis de more, sagax cui palpebra nunquam

Clauditur, insomnes oculos Vigilantia *seruat*
Perpetuúmque fouet sacris altaribus ignem:
Porticibus longis habitant, & sede frequenti
Degunt innumeræ peplo candente puellæ,
Accensæ decorant viuo quas igne lucernæ
Inculpati omnes sociæ comitésque Pudoris.
Ad lauam spelunca patet nigra carceris instar,
Cuius ad introitum pharetra spoliatus, & arcu,
Deplumíque alà, manibúsque Cupido *reuinctis*
Inflexóque genu, pacem, veniámque precari
Cogitur, incautas vetita quod fraude puellas
Traxerit incestæ fœda in consortia culpæ.
Extinctis facibus, deflammatisque lucernis
Defossâ conduntur humo, viuæque sepulchro
Clauduntur, sanctum quæ fœdauere Pudorem.
Stat virtutis enim custos Pudor, *acer abactor*
Criminis, iniiciens tetris obstacula noxis
Nec tantum est Veneris, fœdæque libidinis hostis,
Sed vitium quodcunque premit; quot enim impia furta
Susciperent? fraudésque malas? quot pacta, fidemque
Deciperent? miseris quot debita iura negarent?
Obstaret sancti nisi lex innata Pudoris?
At quamuis cunctorum oculos, atque ora serenet
Intactus Pudor, *inde etenim laus magna secuta est*
Pompeium, *grato cui semper in ore* Pudoris
Insedit color; At Iuuenes tamen auctius ornat,
Gratius & primis puerorum exultat in annis.
Molle quibus decet esse oris decus, & quibus ardor
Congruit, & rubeâ speciosa modestia formâ.
Aptior ille tamen nuribus, mollésque puellas,
Matronásque decet; tali se fœmina cultu
Venditat, & nullas piscatur in æquore gemmas,
Quas non intacti superet vis digna Pudoris.
Fœminei laus illa chori est, nec dignior vnquam
Penelopen *celebrauit honos, quàm quem ipsa parauit*
Ex illibati pretiosâ dote Pudoris
Mille illam petiere proci, sed mille procorum
Reppulit illa preces, precibus Pudor *integer obstat.*

Quibus inuigilat.

Et cupidinem vincit aut arcet.

Cap. 5. Effectus pudoris

Vitij omnis inimicus

Iuuenũ comes

Sed precipuè Virginũ

Intactámque suo sese seruauit Vlyssi;
Quid tenuem, tanti pudor est, ad sceptra Puellam
Anglica *subuexit, sacri nisi forma* Pudoris.
Angli *virgo soli, terraque colona* Britannæ
Egregium sortita decus, formaéque fauorem est, Cap. 6. Pudor victor ex Anglicâ historiâ
Et molles candoris opes, & amoris amœna
Illicia, & dignas augustâ Principe dotes.
Quamuis è mediâ traheret cunabula gente.
Illam Rex Iuuenis, facilique ætate solutus,
Nec dum coniugii vinclis, aut limite clausus
Vidit, & insolitis sensit præcordia flammis
Et Cypriis ardere rogis, & vt ignea busta Plebeiã virginẽ
Temperet, & vetito det libera fræna furori
Abstrusâ secretam vmbrâ, tectísque latentem
Pollicitis, multóque auri splendore puellam
Sollicitat primùm, philtrísque potentibus ambit.
Quid Tu ibi sancte Pudor *facies? Tu impunè patrari*
Tam demens patiere nefas? hæc victima templis,
Atque aris addicta tuis, auulsa trahetur?
Inque prophanatos polluta vocabitur vsus? Pudoris honos
His probris obsiste Pudor; Pudor *inclytus obstat,*
Et turpem indigni sceleris sacra Virgo ministrum
Reppulit, & turpes Regis simul arguit astus.
Non tamen absistit Princeps, sed plura talenta
Sed plures promittit opes, sed & omnibus illam
Claris tentat superare modis, illa omnia victrix
Spernit, & his, arci similis, secura resistit.
Vt scopulo Arx innixa suo, quæ flantibus Euris,
Et magnâ cœli circum latrante procellâ
Pondere stat, nequidquam auræ & borealia flabra
Circum errant, vanique furunt in culmina nimbi.
At Regis magis ardet amor, quóque acriùs illa
Obsistit, magis ille instat, fit maior habendi
Æstus, & iniiciunt irritamenta repulsæ.
Ergo cùm neque amor, neque philtra, nec aurea dona
Virginei mollire queant decreta Pudoris
Vis adhibenda, igitur superûm proh numina diuûm!
O sacra leges! ô fœdera rupta Pudoris!

Maternis abrepta vlnis defertur in aulam
Principis indigni maculas passura furoris.
Sed vos hic aures castæ velate puellæ,
Indignúmque sacri funus lugete nitoris.
Non ita; sed reserate aures, victoria vestra est,
Et pudor indecores extinxit Principis astus.
Námque vbi se Virgo solam videt, extrahit ensem,
Et defensæ castitatis ratio *Ensem, quem tales iampridem aptarat in vsus,*
Quémque togæ sinibus furtiuâ inuoluerat arte,
Et flexo Regem ante genu, nudáque papillâ,
Sic ait, O Rex magne, Deus cui in tempora vittas
Imposuit, sceptróque manus impleuit auito,
Parce tuum fœdare decus, ne infamia nomen
Deterat, & Iuuenes hoc dedecus inquinet annos.
Quod si adeò hæc impressa tuæ vesania menti est,
(Nec leuiora salax iniuria verba ministrat)
Vt mihi vim tu inferre pares, non altera vis est
Quam patiar, nisi quam gladius meus inferet, hic me
Eripiet, tutámque tuis defendet ab ausis;
„ Nec stuprum timet arma tenens, penetrabo medullas
Effusóque meas extinguam sanguine flammas,
Id si vis, quod velle nefás; iámque arma parabat
Vertere in intacti penetralia candida cordis.
At Princeps tantæ miratus robora mentis
Miratus niuei candentia signa pudoris
In melius mutatus, ait; Caue, Virgo, manúmque
Et gladium sceleratum inhibe, nil criminis in me,
Aut in Te decet esse metus, mutata voluntas,
Ad sceptrum euexit *Nec tamen est mutatus amor; Te diligo vt antè,*
Sed fœdum iam crimen abest; Te candida virtus,
Te niueus Pudor, atque animi constantia dignam
Te thalamis fecere meis; Te iusta ligabunt
Connubia, & dominam Te magna Britannia *noscet;*
Hæc nostrâ stent firma fide; sic dixit, & illi
Imposuit diues regni diadema Britanni
Legitimóque toro iunxit, iustísque hymenæis
Hec meruit sacri vis illibata Pudoris.
Cap. 7. *Nec verò tantùm probri formido futuri*

Fata parat, sed sæpè etiam cùm culpa patrata est, Pudor iustus apud Photiũ
Vnde potest exire pudor, vis tanta Pudoris
Irruit in sontes animos, vt funera malint
Eligere attritâ indecores quàm viuere famâ.
Tauromeni *mercator opes, & diuitis auri*
Depositum ignotæ fidei quæstoris auari
Committit, nec signa fidem testantia poscit.
Post aliquot cùm deinde dies commissa reposcit
Mercator, repetítque data spectabile gazæ Quæstor subdolus.
Depositum; Tum Quæstor, ait, male fide quid aurum
Poscis adhuc? quod restitui, ex longóque remisi?
Quid faciat mercator? opesne amittat inanis?
Natorúmque alimēta? Alium ad sacra Numina diuũm
Cogit, & in testes altaria sancta vocauit.
At quæstor falsâ sacrâ ne periuria linguâ
Suscìperet (Diuos nam scilicet ille timebat,
Impia qui tantâ fœdabat pectora noxâ)
Hanc artem fabricans superis imponere tentat.
Oblongam ferulam cauat, ex illáque putamen
Extrahit, & medium in gremium liquefacta metalli Fraudē detect.
Pondera coniiciens, aditus exinde, foréſque
Clausit & inductas vestiuit arundine gazas;
Et morbum affingens pedibus, vestigia cannâ
Ægrorum de more, illâ, quam impleuerat auro,
Sustinet, & sacras Diuũm procedit ad aras.
Hic testes superos, & recti conscia quæstor
Astra vocaturus, ferulam tamen antè reponit
Auri mole grauem, & turgentem diuite nummo.
Illius in manibus sibi qui commiserat aurum.
Tùm fixos in cælum oculos, & brachia tendens,
Vos testes appello polos, vos Numina testes
Este mihi, vos in me inquit, rubra tela vibrate,
Vos me puluereis similem præstate fauillis,
Ni sua iam mercator habet; si forte fefelli
Si non restitui, mihi quod commiserat aurum.
Exclamans mercator ibi, indignatur, & omnem
Defecisse fidem queritans, suspiria ducit,
Et calamum proiecit humi, confringitur ictu

Impatiens probri Sibi mortem intulit

Canna volans, liquefacta simul patuere metalla,
Et fraus omnis aperta; Pudor *tum criminis ingens*
Sic pectus quæstoris adit, sic spargitur omnem
In vultum, infames vt ducere tædeat auras
Vlterius, laqueóque gulam sibi fregerit amens.
Tanta verecundi vis est & fama Pudoris.

Cap. 8. De Gratiâ.

Hæc in virgineo scribit Pudor *integer horto*
Cui flores præbent elementa, & verba ministrat
Sertorum variata seges; sed tempus ab istis
Areolis exire, soror Te blanda Pudoris
Ecce vocat, Calliste *sui promittit amoris*
Blanditias, spondétque suas Tibi Gratia *dotes.*
Purpureas non tam illa rosas, aut alba ligustra
In sulcis, tenerísue satis, quàm in fronte, labrísque
Inserit, & croceos gestat pro lumine flores.
Pro flatu tener halat odor, comes assidet olli

Eius diuitiæ.

Terna Charis, *queis nexa manus, quibus vna voluntas.*
Circa illam diadema micans, & sceptra, poténsque
Insula, & eoo deuecta è littore gemma,
Et fasces, & gaza nitens, & census, & omnes
Agglomerantur opes, quas Gratia *limite nullo*
Diuidit, & fonti similis, cui vena perennis
Æternas concedit aquas in plurima sese
Flumina, & in multos vndâ manante meatus

Quas libenter spargit

Spargit, & arentes nunquam sinit esse canales.
Prodiga sic dites effundit Gratia *cultus.*
Hæc ridens dispergit opes, & dum sua fundit,
Lætior est, quam qui recipit, nec munus ab illo
Expectat, pretiosa prius qui dona recepit.
Hic, motus inter lenissimus, inclyta tangit
Pectora, & augustis tantùm requiescit in vlnis;

Quæ maximé elucet.

Principium, fontémque petens à Numine, cuius
Non alia est natura, nisi pia Gratia, *cuius*
Gratia *diffusum dispergitur omnis in orbem*
Si tot in æthereo splendescant sidera cælo,
Et noctem si luna regat; si lumina clarum
Efficiant Phœbæa diem, si depluat imber
Aere, & humentes fœcundior irriget agros,

Si tellus innixa suo fundamine subsit,
Innumeros partus si fundat, & omnia gignat
Commoda, si liquido gratum mare fluctuet æstu;
Si Nos impositi dominemur in omnia Reges,
Cateráque in nostros veniant animalia iussus
Quid nobis ea cuncta, Dei nisi Gratia *fudit?*
Sed quid ego leuiora sequor? si sparsa per artus
Portio diuini spiraminis, inscia mortis;
Virtuti si facta via est, si cœlica nobis
Regna patent, vbi fas æuo meliore potiri
Quid nobis ea cuncta, Dei nisi Gratia *fudit?*
Ergo incredibilis supremum Gratia *Numen*
Afficit, & superi penetrat cor amabile Regis. Et in
Hinc quò quæ magnis mens est affinior astris mẽtibus
Immenso propiórque Deo, hanc splendentior ornat Deo vi-
Gratia, & in lenes descendit amica medullas. ciniori-
Actoris decet esse iram, sed Gratia *contrà* bus.
Imbuat intacti stillantia verba patroni
Illa iras, metúsque animi componet acerbos,
Et coniurata flagrantia prælia mentis
Pacis ad illecebras, & ad otia blanda vocabit. Quæ pa-
Hanc optem, Calliste, *colas, hanc imbibe toto* troni est
Pectore, & arcanis illam depone medullis.
Hæc mentis pacata quies, hæc otia cordi
Comparat, hæc blandos animis importat amores.
Si magnum generosus alas in sensibus altis
Pectus, & ingenuos voluas in corde vigores;
Si laudis studio, & stimulis mouearis honorum,
Hanc cole, secretísque iube descendere venis. Eius vis
Non opus ingentes peditum conscribere turmas, & potẽ-
Aut alas numerare Equitum, parentia votis tia.
Subiicias quò cuncta tuis, quippe omnia subdet
Gratia, *& inflexos hominum Tibi prodet amores;*
Illa truces etiam mentes domat, illa rebelles
Subiicit, & molli ligat aspera corda catenâ.
Quin & Marmaricas *blandissima* Gratia *tygres*
Mitigat, & Libycos *spoliat terrore leones.*
Immitem fugiens dominum, & vesana flagelli Cap. 9.

Andro-dus leo-nis gra-tiam ex-pertus

Supplicia, & pœnas vitans Androdus *heriles*
Desertas petiit latebras, & ſ rupea teſqua,
Speluncámque abdendus adit, domus illa leonis,
Et ſedes horrenda fuit, quâ mille iacebant
Exuuiæ, pelléſque ouium, veſtéſque caprarum
Hoſpitii immanis teſtes, & certa tyranni
Hoſpitis indicia, atquè atrox laniena ferarum.
Vix illuc Androdus *iit, loca tuta ſaluti,*

Ille fu-giens dominũ

Tuta fugæ ſecreta petens, cùm magnus in antri
Deſcendit caua ſaxa leo, duo lumina duplex
Martis ſidus erant, corpus circumdabat horror,
Inque feris implexa iubis violenta patebat
Sæuitia, & rigidis in dentibus ira furebat
Hic ſeruus; Quid me miſerum fortuna fatigas?
Inquit, & in quales deducis inhoſpita caſus?
Num ſat erat, dominíque iras, & ſæua tuliſſe
Stigmata? & horrendas attrito in corpore pœnas?

In leonẽ incidit

Ni iam ſanguineo cedam fera præda leoni?
Hæc ſecum; ſed ſæua timet dum fata, trucémque
Exarmata feram expectat dum in membra ruentem,
Depoſitâ leo bile venit, blandáque querelâ
Poſcit opem, læſóque pedi fomenta requirit.
Quippe leoninos ſpina aſpera læſerat vngues,
Inſedítque pedi, in ſaniem eruptura tumentem.

E cuius pede ſpinam vellit

Principiò Androdum *retinet pauor, imáque pulſat*
Concuſſos formido ſinus, nec ſæua leonis
Vlcera, nec læſos audet contingere neruos:
Donec ſecuris ceſſit de ſenſibus horror,
Et ceſſit formido, pedem tùm namque predendens
Fouit, & appoſita fera vulſit acumina dextrâ.
Et poſuit dolor omnis; ibi leo grata refudit
Officia, & dignas pendit pro munere grates.
Nempe triennales in pabula comparat eſcas,

Leo gratus redhibet beneficium.

Et ceruos, Damáſque leues intercipit, & mox
Cum charo optatam communicat hoſpite prædam
Et ſimul inter ſe ſociali fœdere viuunt,
Androdus, *comíſque leo, dum captus vterque*
Ceſſere Auſonio ſpectacula mira theatro.

Impatiens vitæ Androdus, *victúsque ferini,*
Semper ego in syluis, inquit, saxa inter, & vmbras,
Lucis egens, hominúmque procul commercia vitans
Serpentûm comes; & sæuorum aliquando leonum
Præda futurus, ero? peream semel, & mihi præstat
Quàm sic in miseris morientem viuere lustris.
Hæc secum voluens, latebras, atque aspera furtim
Hospitia, & socii liquit latebrosa leonis
Tecta, sed infensas Equitum delapsus in alas
Crudeli seruatur hero, cui cura suprema
Massylûm, *& Libycæ prouincia credita terræ.*
Ille vbi Romuleas de more redisset in arces,
Mancipium condemnat iners, seruúmque fugacem
Sanguineisque feris, tristique addicit arenæ.
Ecce ergo Androdus *mediâ stat nudus arenâ,* Sed auctiori fœnore
Incassum gemitus, suspiriáque ægra profundens
Expectánsque necem; & rabidæ vel tygridis vngues,
Pantheraéue manus, aut guttura vasta leonis
Cùm solito horridior caueis emissus ab altis
Rugiit immensum leo concitus, omne theatrum
Intremuit, charaéque suos ad pectora natos
Presserunt matres, & circus inhorruit omnis.
Ille iubis, & crine volans, & verbere caudæ
Concutiens ferale latus, iam nuda vorabat
Membra, per & totam tumidus currebat arenam.
At postquam Androdum *iuxta stetit, ilicet acres* Expositũ enim non deuorat.
Irato cecidere minæ, rabiésque recessit,
Inque iræ cessere locum dulcedo voluptas
Blanditiæ, officium, & memoris pia Gratia *facti*
Nam blandi de more canis dilecta cucurrit
In membra, & molli linguæ lenimine lambit, Sed contra mulcet.
Attactûque pedum, & variâ dulcedine mulcet.
Obstupuit collecta cohors, causámque rogauit Vnde ambo liberãtur
Euentum mirata rei; Quid quæritis? inquit
Androdus, *Leo gratus adest, est illa leonis*
Gratia, & acceptæ memor ipsa est bellua curæ.
Cuncta etiam tùm gesta refert, miratur vtrumque
Circus, vtrique adimit sua vincula, liber vterque

Decreto populi, nisi quod leo vincula mauult
Androdi, *nexúsque pati, quem fune reuinctum*
Lata Quirinalis ducit per compita Romæ,
Quos pueri, teneraéque nurus, Iuuenésque puellæ
Per vicos sertis, & odoro flore coronant.



LIBRI VIGESIMI SECVNDI PROLVDIVM.

IAm tandem ad Eloquentiam hoc in libro, cum in superioribus itinera viásque direxerim transmitto Callistum. Ille duce magnanimitate, felicitate, comite, adiutrice solertiâ labore ministro, nobis nauem viaticumque parantibus æquor inscendet, & æstu ferente, secundis auris, fauentibus vndis, adulante flatu, labente cursu in oram exscendet, quam si ex amœnitate metiaris, pulcherrimam, ex frugum vbertate ditissimam, ex aeris temperie saluberrimam, ex soli ingenio, cultissimam, ex incolarum humanitate suauissimam, ex palatiorum superbiâ Regum sedem existimabis.


Nunquam ibi aer aut in nubem cogitur, aut in turbinem conciliatur. Serena semper cœli facies, & veris indefessa facilitas, & roris aut nectaris liberalis & larga profussio campos saginat ad frumenta, colles fœcundat ad vites, pomaria ditat ad fructus, ripas amœnat ad virorem, hortos ad flores exsinuandos inebriat. Illic enim semper tepente Maio, stilla fluente, spirante Fauonio tellus genita-

Iis bullis aureis atque monilibus, gratiarum tincturis, Amoris facibus, veris crinibus, glebarum oculis passim distinguitur.

Hæc verò est Eloquentiæ patria; Ibi domicilium suum collocauit. Sed hæc omnia. Calliste per Te ipse spectabis. Iamque nauigationem institue, auræ te vocant, expectat facundia, nauis ornata est, & quod potissimum est, Te verbum ipsum omnis Facundiæ Principium, & origo sermonis inuitat; sed paulisper expecta, neque enim prouehi potes antè, quàm obsequium Eloquentiæ authori Verbo diuino canorâ voce promiseris, quod in hunc sensum compositum est.

Testor honorificum cælitum fauorem,
Testor sacras victimas, & Diuûm horrorem,
Testor obseruantiam, & patris honorem,
Testor amicitiam, charaéque parentis amorem.
Testor solem lucidumquo, dies ornatur,
Testor Lunam candidam, quâ nox coronatur,
Testor auram auream, quâ mane lætatur,
Testor ver florens, quo chloris amœna notatur.
Testor istum aerem quem viuus respiro,
Testor illam gloriam ad quam functus splro,
Testor vitam fragilem propter quam suspiro,
Testor virtutem splendentem lumine miro.
Testor flauam segetem, quâ campus crinitur,
Testor flores croceos, queis ver redimitur,
Testor nigras hyemes, queis mare sepitur,
Testor opes, artesque, quibus mens nostra politur
Testor puros Spiritus, & manes insontes
Testor alta culmina, arduósque montes,
Testor læta flumina, fluminúmque pontes,
Testor amœnatos iucundo murmure fontes,
Testor meũ sanguinem, per quẽ vitæ præsum,
Testor nectar cælicum & diuinum esum,
Testor Deum vigilem, & Iesum cæsum,
Me verbũ, *& magnum culturum semper* Iesum.

Nunc verò proficiſcere bonis auibus, felicibus auſpiciis, non Te diſcrimen intercipiat, non periculum terreat, non Te quid aduerſi diſtineat.



LIBER

VIGESIMVS SECVNDVS Rhetorica in Palatio & Verbum Diuinum in Solio.



Hetoricæ ſaluete arces, cultiſsima ſalue
Terra, omnes ſaluete plagæ, quas aureus amnis
Eloquii rigat, & vitreâ quas proluit vnd ;
Vos nemora, & cultæ ſegetes, vos maxima campi
Æquora, quæ mediis ædes conſtringitis vlnis;
Vos colles, vôſque ô tenero florentia cultu
Gramina, Naturæ miracula, Chloridis *almæ*
Progenies, ſaluete, decus date cernere veſtrum,
Et dites date cernere opes, in noſtra ſubibit
Carmina veſter honos, & ſplendida gloria curret.

Cap. I. Calliſti peregrinatio.

Iamtempus, Calliſte, *meis diſcedere ab vlnis*
Et grandes tentare vias, & nobile votum
Concipere, & magno meliora requirere niſu.
Hactenus in propriis oriens vt floſculus aruis,
Vt tener in matris ſecurâ ſurculus vmbrâ,
Excluſúſque recèns placidis vt pullus in alis,
Sic noſtro in gremio duxiſti mollius æuum.
At nunc Te maiora vocant. Te regia poſcit
Rhetorica, ingeniique tui Te ſplendor in altum

Asciscit decus, illam ardens attende vocantem
Pronus & hæc, quæ iam docui, vestigia serua.
I ducente Deo, & felicibus vtere fatis,
I precor, & secura regat vestigia cœlum. Vota mittẽtis.
Non casus remoretur iter, non Te inuia fallat
Flexio, non dubiis infesta molestia curis,
Non animos ærumna premat, si puppe veharis,
Candida felices impellant carbasa venti,
Et placidus Neptunus *aquas componat, & vnda*
Molli decurrant circum tua suppara fluxu.
Si Te terra ferat, non Te violentus Orion,
Non Hyades, *creberue Notus, Non frigus acerbum*
Detineat, sed cœlo hilari, sed sole fruaris
Assiduo, facilisque viam Fortuna gubernet
Vix primas Eoa fores, portásque diei
Panderat, & roseum linquens Aurora *cubile*
Æthereos croceo flores spargebat Olympo.
Sopitas sol vix dum vrbes, vix oppida somno
Soluerat, ad solitas operásue vocauerat artes
Cùm molles Callistus *aquas, nauémque paratam*
Scandit, & optatæ dorso se credidit vndæ
Rhetoricas *arces aditurus; It alnus ab aurâ* Cap. 2. Descriptio Eulogiæ
Et validis impulsa Notis, & remige vento
Æmula sidereis attingitur Insula campis.
Non huic Phæacæ *respondent vbere terræ,*
Non fortunato diues Panchaia *fumo,*
Non molles Babylonis *agri, vix ipse Deorum*
Hortus in Elysiis *respondet consitus aruis.*
Illic ridentis clementia prodiga cœli,
Hic veris, Zephiriq; *animæ, procul aspera brumæ*
Frigora, vel mediæ procul hinc incendia zonæ,
Hic nunquam vel prata comis, vel campus aristis
Ambrosio vel flore solum, vel fructibus arbos,
Aut herbis ripæ, aut flores spoliantur odore.
Ingenio, cultúque loci recreatus ab vndâ
In terram Callistus *iit, simul exiit omnis*
Ingenuus comitatus, agri mirantur honorem,
Mirantúrque plagam, & faciem regionis adorant.

Circum multifluo volitant examine Cycni,
Spinorúmque greges, philomelarúmque cohortes,
Sirenum quoque turba natat, quas carmine iuncto
Ad sua facundæ deducunt rostra volucres.
Vt paulùm à pictâ speciosi littoris orâ
In quâ Callist⁹ humaniter excipitur. *Interiora plagæ Callistus in arua tetendit,*
In senis ora viri cecidit; speciosa senectus,
Et vultus grauitas, placido coniuncta lepori
Extemplo in Iuuenem charos immisit amores.
In maius creuere tamen, cùm verba loquentis
Excepit, quippe ille senex, à clade laboris
Nicoponi *cui nomen inest, vbi vidit apertum*
Egregiâ specie Iuuenem, & candore micantem,
Sic vltrò verbis illum compellat amicis.
Imprimis mihi plaudo, Hospes, quòd mollior isthuc
Incessus fortuna tuos direxerit, & Te
Duxerit in nostras casus felicior ædes.
Ædem equidem in variam poteras diuertere, quæ Te
Lautiùs exciperet, sed quæ Te gratiùs istâ,
Non poteras; at quis Te animi procul expulit ardor
A patriâ? nostræ cur dissita littora terræ
Ingrederis? quo flectis iter? cui talia fanti
Subiicit hæc Iuuenis, placidóque ita reddidit ore.
Non ego Fortunæ auspiciis quæ mollis egena est
Consilii, aut Casus leuitati ascribo, quòd in Te
Inciderim tam comem, hospes, diuina fauentem
Deduxit me dextra viâ, iámque omnia ritè
Ominor, atque mei de fine benè auguro cœpti,
Cùm mihi principiis liceat tam mitibus vti
Iam verò quod nosse cupis, quis me æstus, & ardor
Tam procul à patriâ, charísque remouerit agris?
Rhetoricæ me sanctus amor pulcherrima tantæ
Iampridem me forma Deæ sibi vinxit, & ad se
Et in rhetoricę alũnum admittitur *Attrahit, & multâ mentem dulcedine tangit.*
Tùm verò sensa ima senis noua gaudia tentant,
Amplexúque fouens Iuuenem stringénsque lacertis
Noster es ergo, inquit, tantæ si pronior ambis
Aspectus atque ora Deæ, nos quippe subimus

Illius

Illius imperia, & iussus admittimus vltrò.
Illi etenim, vnde etiam hæc aptum tenet Insula nomen
Eulogia, *inseruit tellus, hic magna gubernat*
Rhetorice, *cunctásque potens dominatur in oras.*
Hic igitur mecum ventura tempora noctis — Nicopono idest labore.
Transige, & hospitio salsum procul excute pontum,
Et cras cum primas pulsauerit alba diei
Aura fores, placidóque liquens ros defluet axe,
Ingredieris iter, quin ilicet ipse viarum
Me comitem dabo, Teque regam per tuta locorum, — Callinoo idest ingenio.
Pérque coronatos variâ dulcedine calles.
Et simul augustas Callistum *admisit in ædes.*
Multo illi sermone diem traxere, sacrúmque
Rhetoricæ *pandere decus, cùm protinus aulam*
Intrauere duo Iuuenes, ipsius vterque
Indigenæ telluris, amor quibus ipse decorem
Indiderat, molléstque manu formauerat artus, — Et Meleto idest seriâ meditatione. admissionalibus.
Præcipui Reginæ Equites, lectísque cateruis
Impositi, manuúmque duces quas Insula nutrit,
Callinous, Meletúsque, *sagax quos excipit ambos*
Nicoponus, *solitóque loci de more salutat.*
Tum grauis in Callistum *oculos, & lumina flectēs*
Nicoponus, *sunt illi, inquit, Calliste, supremus*
Totius regionis honos, quibus intima nostræ
Creduntur secreta Deæ, queis totius oræ
Cura data est, supplex Callistus *vtrumque salutat,*
Inque vicem Callistum *ambo de more salutant.*
Ast vbi depulsâ peperit caligine lucem
Aura sequens, claróque dies oriente refulsit:
Callistum *multa peditum legione coronat*
Electósque Equites adhibet, dux ipse viarum
Additur, & dignus lecto fit in agmine Princeps
Procedunt, primúmque diem sublimis in amplâ
Naturæ *posuere domo, quam lustrat, &* Artis
Interiora petit Callistus, *& ardua tecta*
Intrat, vbi posuit laxas Imitatio *sedes.*
Hæc vbi sollicitâ vidit Puer omnia curâ,
Discessit studiosa cohors, & calle virenti

Ll

Tendit in augustæ prætoria digna Suadæ
Vix quatuor stadia emensi, cùm gratior illos
Afflat odor, potiórque plagas suffumigat aura
Quàm quæ de Cilicum *plantis, aut gente* Sabæa
Emicat, aut Arabum *mediis exurgit ab aruis.*
Quid dicam attonitas modulamina missa sub aures
Quæ Linus, Amphionue *tener, quæ mollis* Arion,
Cap. 3. *Quæ Cycnus, dulcésque sono sirenes, &* Orpheus,
De symbolis Eloquẽtia
Vel linguæ plectro, fidibus vel suauibus edunt?
Hos etenim facunda suas præmisit ad ædes
Rhetorica, hos in vestibulo, foribúsque locauit
Inde triumphalis veniunt sub fornicis arcum,
Illic symbolicis emblemata mille figuris
Rhetoricæ simulacra patent; volat alite remo
Nectareis imbuta cadis, & onusta Fauoni
Exuuiis hyblæa phalanx, cum carmine picto.
Apes.
Rhetoricæ famulantur apes; *Hic deflua cœlo*
Ambrosia, & liquido demissus ab æthere sudor,
Ros
Et matutinis ros delibatus ab astris.
Alludens etiamnum herbis, atque intima florum
Irrepens in membra sacræ spectabile Nymphæ
Exhibet officium, quod verba inscripsa recludunt,
In mẽtes sic suada fluit; *Formosa puella*
Cæsia pupillis, glaucóque notabilis ore
Siren
Extat pube tenus, nam cætera membra tumentes
Furabantur aquæ; Titulus Sirena notabat,
Quæ Siren animi? blanda est Facundia siren.
Hic candens fornax accenditur, ínque flagrantes
Aureus imber
Carbones ignis grassatur, & aureus amnis
E flammâ fluit; ítque viri propè stantis in aures
Cum titulo, Suadæ quẽ non capit aureus amnis?
Hic speciosa virens attollit palma cacumen
Palma
Nobilibúsque comis vestitur, & vbere lato
Et flores & poma parit, sed & illa coronæ
Extemplo fiunt, viridis mysteria palmæ
Cap. 4. *Explicat hic titulus.* Victrix Facundia palma est.
Vis Eloquentiæ.
Hæc vbi vestibulo in magno Callistus *obiuit,*
Lustrauítque oculis, vltrà procedit, at illi

In lingua speciem protenta fit obuia Cuspis
Occiduæ siccis lauri radicibus instans,
Inscriptúmque gerens, Concedat laurea linguæ. Lauro virẽtior
Consulis hic etiam prætexta patescit inermis
Illa quidem, pugnam tamen audet, & arma subegit,
Nam circum infractæ stimulis languentibus hastæ
Perfossæque iacent galeæ, fractæque sagittæ
Loricæque graues, cuncta hæc inscriptio signat, Armis
Cedant arma togæ *Non longè insigne trophæum* fortior
Extruitur pario de Marmore, nulla columna
Sustinet id, sed seni illud fulsere Gigantes
Hos equidem molem illam humeris gestare pudebat, Armatis
Cùm cuncti propè fronte aliàs gessere coronam potẽtior
Primo non Natura oculum, sed casus ademit,
Cætera magnanimo, sed qui dum viueret ausus
Spernere Rhetoricam,*unde illum graue missile fodit* Philip-
Facundi immissum valido de Rhetoris ore po
*Ista ferens,*Frangunt Demosthenis ora Philippũ
At nec magnus honos, nec regia sceptra sequentem
Ornabant, fluxâ è tunicâ Romanus habetur, Centu-
Centurio ex vite, illi animus mollitur, & ensem rione
Induit in mitem vaginam, & talia tentat.
Dicere, Magne tuo Antoni mansuescimus ore.
Trux alium facies, frontis rigor, improba vultus
Asperitas, & dextra minax, & forma seueri
Inconniua oculi rabie demonstrat atrocem,
Cretatam vestem nigrâ mutabat, & omnem
Victus Romulei spem deponebat honoris. Catilinâ
Vnde irâ rabiéque tumens sacra mœnia Romæ
Extremâ Catilina *parat fœdare ruinâ,*
Et faceret, nisi lingua illum de more sagitta
Trãsadigat, simul ista tonãs; Te hoc vulnere mactat
Tullius. *At quartum fasces, insignia regni,*
Et sortis comitatur apex. Hunc cæca Voluptas,
Et titillantis demens infamia sensus Antonio
Fregerat, vnde illi Bacchúsque,*procáxque* Cupido
In turpem repsere sinum; proscindit alumnum
Rhetoricæ, *truncámque manum, linguãq; reuulsã*

Indignis pungit stimulis Antonius, *illum*
Rhetorice *fodit, & vindex hastile coruscat,*
Hac frendens; Sic ipsa meos vlciscor alumnos.
Quintus in extantes diadema insigne capillos
Vi raptum imponit, sed vt impius vndique nutans
Maximo *Sustineat, sumptósque semel tueatur honores,*
Qua non admittit scelera, aut excogitat artes?
Ingenium tamen, atque animum, mentémque ferocem;
Et motus rabidos, indignantésque furores
Inflectunt grauis ora viri, quem sacra verendum
Infula, cœlestem Pietas gratissima reddit,
Doctorem libri testantur, vtrumque tuentur
In titulo, Ambrosio licet Impie Maxime cedis.
In sexto tumor, Ira, Rigor, *natura ferina*
Regnat, & in monstri nihil est minùs indole, quàm quod
Esse videtur, homo; dextrâ crudele flagellum
Vibrat, & attonitas immaniter impetit vrbes.
Hinc dextro Bellum *lateri comes, inde sinistrum*
Obsidet Impietas, Stupor *horridus, & metus, & fraus*
Infœlix Prodromorum ordo est; At ponè sequuntur
Luctus *atrox, exesa* Fames, discordia *mœrens.*
Attila *Hoc septus comitatu vrbis vicina petebat*
Mœnia, funerea quò saua incendia cladis,
Extremámque luem portabat, id incola Roma,
(Vrbs etenim hæc est Roma, malo prostrata futuro)
Quod minimum metuebat, erat damnum illud acerbũ,
Quod metui magis assuetum est, Mors ipsa; timebat
Atque probrũ, atque ignominiã, atque infamia vincla
Cùm miserâ vir ab vrbe venit, cui tempora cingens
Vitta triplex illum non tam commendat honori,
Quàm grauitas natiua, feris non inclytus armis,
Sed grandi eloquio, & generosi viribus oris,
Cuius ad indomitum fortissima verba tyrannum
Deferri sunt visa. etenim mollitus abibat,
Vt Genium hæc dicentem audit; venerare Leonem
Cap. 5. Attila, & intactâ discede subactus ab vrbe.
Ingressus in *Plura quidem* Callisti *oculis spectanda dabantur;*
Sed comites vrsere viam; Tibi cuncta patebunt

Hæc aliàs, Calliste, *sacra prætoria Nymphæ* — palatiũ Rhetoricæ.
Nunc intrare decet, viden vt Te Regia diues
Aduocet? admittátque volens? & limina pandat?
Vestrum opus aggredior, Charites, *vos ardua tanta*
Tecta domus struxistis, opis mihi munera vestræ
Hic iterum conferte Deæ, quò membra per ædis
Omnia Callistum *ducam generosus, & ampla*
Vobis auspicibus tectorum arcana recludam.
Collis erat leni subuectus in aera dorso
Descendens clementer agris decliuibus, in quo — Eius situs.
Serta per explicitas vernabant florea glebas.
In mediis sinus æquus agris, & libera sese
Effundebat humus, pulcras hæc sustinet ædes
Hic tanta posuere domus miracula Musæ.
Materiam mirabor? opus subtile, manúsque
Me mouet: ingenium mirabor? & ædis in artem
Permittam deuolui oculos? me copia rerum
Distrahit, & tantas me non sinit ire per ædes
Lætior huc igitur subiit Callistus,*& intrò*
Succedit, cui Nicoponus, *Tibi nobilis, inquit,*
Non ipso, Calliste, *aditu Regina patebit*
Rhetorica, *ante Tibi Nymphæ, comitésque videndæ* — Rhetoricæ comites.
Eloquii, quibus ambrosio regalis in ore
Maiestas, in fronte decor, sublimis in alto
Bibliotheca sinu, templum portatur in vlnis.
Hæc inter secreta petunt, Tum fortè sacelli
Vates alta pias factura accesserat aras
Dictio, *ventifluâ corpus circumdata bysso*
In multos abeunte sinus, quam concolor auro — Quales
Fimbria distinguens protensum syrma trahebat.
Non ibi sanguineis imbuta altaria guttis
Sparguntur, non taurus ibi, non agna poparum
Crudelem est experta manum, sine cæde litatur, — Sacrificium Verbo diuino factum.
Soláque thuricremas ceu victima fumat ad aras
Vel fragrans Iudæa, Arabis *vel germina campi.*
Vt primùm processit eò Callistus, *in illum*
Turba tulit faciles oculos, neque enim ora licebat
Soluere, vel tacitum linguæ turbare fauorem

Dictio *dum sanctas* Verbi *suffumigat aras.*
Vt verò celebrata Deûm mysteria finem
Inuenere, senex magnâ iam notus in æde
Nymphæ in conspectum Iuuenem deducit & offert
Cui supplex Callistus *ait; Temeraria quamuis*
Me forsan, virgo speciosa, audacia mouit,
Qui Te ignotus adire ausim, nullâque fauoris
Callistus admittitur *Tutelâ suffultus, opis generosa requiram*
Munera, & alma tui poscam suffragia nutus;
Fama tamen protenta tuæ virtutis, & illa
Quæ latè diffusa patet clementia mentis
Errorem mollire meum veniæque fauentem
Impetrare locum poterunt, sin attamen error
Indignus veniæ est, pœnam, quæcunque placebit,
Iusta inflige, lubens pœnam quamcunque subibo,
Durior exilium nisi fortè indixeris, & me
Exortem procul esse tuæ præscripseris aulæ.
Subridens tùm Virgo inquit, Næ, Candide dignus
Non tantùm veniâ, sed laude, nec infero pœnam
Quin potius Te admitto meum; Téque inter alumnos
Assero, Tùm Iuuenem sociis adiungit, & illum
Committit Studij *curis, magnóque* Vigori.
Eius exercitationes *Exin* Callistus *spectacula multa tuetur,*
Et rerum diuersa videt, Nunc ardua cernit
Argumenta, Locósq;, Status *modò cernit, & omnes*
E quibus exultans Oratio constat honores
Nunc ad Iudiciale Genus, Themidósq; *tribunal*
Scandit, vbi sontes causis capitalibus acti
Damnantur; Nunc in cani sacra templa Senatus
Intrat, vbi sapiens reddit consulta Senator;
Publica nunc & rostra petit, quò Rhetora dignos
Laudantem mores, insectantemque probrosos
Audiat, & culta se dotibus imbuat Artis.
Diuersos illi licuit quoque cernere Motus,
Illorúmque domos, laxísque palatia tectis,
Iámque per obliquum Sol circumduxerat axem:
Quadrupedes, Verísque comas, & messis aristas
Attulerat, gelidúmque Capri *quoque viderat orbem,*

Ex quo Rhetoricæ *venit* Callistus *in arces,*
Necdum illam vidit tamen, at nunc cernere tempus
Facundum Numen, sanctósque intrare Penates.
Ingreditur, simul ecce olli stetit obuius aureo
Ambrosius splendore Puer, sublimis ephebus
Rhetoricæ, *pulchro quem nomine dixit* Epainon
Hic tali venientem vltrò sermone recepit,
Cuius honoratam formosè subibis in aulam.
O Iuuenis, Regina habitat, quam mille coronant
Ornamenta, decus, species, & purpura vultus;
Ante igitur quàm tecta petas, corámque salutes
In vitreum descende amnem, & mortalia purga
Pectora, & antiquos purissimus exue sensus,
Clara per extentos deducitur vnda canales
Pierio *de fonte fluens, quæ mystica condit*
Balnea, & ambrosias felici gurgite baias.
Quisquis in hanc puros felix coniecerit artus,
Castáque ad vndosos admouerit ora canales
Rhetoricæ *sacra templa petet, sanctúmque* Suadæ
Limen, & excultas facilis penetrabit in ædes
Tullius *Ingenii Princeps, & ouantia nactus*
Eloquia, & solitâ sublimius indole pectus
In tales se mersit aquas & labra refecit
Amnibus, & sancto maculas in fonte reliquit.
Huc Callistus *adit, doctíque natauit in amnis*
Fluctibus, & purâ syncerior exit ab vndâ.
Hinc primùm egressus facundæ Principis aulam
Ingreditur, seséque sacris penetralibus insert.
Hic multus Nympharum ordo, cultúsque Dearum
Astabat chorus, vna manu sphærámque, polósque,
Solémque, & claro stellas splendore ferebat,
Et titulum hunc; Per me fulgentia sidera cœli
Astrologus, celerésque vias explorat Olympi.
Iuxtà aderat cognata, globum, mundique tabellam
Et radium, virgámque gerens, quam scripta notabant
Verba; Maris variósque sinus, terræque meatus
Metior, & dites regnorum obseruo coronas
Altera multa manu gerit organa, plurimáque illi

Anno exacto & præmissa lotione sacrâ

Rhetoricam adit.

Cap. 6. Apparatus aulæ eloquentiæ Vbi Astrologia Geographia

Geometria — *Regula adest, Canonésque, notant hæc verba Mathesin*
Appicta, Excelsi diuortia grandia cœli,
Et terræ spatia ampla scio. *PropeNympha sedebat*
Non annis effœta, grauis sed honora senectâ

Historia — *Multiplices inter versans exercita libros,*
Historiam *titulus, talísque inscriptio dixit,*
Non me facta latent, veteris primordia sęcli,
Gestarúmque scio secreta recondita rerum.

Hic roseos inter flores, quos spina premebat,
E Nymphis erat vna, illi comes vnica firmo

Logica — *Hærebat nexu* Ratio, *propè verba patebant*
Quæ Logicam *dixere,* vias ego pando locorum,
Et deducendi arcanos euoluo recessus.

Hic reliquas inter compto vibrata capillo,
Plectra manu, citharámque tenens, cui plurima crebris

Musica — *Linea ducta notis, castigatúsque character*
Expertos erat ante oculos, hæc Musica *Nympha est,*
Signabant quam verba, Lyras & plectra guberno,
Et vocem, modulósq; rego; *stat & altera pulchro*
Cultior ornatu, teneróque politior ore,
Inter laurigeras habitans formosa coronas,

Poësis — *Et laurum assiduò mordens,* Victoria *visa est,*
Distinxere nota; Musas & Apollinis artes
Dirigo, & in strictas mitto mea iura Camœnas.

Has inter, sublime sedens Regina micabat

Accessus Callisti ad Rhetoricam — Rhetorice, *quæ sceptra manu, quæ fronte coronam,*
Quæ toto formam spectabilis ore ferebat,
Illius è tenerâ manabant mellea linguâ
Flumina, diuersas terræ spargenda per oras.
Quam Callistus *vbi solium regale tenentem,*
Vidit, & ad tanti deuectam culmen honoris
Procidit incumbens, & Numinis instar adorat.

Illa, tua Calliste, *inquit, molimina curæ*
Laudo equidem. quod me superato horrore laboris,
Contemptáque via valida conamine mentis
Quæsieris, nec Te nostros intrasse penates
Peniteat, nam dona fero; famámque, decúsque
Æternúmque meis impendo sequacibus æuum

Quod

Quod magni Ciceronis *honos, quod fama diserti*
Isocratis,*nitidi quod splendida gloria* Crassi
Perstet adhuc, laus illa mea est; si vincere mentes,
Frangere si cæcos populi potuere furores,
Si medio regnare foro, magníque Senatus
Stare duces, fauor ille meus, mea gratia tota est Laus eloquẽtiæ
Si populum potuere rudem, dispersáque sylnis
Agmina pacata coniungere mœnibus vrbis,
Si leges, & iura dare, & constantia mundo
Fœdera, & extentis decreta imponere regnis,
Præside me potuere, illis Regina fauebam,
Addebámque meas ad ouantia munia vires.
Tùm venerans Callistus, *ait, nihil ambio supplex,*
O Princeps facunda, tuos nisi cernere vultus,
Atque oculis, atque ore frui, positósque labores
Felices duco, modò Tu ditissima merces
Extiteris, gnarúmque tuæ me feceris artis.
Hæc vbi, Rhetorice *fragrantis ad oscula dextræ*
Callistum admouit; magna simul vbera mentis
Inspirat, celerésque animos; fit pectore toto
Ingenium, ínque omnes viuax industria sensus
Gliscit, & internos descendit acumen in artus
Non aliter serpens in ferrea pondera magnes
Secretas indit vires, queis massa metalli
Fit leuis, & duros dediscit inhospita mores
Sed nil dum Calliste, *tenes pulcherrima dixit*
Rhetorice, nisi tectum ingens, & proxima supplex
Templa petas, quin turba omnis tecum ilicet imus. Cap. 7.
Exiit, & simul illam omnis comitata Dearum est Verbum
Turba, sacras templi valuas aditura propinqui, omnis
Templum augustum, ingens, spectabile mille columnis, eloquẽ-
Cœlesti candore nitens, celsóque superbum tiæ Prin-
Fornice, conspicuis intus mirabile gazis, cipium
Hic lucens altare gradus surgebat in altos,
Ignibus accensum æternis, huc námque fluebat
Mollis apum structura, sacræ collecta Sabææ
Messis odoratis inclusa flagrabat acerris.
Rex ibi maiestate potens, diademate vinctus,


Crine niuem, lanámue ferens, & veste fluente
Tectus, & aurata præcinctus ad ilia zonâ
Cuius in extentâ splendentia sidera dextrâ,
Inque oculis flos lucis erat, sol pulcher in ore,
Eius descriptio. *Anceps in linguam gladiúsque & acumen abibat*
Hoc Verbum diuinum, *omnis sermonis origo,*
Rhetoricaéque parens, à quo facundia manat
Omnis, & æterno deriuat dictio fluxu.
Huc chorus Oratorum omnis confluxerat, illuc
Venerat è variis Rhetor cultissimus oris
Fusurus summo grates & munera Verbo.
Cùm verò in sacrum Facundia *splendida templum*
Callistúsque *nitens, & cætera turba subiret,*
Musicus æthereas ibat concentus in auras,
Et tales sanctum feriebant aera voces.
Eius laudes. *Quod tua protentũ,* Verbũ Immortale, *per orbẽ*
Detulimus decreta, tuæ quod congrua legis
Fiximus arbitria, & sanctas fundauimus ædes,
Quod populos, gentésque feras, quod fleximus vrbes,
Quod cultus, vanásque Deum destruximus aras,
Diruimus quod fana, tuum est; Quod nostra per omnes
Verba sonent diffusa plagas, & ouantia regnent
Eloquia, & penitos intrent victricia sensus
Scripta, tuũ est; Quod nostra fremens formidet Auernus
Ora, quod & Phlegeton, *furiísque tumentibus Orcus*
Nos timeat, vocésque, tuum est; Tibi cuncta sacramus
Eloquia, & nostros in Te vnum fundimus amnes
Immensum eloquii Oceanum fontémque Suadæ;
Facundásque tuis voces appendimus aris.
Hæc postquam sacro cecinit chorus integer ore
Verbi *diuinas supplex accedit ad aras*
Rhetorice, *flexóque genu, positáque coronâ*
Facundo tales emittit gutture voces.
Adoratio ei reddita *Iam Tibi ô Æter*nũ, *penetras quod in omnia* Verbũ,
Diuinæ rationis apex, sublimis origo
Eloquii, sermonis honor, purissime linguæ
Rector, & egregiæ Princeps castissime vocis,
Ingenii facunde Pater; Me interprete Rhetor

Omnis adest, offertque sui Tibi pensa laboris,
Excubiasque suas, & pignora totius anni
Iam Tibi conspicuo generosa Oratio *sensu*
Et castigatâ selecta Exordia *pompâ*
Et pura ornata Conclusio *flore figura,*
Causarum Genus *omne Tibi, & correcta sacratur* — Ab eloquentiâ.
Dictio *déque tuo puram se munere nouit.*
Per Te fixus erit Status *omnis, & omnia per Te*
Stabunt Argumenta. Tropi, *celebrésque* Figuræ
Ornamenta tui capient de fonte decoris

Te sine nil Natura *potest*, *Ars vana laborat* — A quo se accepisse omnia profitetur
Te sine, & aggreditur vanas Imitatio *curas*
Auxiliis deserta tuis; Te Inuentio, *Téque*
Mnemosyne, *Téque appesito grauis* Actio *gestu,*
Téque coronato comptissimus Ordo *fauore*
Patronum asciscit; Vocis Te cultus, & ipsa
Authorem Te grata meum Facundia *nosco.*

Ergo ades Eloquii Princeps, Authórque Suadæ
Rhetoricæ supreme Parens, purissime linguæ
Conditor, augusti spectabilis Arbiter oris
Qui mentem ingenio, linguam sermone coronas, — Cui denique Callistũ & omnia sua vouet & consecrat.
Callisto, *sociisque, meis qui perpete curâ*
Artibus, & doctis inhiant me præside chartis,
O Verbum immortale, *faue; fœlicia funde*
Flumina, & æthereos in pectora conice fluxus.
Annuit, & vultu ridenti, & fronte serenâ.
Indulsit, sacrásque preces, & verba rogantis
Audiit, & leni sanxit vota omnia nutu.

FINIS.



CONCLVSIO

Totius Operis.

Vota authoris



Æc Ego, selecti Iuuenes, fragrantia Phœbi
Oscula, Castalidum, *partus dilectæ sororum.*
Pierij *flos primæ iugi, cœlestis Amoris*
Pignora, Deliciæ Charitum, sublimis alumni
Palladis, explicito pubes Vernantior horto
Docti montis amor, teneris quos nutrit in vlnis,
Ambrosio quos rore rigat, quos vbere pascit
Calliope, *Iuuenes animæ pars altera nostræ,*
Hæc ego de Charitum manibus, de mollibus hortis
Pieridum, *dulci è linguâ dictantis Amoris*
Excepi vobis tradenda, quot esse videtis
Litterulas, quot & esse notas, quot puncta notatis,
Quótue apices, non tam præcepta diserta putate
Rhetōricæ, quàm signa animi testantis amorem.

Felicitatem iis.

Vos Ego Rhetoricos *specioso calle per agros*
Pérque Figurarum illecebras, numerosáque vocum
Vincula, per doctos colles, & amantia Pindi
Gramina, pérque sacras Musis comitantibus artes
Sollicitâ adduxi curâ, sed in omnibus illis,
Occurrebat Amor, pérque omnia compita, pérque
Curriculi salebrosa loca, & trita aspera rectus


Optātis


Non Equūs, sed stabat Equus, *qui flecteret omnes*
Sponte vias, regeretque suo vestigia ductu
Vos igitur quæcunque inito scripsistis ab anno,

Hæc vobis dictauit Amor, iam quando laboris
Apparet mihi meta, piis incumbere votis
In multas iuuat ire preces, & munera vobis
Optare, & superos è cælo accire fauores
Ite ergo egregii Iuuenes, mea maxima cura,
Dimidiúmque mei; Ite sacros vibrate nitores, Qui aliquem fructum ex Rhetoricâ colligẽt.
Et pulchras aperite faces, & honoribus aucti
Ingenii radios, animíque effundite dotes.
Non sic eois adamas aduectus ab Indis,
Augusto quem pala sinu, quem diuite torno
Flauentis capit vmbo auri dispergat honores:
Non ita, puniceo cùm ventus abegit Olympo
Nigrantes nebulas, & apertis vndique signis
Astra polo meliore patent, cùm surgit ab vndis
Oceani, spargítque comam, & candore refulget
Hesperus, in niueos pulcherrimus exeat ignes.
Si vos ad Regni celsas Themis integra sedes In senatum admotis Iustitiæ cõmendatione.
Aduocet, & vestros sacra purpura vestiat artus,
Si latus digno circum vos clauus amictu
Ambiat, & puros tegat aurea linea crines,
Hic vestros Astræa regat sanctissima mores,
Et famam colat, & nunquam de tramite recto
Vos dira improbitas ad iniqua piacula vertat.
At si rostra placent, vocémque atque ora diserto
Consecrare foro iuuat, in medióque senatu
Facundos versare sonos, & flumine linguæ Ad rostra accendentibus applausum & fauorem.
Attentas aures recreare, & spargere mentes.
Iustinianæi canones, legúmque sacrarum
Se vestris abstrusa animis mysteria pandant.
Dicentes vos turba colat, vos omnis adoret
Concio, vos magno plebs agmine ducta sequatur;
Vos multus, multúsque cliens, vos læta reorum
Turba, fori laqueis per vos educta, coronet.
Quod si vos aliò Pietas traducat, & altis
Religio vos sancta tholis addicat, vbi ardens
Æstus, & ætherei virtus exultet amoris,
Vos ibi si pluteos, facundáque pulpita mentes
Docturi scandatis, ibi quot verba diserto


Ore fluent, tot stillæ alti credantur Olympi
Sacris concionatoribus ardorem diuinum
Cœlestésque satus, & semina casta rigantes.
Exilient quot ab ore minæ, tot ab axe flagranti
Exiluisse globi, tot atrocia fulmina plenis
Vibrata e nebulis credantur, vt impete magno
Flagitiosa premant vetitæ contagia fraudis.
Vos ibi sidereos calidis in mentibus ignes
Condite. vos arcete scelus, vos cerea corda
Fingite, vos tractate animos, captásque per aures
Pendeat è vestrâ fusissima concio linguâ.
Sin autem medicas studium transfertis ad artes,
Medicinã tractantibus morborum curationẽ
Et diras curare febres, & pharmaca morbis
Ponere, & afflictam vultis reparare salutem.
In vos Hippocrates, in vos doctrina Galeni
Gurgite se pleno transfundat, & vbere largo
Ingenium subtile colat; non vlla remotis
Exsinuet sese herba iugis, crinésue coloret,
Quin vestris pateat simul artibus, este dolorum,
Morborúmque hostes. Orcum viduate trophæis,
Et rigidam mactate necem; Vos ante malignæ
Effugiant febres, & gaudia læta triumphent.
Bellum petentibus victoriam
Si verò (neque enim teneat vos sæua cupido,
Dira vltrò tractandi arma, & fera castra petendi
Sponte ipsâ, quid enim cum Palladis arte quietâ
Sanguineus Gradiuus agat?) vel Regia iussa,
Vel patriæ violatus honor, vel cultus Olympi,
Vos ad bella vocent, certas vibrate sagittas,
Et stratos violate hostes, victoria vobis
Rideat & recto faueat fortuna volatu.
Denique in omnibus felicitatem.
Fortunata suis tandem vos gestet in vlnis
Prosperitas, faustósque dies, & mollia vitæ
Stamina, & albentes vobis Deus optimus annos
Apponat, vos nulla premant aduersa, nec vlla
In vestros vnquam grauitas incurrat honores.

L. D. B. V. M.





INDEX RERVM ET SENTENTIARVM.



ERRATA SIC CORRIGE

PAgina 9. v. 7. molliri, p. 13. v. 7. Tu. p. 35. v. 8. Fareti, p. 147. v. 26. Pyrenes, p. 157. v. 30. Vadis p. 163 v. 9. Iudulgent, p. 182. v. 9. Auerto p. 223. v. 24. Decerptum, p. 223. v. 34. Impenderet. p. 260. v. 12. Noui. p. 335. v. 14. Impatiens. p. 375. v. 20 sepire

FINIS.

